NOVVM FIDEI SYMBOLVM,

Siue

DE NOVIS MVLTIS PERDVELLIOnis, & duodecim superstitionis articulis Catholicæ fidei nomine velatis, & à Pio quarto in symboli formam redactis, Dialogus diuisus in libros tres; quorũ duo nunc exeunt: tertius Deo volente non ita multò pòst consequetur: quibus praxis & doctrina Antichristi planè describitur.

Præfixum est Dialogo Speculum Papæ, id est, viua & expressa Antichristi effigies.


Authore LEONELLO SHARPO Anglo, sacræ Theologiæ professore.

REGVM I. CAP. 18.
Quousque claudicatis inter duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini illum: si Baal, sequimini illum.





LONDINI,
Excudebat Richardus Field.
1612.





REVERENDISSIMO CLERO ANGLICANO.



Inimè mirum videri debet (reuerendissimi in Christo Patres, Fratresque charissimi) si ducibus Israelis ad bellum cum Antichristo gerendum profectis, gregarius causæ sanctæ studio incitatus ad vexillum accesserit. Omnes enim vident Papam per suos emissarios renouare pristina bella, nec posse quiescere, sed id omni ratione tentare, vt amissam magnæ Britanniæ recuperet possessionem; eiusque rei spe vana licèt, Papistas nostros (nostras etiam dicerem, nisi quòd alicui videbor loquutus incongruè) plures atque insolentiores esse, quàm solebant. Quis igitur quamuis infimus Christi seruus natus sub, vel potiùs, cum restituto Euangelio, sine quo ne Paradisum quidẽ patriam amœnam iudicaret, Antichristo iam redintegratis viribus, & recollecto veluti spiritu sedem, vnde eiectus est, tanto ardore repetenti non in faciem resisteret & repugnaret? Non ignorabam quanti sint ijs suscipiendi labores, quantæ exorbendę calumniæ, qui in certamen cum tam crudeli aduersario pugnamque deuenerint: vt illis fuerit tacuisse melius, si quid è re sua potiùs quàm quid è repub. Christiana futurum esset, cogitarent. Verùm quod in

bello vsu-venire solet, vt spectata virtus Imperatorum exemplo acuat studia militum, segnesque animos ad rem gerendam excitet atque extimulet: idem in hac spirituali militia Ministris Dei sæpe accidit; quibus facultas à Deo data est, alijs maior, alijs minor, omnibus aliqua. Qua, si rebus ipsis aliquid addere non possint, ac fortasse nec debeant; quia Theologis non noua sunt dicenda, sed nouè, vt scripsit Vincentius, nec diuersa fide, sed diuerso stylo, vt monuit Augustinus: tamē cùm testimonij consensu, tum doni differentia, ac tractationis varietate seruire Euangelio multum & possint, & debeant. Accessit etiam ille stimulus, quòd vt primùm Regio confixa telo bestia grunnire cœperit, magnum ex ore suo numerum Iesuitarum statim effuderit, qui Regem non modò Regum sed hominum optimum, verè magnum defensorem fidei, non tam argumentis refellerent, quàm conuitijs scorpionum manu scriptis quasi confoderent. Germani hæretici, qui sine gladio voluntate sunt homicidæ, vt scribit Hieronymus: nec enim stylus minùs sicarius putandus, quàm ensis, districtus in Reges, quibus honos suus etiā spiritu charior multò atque antiquior videri solet. Vt mihi quidem ne Iacobus Clement, aut Francis. Rauillac in corpore Regio, quàm Bellar. aut Pacenius aliquis in nomine vulnerando crudeliores fuisse videantur. Romam ethnicam ferunt literam illam, cuius Cicero meminit, affigere solitam non tabellæ iudicum, vt quidam interpretantur, sed vt Cicero & Plinius, capiti & fronti calumniatorum: capiti plumbeo, fronti ferreæ, vt vultus gererent inscriptos quasi serui stigmatici, & inustos literarum notis ad summam oris contumeliam, quos ideo Plautus literatos homines scitè appellat. Næ ego valdè sim iniquus, nisi Iesuitas

Bellarminum, Parsonium, Pacenium, Christanouic. Becanum, Coquæum, aliosq; multos.

Pro Rosc. Amerino.

ſuitas hoſce haberi cupiam literatos, quos Roma Pontificia intus alit & fouet tanquam veteres illos anſeres & canes, qui clamore & latratu obſeſſorem Capitolij inſectentur. Adde quòd duos illos baculos, quorum meminit propheta Zacharias: authoritatem magiſtratuum, & obedientiam ac concordiam ſubditorum; quarum illam baculum pulchritudinis, hanc baculum vinculorum vocat: iſti nefarij Ieſuitę frangere ſtudeant, rebellionem articulum fidei ponentes ſuæ, vt non à noſtris modò conuicti ſunt, ſed & à ſuis. Nam nunc moderati quidam ſacerdotes ſæculares, vt vocantur, quò impuniùs ſuperſtitionis articulos apud nos furtim diſſeminnet, perduellionis articulos in Ieſuitis callidè inſectantur, cum tamen Alanus, alijq́; multi ſæculares ſacerdotes rebellionem & pręceperint & perpetrarint. Vtroſque igitur articulos noſtri, & vt boni ciues & vt fidi Miniſtri, duplici militiæ ſacramento obligati, pro ſuo quiſque dono, ſuo loco & tempore, multò magis pro virili oppugnare debent, quò libertatem Imperij, ſub quo nati, vnà cum veritate Euangelij, per quod renati ſumus, pro vocatione tueamur. Quò iuſtiùs Miniſtros in tantæ molis cauſa mutos & tepidos perſtringit doctiſſimus Elienſis, qui calamum non ſtringant, cum ex earum genere cauſarum hæc, inquit, cauſa ſit, in quibus qui cum Chriſto non colligit, diſpergit cum Chriſti cõtrario; vbi ſuam niſi fidem quis liberet, nec animam liberabit. Simul illud addit, eſſe vt in hac cauſa malis vires quàm voluntatem, facultatem quàm fidem deſiderari. Quod idem mihi à reuerendiſſimo quondam Archiepiſcopo D. Whitgiſto, etiam tum, cum minùs inter partes ferueret contentio, dictum memini, cum optaret vt in tanta apud nos Theologorum excellentium

Zach. cap. 11. verſ. 7.

Epiſt. dedic. ad Regem.

copia plures essent, qui operas à prædicandi munere subcisiuas ad scribendum traducerent. Accessi igitur ad signum causæ studio, ducum exemplo, hostis iniuria, militiæ sacramento, Patrum incitamento prouocatus, vt hostem tam indignè lacessentem leuiter repungerem.

Quam ad rem hoc mihi veluti pensum imponendum putaui: vt nouum fidei symbolum ex nouis articulis fidei partim occultis, partim apertis, à Romano Pontifice conflatum, non tam nostratium Papistarum, quibus tot libri Anglicè tam excellenter scripti si non satisfacient, nihil vnquam satisfaciet, quàm exterorum gratia Latino dialogo explicarem, diuiso in libros tres; quorum duo nunc exeunt, tertius Deo volente, & valetudinem concedente, qui nunc iacet in aduersarijs, typis non ita multò post impressus exibit. In quibus omnibus seditiosam atque impiam personam induco lectissimis quibusque argumentis acriter defendentem hæresim ac perfidiam suam, Iesuitam quendam ROBERTVM SATVRNINVM: eique Theologum Orthodoxum ANTONIVM PATRIOTTAM respondentem. Nostis morem dialogorum, vt ea loquantur homines inter se, quæ nunquam loquuti sunt. Ideò queretur forsitan SATVRNINVS ea tribui personæ suæ, quæ nunquam dixerit: cum ausim religiosè affirmare principum Iesuitarum non modò argumentis, sed methodo nonnunquam & verbis vti factiosum istum sacerdotem, præsertim Alani, Bellarmini & Parsonij, vt quiuis eorum mihi per omnia videatur esse meus ROBERTVS SATVRNINVS.

Cicero.

Præfixi dialogo prologum, in quo verum Papæ Speculum, id est, Antichristi viuum simulachrum à S. Paulo

lo & Iohanne propheticè ductum, & à Patribus cùm antiquis, quatenus illi verum præuidere potuerunt, tum nouis ex euentu certiùs expositum, pressis quibusdam conclusionibus illigandum censui, in quo se Papa cum sua tota colluuie posset agnoscere. Nam ordo naturæ postulabat, vt is Papam euinceret esse Antichristum, quod apparet ex Speculo, qui probare intenderet Papismum esse Antichristianismum, qui docetur in symbolo. Vtrique Christi Speculum, & compendium Christianismi ex Euangelio sumptum, inclusum meæ ad Christianum Lectorem Epistolæ, præponendum esse duxi. Duas enim scitis Ministri partes esse, vnam, vt purè prædicet Christum; alteram, vt certò detegat Antichristum, vt magnus ille vir & martyr Dei iudicauit Iohannes Hussius.

Iam hoc omne (nescio quid nihili) vestro, Patres & fratres, submitto iudicio, committo patrocinio. Nam quæ iustæ mihi rationes ad suscipiendam causæ defensionem esse visæ sunt, eædem vobis ad personæ patrocinium debent videri. Ego cum à multis hominibus nostris huius Pontificij symboli mentionem sæpe factam legerem, à nemine autem, quod sciam, ex composito totum scholijs explicatum viderem, rem suscepi non tam perficiundi spe, quàm experiundi voluntate, sperans fore vt aliorum studia, qui multò id doctiùs atque ornatiùs facere possent, commouerem. Audistis antè, cur hoc munus susceperim: audite, si placet, cur vobis dedicarim. Nam cum totum religionis negotium in hoc symbolo mihi pertractandum perspicerem, totum clerum Anglicanum religiosum operis patronum humiliter aduocandum putabam, quem tot eximijs pietatis, scientiæ, linguarum, Prophetiæ donis dotatum à

Deo & instructum clerus Romanus dolet, à quo tot lethales ictus acceperit, vt nullius cleri vires magis aut lacertos pertimescat. Itaque grandis ille piscator Tiberinus, cum ars sua piscatoria iacere iam & frigere cœpisset, eò quòd laceris & attritis vetustate retibus grandiusculæ quædam pisces enatassent, peritos quosdam ex Academijs nostris artifices ad sese insidiosis muneribus allexit, qui retia fracta iam & perrupta reficerent, capiendis apta non animis, sed coronis: quos aureo cepit hamo Pontifex, vt pisces; deinde remisit, vt piscatores. Cui conuenit illud Martialis,

Munera magna quidem misit, sed misit in hamo,
Et piscatorem piscis amare potest?

Eodem dolo malo alios iuuenes eruditos indies irretire & exitialibus donis inuitare non desinit, vt profligatæ iam & planè perditæ seruiant causæ suæ. In quo sanè similis mihi videri solet Pythio illi argentario apud Ciceronem, qui vt Cannio homini minimè malo imponeret, piscatores ad se conuenire voluit, docuitque quid illos facere vellet, vt frequentes piscarentur, captosque pisces ante suos pedes abijcerent, quò villam suam quamplurimo venderet. Sic Pontifex piscatores ex Germania, sed imprimis ex Anglia conuocauit sub annulo piscatoris, qui clàm ad piscinas vnde exierāt, piscatum redirent, deceptique deciperent, cymbas suas & pisciculos omnium generum ad ipsum adducerent, quò merces Ecclesiæ suæ faceret vendibiliores. Hic est Pontificis dolus malus. Hoccine verò fuit, vt nostram ad se iuuentutem pelliceret præmijs? in Rhemensi & Romano collegio collocaret, quo duplo redderet nequiorem quàm acceperat? Hæc verò circumscriptio nostrorum adolescentum, qua grandis mundi Impostor

Cicer. 3. Offic.

poſtor labenti ſedi ſuæ ſubuenit, omni noſtro conſilio præuertenda eſt: qua ſatis declarat tamen, quantum rebus ſuis ſpei ponat in noſtrorum ingenijs, quibus arcem Babylonis acerrimè noſtro ſæculo & defenſam ſenſit, & oppugnatam. Non habet vllos doctiores Anglo-ſacerdotibus, præcipuè Ieſuitis, qui quò Anglos inficiant, Anglicè ſcribunt prudentium opinione eleganter, ſtultorum probabiliter, vt quod bonitati cauſæ deeſt, bonitate ſtyli ſuppleatur. Neque tamen noui quicquam afferunt, ſed vetera poliunt & limant, à ſuis patribus centies obiecta, à noſtris centies refutata: & exeſis ac vietis argumentis nouum colorem & florem appingunt, vt Ieſuitarum ſchola Papiſmum ſenem, tanquam Medea Peliam, veneficijs ſuis recoxiſſe videatur. Sed manifeſtum in pugna prodit timorem & diffidentiam; dum canonem Apocryphis auget, Scripturam traditionibus minuit, autographon tranſlatione tollit, textum gloſſa peruertit. Intereà libros emittit, quibus argumenta inferciat concluſa ferè ex meris allegorijs, detortis proportionibus, claudis ſimilitudinibus, fictis miraculis, ſtultis reuelationibus, nudis Patrum nominibus, conductis ſcholaſticorum teſtimonijs, quæ veſtiuit verbis, fateor, lectis ac pænè pictis, & ſtructura ſententiarum exquiſitiſſima, vt fucandæ Romanæ lupæ calamiſtros quoſdam intexeret, quorum illecebris infirma multorum adoleſcentia atque incauta caperetur. Horum ego librorum fautoribus, qui vel illos ad nos attulerint, vel legendo defenderint, vel alijs approbando legendos dederint, optarem pœnam illam infligi, quam honoratiſſimus Iudex lege præſcriptam eſſe declarat. Horum librorum authores, vbi ſemel illos aër Italus afflarit, ſuos hyperboreos homines vix putant, qui contrà

D.Ed.Cok.D. commun. Placit.in epiſt præfix. caſui Poſtnatorum.

ſcribunt, quamuis meliore conſcientia & maiore fiducia ſcribant. Nam & verum canonem tenent,& ſcripto fidunt, & fontem adeunt,eundemque habent & textum & commentarium; niſi quòd Apoſtolos inducant præeuntes, Patres ſubſequentes, vt teſtes ſuorũ temporum, quippe qui Apoſtolos in cauſa fidei ſine Patribus, non Patres ſine Apoſtolis audiendos eſſe iudicent. Ita non ludunt rudibus, vt aduerſarij, ſed ſpiculis feriunt; nec argumenta promunt ſine teſtimonijs, nec teſtimonia ſine argumentis: quæ non tam numerant quàm appendunt: nec particulas vrgent fraudulenter à Scripturæ corpore reſectas, vt aduerſarij, qui illas in libro aliquo magiſtrali citatas legunt; ſed illam omnibus ſuis circumſtantijs veſtitam allegant, vt ex omnibus quod verum eſt inferant & premant; nec typos aut allegorias conſectantur, ſed intimas rimantur ſubſtantias rerum atq; naturas;nec cincinnis vtuntur meretricijs, ſed ſolidis & ſobrijs ornamentis, quæ Dei cauſam decent. Formidoloſi opponentes, grandes oratores, quales etiam multi qui non ſcribunt, cenſendi ſunt, quorum ſiquis aculeos, qui reconditi ſunt,excuſſos arbitretur, vehementer errat. Quorum ego me doctis prælectionibus & concionibus audiendis & libris lectitandis ingenuè fateor inſtructiorem atque armatiorem ad cauſam accedere. Vt ſicut Scipionum familiam legimus natã fuiſſe ad ruinam exitiumque Carthaginis, ſic ſperare videar clerum noſtrum renatum à Deo & orbi redditum ad excidium interitumque Romæ. Quem igitur potiùs laborum meorum patronum cupiã, quàm clerum fatalem Romæ domitorem? Accedat eodèm, quòd cum ego ſuperioris inſtitutione vitæ meæ, cum multis claris viris vel in Academia ſtudiorum ſocietate, vel in Curia

prædi-

prædicationis officio, vel in conuictu amicitiæ vinculo coniungerer; hac officiosa dedicatione iucundam veteris in Christo coniunctionis memoriam esse renouandam putarem. Postremò scriptores nostros, qui Deum sæculi paulò acriùs irritarint, & Antichristum pupugerint ad viuum, quàm virulentis professi aduersarij calumnijs sæpe consciderint, quis ignorat? Neque herclè mirum, si libris eorum non pepercerint, quorum iugulis imminerent: si famæ detraxerint, quorum vitæ insidiarentur? qui cum viris optimis per seipsos nocere non possent, per falsos fratres sæpe nocuerunt. Hoc si est factum in viridi, quid fiet in arido? Si sic cedros petant, quomodo tandem arbusta prement humilesque mirycas? Quò magis spero, fore vt ij qui scripserint, iniuriæ sensu; qui non scripserint, causæ studio commoti, alium eidem se periculo propter Christi gloriam exponentem authoritate sua subleuent. Nam Doctores & scriptores Euangelici, quò sunt odiosiores improbis, eo bonis omnibus chariores esse debebunt. Hijs de causis ego, Patres & fratres, vobis exiles hosce labores meos suppliciſſimè & demiſiſſimè dedicandos esse censui, quorum & in religione fiduciam, & in doctrina subsidium, & in amore solatium, & in authoritate perfugium mihi positum esse arbitrarer. Videtis, vt initio dixi, Papistarum insolentiam, senserunt patres nostri crudelitatem: puluereæ, siue Iesuiticæ coniurationis obliuisci nec potestis, nec debetis: quæ minata regno Parisienses lanienas, Ecclesiæ flammas Marianas: quarum Papa vetus amicus vester, ô clere Anglicane, fauillas tegit. Meminit officij, meminit obseruantiæ erga se vestrę. Argumento vestro à Scripturis opponit suum illud argumentum à facibus. Incedis igitur, *incedis* Horat.
per

per ignes suppositos cineri doloso.

Ergo quæ scriptionis causa multis, eadem omnibus causa cautionis. Et quæ mihi ratio quærendi patrocinij & auxilij vestri, eadem nobis omnibus excitandi zeli & vigilantiæ nostræ. Deus Regem Regnumque seruet: Deus clerum orbis Christiani florentissimum, oculum regni, ab omnium inimicorum calumnijs insidijsq; defendat.

Reuerentijs vestris in Christo deditissimus

LEONELLVS SHARPVS.

EPISTOLA AD CHRISTIANVM LECTOREM, QVA SPECVLVM Christi, & synopsis Christianismi comprehenditur.



ON te præterit, Christiane Lector, Synagogæ Romanæ odium in reformatam Ecclesiam capitale iamdiu & apertum, in Scripturam sanctam occultum, & externæ quodam inuolucro pietatis veloq; deuotionis obductum atque obtectum fuisse. Nam quamuis illa florentis Ecclesiæ inuidia nostræ, spretæq; iniuria formæ suæ valde commota videatur; tamen quòd se diuino telo humana manu iacto lethaliter vulneratam in capite sentiat, non minùs Deo qui telum dedit, quàm homini qui iecit, audet interdum subirasci. Quod nisi ita esset, nunquam profectò [a] tot probra in Scripturam sanctam nequiter à suis improbèq; contorta typis esset passa mandari: nunquam in sua Lateranensi secretiore officina conductas aluisset operas, quæ dolarent [b] nouum Euangelium, [c] nouum Iesum, [d] noum symbolum. Sed succensuit nimirum quatuor Euangelistis, quòd Papam suum velut ignotum hominem præterissent. Quintum igitur Euangelistam creauit, qui suis rebus accommodatius per monachos cuderet quintum Euangelium. Verum Iesum Mariæ filium, cœlesti decreto pro salute hominum in monte Caluariæ crucifixum, dimidiatum credidit seruatorem. Itaque Franciscum Iesum typicum, Petri Bernardonis filium, tanquam à Christo iisdem vulneribus, iisdemq; locis in Aluernia monte compunctum finxit, & in Lateranensi Concilio consecrauit. Duodecim veteres articulos fidei à duodecim Christi collatos Apostolis satis ad salutem esse non censuit. Duodecim ergo nouos articulos fidei in Concilio Tridentino compositos,

a Æsop. fabu. Nasus cereus. Caliga nautica. Gladius Delphicus, Theologia nigra & atramentaria. Scripturarij, atramentales Theologi.

b Matth. Parisi. in Henrico 3. pag. 104.

c Lib. confor. Francis. pag. 304.

d. Vide bullam Pij quarti super forma iuramen. profess. orthodox. fidei annex. Concil. Tridenti. Sub Inno. 3.

positos, & à Pio scilicet quarto in symboli formam redactos, Paulo quinto authore publicauit. O sanctam matrem Ecclesiam, Patrem verò longè sanctiorem. Intereà palàm prætendit summam Christi in Papam indulgentiam & liberalitatem, Papæq; in Christum amorem & obseruantiam. Sed cum Babylonia iam vetula meretrix non modò faciem suam scitè fucare atque pingere, sed affectus intimos dissimulare, odium amore, amorem odio callidè præstruere longo iam vsu perdidicerit; non quid illa prætendat ampliùs, sed quid intendat, quiuis piè prudens suo iam sæpe damno maloq; doctus cogitabit. Scit illa Scripturã esse Papalis idololatriæ, luxuriæ, auaritiæ, superbiæ, sæuitiæ vindicem. Ringitur Christi Testamento Pontifici non honoris atque imperij, sed laboris & ministerij partem modò esse legatam. Dolet ab Apostolis sese Babylonem mysticam, Papam illum Antichristum præmonstratum. Odit igitur Scripturam, vt latro crucem: odit Apostolos, vt suos accusatores: odit Christum vt suum iudicem, sed odio occulto: quemadmodum amat Antichristum amore occulto, cui se vehementer inimicam esse simulat, vt cum illo per sanè familiares inimicitias gerere videatur. Ita sese etiam Scripturæ cultricem obseruantissimam mentitur, quemadmodũ primarum synodorum: nam & illam frequenter allegat in speciem, sed vt diabolus, violenter detortam; & has, sed vt falsarius fraudulenter corruptas: intùs angitur capiti vulnus inflictum suo per Scripturas, non vt à nobis expositas, sed vt ab illis synodis intellectas. Nihil autem tam molestè fert, quàm in primatu iurisdictionis suæ, id est, primario politicæ suæ religionis articulo, duos, vt vocat, fundatores suos adeò mutos testes fuisse,
1 Pet. 5. *S. Petrum & S. Paulum: S. Petrum, qui Presbytero vni dominationem in cleros disertè interdixerit, seseq; non Archipresbyterum, sed compresbyterũ non solùm humiliter, sed verè scripserit: S. Paulum, qui cum Epistolam ad Romanos ex composito mitteret, nullum de Papa deq; prærogatiua Romanæ Ecclesiæ verbum fecerit, neque de cæteris illis veluti posthumis articulis fidei, quos hæc iam multos introduxit. Et cũ dedita opera de perpetuo militantis Ec-*
Ephes. 4. *clesiæ regimine disputaret, multasq; colligeret vnitates; vnum Deum, vnam fidem, vnum Spiritum, vnum corpus, vnum Dominum; tum vnum visibile caput prætermiserit, oblitus Petri sui. Nec mirum, cum ipse Petrus sui fuisset oblitus. Quin potiùs regimen Ec-*

clesiæ inter Episcopos dispertiuerit, & aristocraticum sub Christo regimen voluerit esse, non monarchicum. Quemadmodum praxis proximè sequentis Ecclesiæ multis post sæculis confirmauit. Nam quinque Patriarchas æqualem habuisse authoritatem & Balsamon testatur & synodus Nicæna confirmat: & Bonifacium tertium non ante annum 607. scribit Franciscus Duarenus, non sine magna contentione obtinuisse à Phoca, vt œcumenicus crearetur Episcopus. Debet igitur Papa omnem regni sui gloriam parricidæ: & tamen videtur gratias agere Christo, perinde ac si ipse sententia sua, Pasce oues meas, Romanos Pontifices in Petro, vt seipsum scribit, compresbytero, Reges designasset tot antè sæculis quàm essent nati. Vt scitè Cicero cum senatusconsultum commentitium in Armeniam esset Syriamq́ perlatum tanquam in suam sententiam factum, gratias sibi per literas scribit actas ab vltimis Regibus, quòd illos sua sententia Reges nominasset: quos non modò nominatos, sed non natos esse nescisset. Sed Nicæna synodus sexto suo canone vehementer vrit Romanum Pontificem, quem Alexandrino parem facit. Nam ideo Pontifex canonem corrupit, qui primatum Romanæ sedis coarctasset. Nec eo contentus quinquaginta supposititios canones viginti veris synodi Nicænæ canonibus multis post sæculis affinxit, vt orbi fucum faceret, primatum suum, quem coarctatum liquet à Nicænis Patribus viuis, dilatatum à mortuis. Vt idem Cicero festiuè iocatur in Antonium, cum acta quedam Cæsaris falsa retulisset, ciues, qui essent in exilium pulsi à viuo, reductos à mortuo; ciuitatem, quibus negata est à viuo, datam à mortuo: immunitates infinitas, quibus erepta sunt à viuo, venditas à mortuo: quibus modis infinitam & perniciosam potentiam affectauit Antonius. Sic multa promit Acta Pontifex tanquam à Christo, tanquam ab Apostolis, tanquam à Nicænis Patribus profecta, quibus superbissimum occupauit in Ecclesia crudelissimumq́ dominatum. Et promit à mortuis. Nam à viuis nunquam sunt edita. Eodem etiam modo Patres Chalcedonenses mortuos inducit negantes illud, quod affirmauerant. Indicantes, inquiunt Chalcedonenses, vt sedes Constantinopolitana in rebus Ecclesiasticis non secùs extollatur & magnificetur atque Romana, secunda post illam existens. Quæ verba falsò recitantur, vel potiùs improbè deprauantur in iure canonico: dum vltimis verbis addit negatiuam, quæ totum canonem

Franc. Duarē. de sacris benef. lib. 1. cap. 10.

Cic. ad Petū, epist. 9. lib. 8.

Philipp. 1.

Corrupt. can. Chalcedon.

Distinct. 22. Renouantes.

in contrarium sensum detorquet; Non tamen in Ecclesiasticis rebus magnificetur vt illa, sed secunda post illam existens. Quid multa? Sex primæ synodi generales, quæ Christi mentem optimè nosse, & fidelissimè tradidisse de Ecclesiæ regimine sunt existimandæ, quamuis primatum ordinis & discriminis Episcopo Romano concederēt, primatum tamen potestatis & iurisdictionis denegarunt: & iuxtà sextum Nicænæ synodi canonem certos Romanæ sedi cancellos circumdederunt, quibus septa teneretur. Transiliuit tamen illa lineas & à Deo, & ab hominibus præscriptas. Deus quò puniret contemptum Euangelij, tam grauem veternum induxit orbi, támque vniuersalem apostasiam Ecclesiæ, vt dies ipsa defodiens condénsque nitentia, veprem illam sub terra latentem non in apricum modò produceret, sed in excelso, suprà omnes cedros Libani collocaret: primò suprà Episcopos in Bonifacio 3. deinde suprà Reges & Imperatores in Gregorio septimo, cuius à quatuor Concilijs, Wormatiensi, Papiēsi, Brixiensi, Moguntino pennæ toties incisæ, creuerunt tamen in successoribus eousq; vt suprà Concilia tandem euolaret. Donec tria Oecumenica Concilia, Pisanum, Constantiense, Basiliense, Papas non modò Papatu abdicarunt, sed Concilium suprà Papas esse decreuerunt. Nam Pisanum duos Papas Gregorium & Benedictum de gradu deiecit: & Alexandrum quintum elegit. Et Constantiense Iohannis vigesimitertij rescripto conuocatum, eundem fugientem examen, propter notoriam simoniam & detestabilem vitam & mores Papatu exuit, & pòst Gregorium decimumtertium non apparentem condemnauit, & vt membrum aridum abscidit, hæreticum & schismaticum planè incorrigibilem, quemadmodum illum appellat. Et ne temerè fecisse videatur, hæc sacra synodus generalis, inquiunt, in Spiritu sancto legitimè congregata, & repræsentans Ecclesiam Catholicam militantem, habet potestatē immediatam à Christo; (non dicit à Papa, sed à Christo,) cui potestati vnusquisq; cuiuscunq; status aut dignitatis, immò Papa ipse tenetur obedire. Porrò declarat, si Papa cōtumaciter recuset obedire statutis, ordinationibus, & præceptis, quæ vel hæc sacra synodus, vel alia vlla posthac synodus generalis legitimè cōgregata vel iam decreuerit, vel posthac decretura sit, eum cogendum ad condignam satisfactionem, & meritò puniendum. Et ita Iohanne vigesimotertio exuto & deiecto, Papā Martinum quintum elegit.

Constant. Concilij. sess. 1.
Sess. 10. & 12.
Sess. 4. & 5.
Sess. 10. & 12.

Papa

Papa & Concilium de maioritate & superioritate, vt loquuntur, diu certarunt: sed hîc vicit Concilium. Hic mihi venit in mentem non illepidæ cuiusdam fabulæ de ranæ pullis, quos absente matre vitulus elisisset pede suo, quem cum vnus è pullis elapsus, vt ingentem belluam matri ranæ describeret,

——Illa rogare

Quantane? Num tandem (se inflans) sic magna fuisset? Horat.Ser.2. Saty.2.

Maior dimidio, pullus inquit. Num tanto? rogat rana. Quum magis atque se magis inflasset? Non si te ruperis, inquit, par eris.

Duas ranas pede compressit suo synodus Constantiensis, quamuis examen fugientes: seq. Pontifice, quantumuis seipsum inflasset, maiorem & superiorem declarauit. Rectè, nisi duas etiam columbas oppressisset. Et poculum quod Christus in sacra cœna certis de causis populo dari præceperat, id à se pluribus de causis grauioribúsque, Sess.13. *scilicet, ademptum disertè pronuntiasset. Quod synodus Basiliensis posteà restituit, quæ Bulla Martini quinti conuocata, & Eugenij quarti, quem deposuit, literis confirmata, & Nicholai quinti, qui successit Eugenio, Bulla etiam sancita, Constantiensis Concilij decretum de potestate Concilij generalis suprà Papam, veritatem fidei Catholicæ esse declarat: & veritatibus duabus prædictis* Bas. Con. sess. 16. *pertinaciter repugnantem hæreticum censet.*

Ergo Papa se vel generali Concilio subyciat, vel se generalis Concilij sententia damnatum hæreticum fateatur necesse est. Hinc illæ lachrimæ, hinc occulta offensio in Scripturas, in synodos priores, & posteriores, (quamuis hæ Romanã superstitionem fouerent,) quia reprimerent ambitionem. Donec duæ tandem, Lateranensis & Tridentina, Papam euexerunt non modò suprà Concilia, sed suprà Scripturas, vt ipse, cum vellet, cornicum, quod dicitur, oculos configeret, & quasi decimustertius Apostolus doctrinam pro arbitrio suo Scripturæ contrariam constitueret. Ita non nisi post multa sæcula & discrimina Papa transcendit Episcopos, Reges, Concilia, Scripturas ipsas.

Tantæ molis erat Romanam condere sedem.

Cuius nunc nudũ nomẽ aduersus omnes nostros impetus, quasi Gorgonis caput, opponitur: Patres afferimus? Quid mirũ si, cum contra se stare viderit, reyciat singulos, quos contemnit vniuersos? Concilia adducimus?

adducimus? Priora à posterioribus, meliora à deterioribus, plura à paucioribus corriguntur. Scripturas allegamus? Quid proficimus, cum habeant sphingem domi, quæ pro sensu suo & commodo Scripturam tanquam ænigma soluat. Ita reuocant omnia scilicet ad matrem Ecclesiam, vel potiùs Patrem Ecclesiæ. Matrem enim faciunt generis masculini: & genus generalissimum reducunt ad indiuiduum, id est, Papam pro tempore dominantem. Cuius spiritu plena Synagoga nulli Apostolorum videtur clam infensior, quàm sancto Paulo: cuius se silentio non modò non adiutam sensit, sed læsam etiam testimonio, cum explosis operum meritis solā Dei misericordiam in Christo per fidem apprehensam hominis coram Deo iustitiam esse concluserit. Quæ cōclusio totum Papismum penitùs euertit, vt post magis intelligetur. Mordet ergo synagogam. Duas enim res tetigit ad viuum, mitram Pontificis, & ventres monachorum: nam fides in Christi solis fixa meritis & indulgentias ærarium Ecclesiæ minuit, & oblationes imaginibus fieri solitas tenuiores rarioresq́ effecit. Vnde synagoga S. Paulum non minùs, quàm Lutherum aut Caluinum interdum hæreseos subaccusat. Audiui equidem duos magnos Pontificios doctos senes, alterum fratrem Hieronymitanum in Portugallia, alterum in Gallia Iacobitam, cum Paulino testimonio pressi dicerent, alter S. Petrum sine dubio esse Catholicum, Paulum verò, nisi commodè exponatur, hæresim sapere videri: alter Pauli locos, Petro teste, difficiles intellectu, vt opus habeant Romano commentario: difficultatis, inquam, meminit Petrus, commentarij non meminit. In cuius Epistola, inquiunt, quicquid sonat contra Romanam fidem in eo nos rectum non assequi sensum, id quod etiam Rhemenses obseruarunt. Nam illa primo capite (inquiunt fratres) Romanæ Ecclesiæ fidem celebrauit, ad quam negat Cyprianus perfidiam accessum habere posse. At vndecimo capite, inquam, monuit eandem Ecclesiam, vt, si à Dei benignitate descisceret, caueret, ne, sicut Israelitica Ecclesia fuisset excisa, sic ipsa quoque excideretur. Potuit igitur excidi pace Cypriani dixerim. Actu etiam excisa est, cum ab illo fundamento, quod in sola Christi misericordia per fidem apprehensa positum est, excidisset. Alia igitur fides eius Ecclesiæ, quam Paulus Apostolus scriptis informatam celebrauit: alia huius quam Paulus Papa non scriptis traditionibus deformatam reliquit. Gloriatur hæc tamen, vt dixi, S. Paulo fundatore. Mallem

Rhem. Testam. argum. Epist. in gene. Epist. 50.

vteretur

vteretur authore. Sed nunquam faciet. Pluris æstimat Paulinas bullas, quàm Paulinas Epistolas. Quas tamen veteres Patres totius Scripturæ clauem rectè esse dixerunt. Quas Pontificij plerique sic metuunt, vt S. Paulo S. Iacobum non reconcilient, sed opponant: perinde ac si Iacobus Apostolus hominem coram Deo iustificari operibus, non sola fide, contrà Paulum Apostolum conclusisset. Cap. 2.
Cum Paulus nec eandem fidem nec eandem iustificationem intelligat, quam Iacobus. Nam ille fidem in corde fixam requirit: hic lingua solummodò iactatam reijcit. Ille viuam flagitat: hic repudiat mortuam. Ille diuinam, quæ promissionem apprehendit, semper inculcat: hic remouet diabolicam, quæ Christi tantùm historiam sine applicatione cognoscit. Ille frugiferam & per charitatem operantem celebrat & commendat: hic sterilem & pietatis officijs vacuam iure condemnat. Ille iustificationem coram Deo prædicat, quam Aquinas iustitiam imputationis vocat: hic iustificationem coram hominibus, quam idem iustitiam ostensionis appellat. Moses, vnde vterque testimonium deduxit Apostolus, vtrumque exponit, litemque dirimit introductam ab aduersario. Imputatio iustitiæ, cuius Moses meminit Gen. 15. 6. plus quàm triginta annis præcessit opus illud, quo Abrahamum coram Deo iustificatum esse somniant. Quam temporis circumstantiam Paulus grauiter expendens, fidem Abrahamo imputatam esse ad iustitiam coram Deo concludit quindecim annis, vt Moses notat, priusquàm Isaacum genuisset, & alijs quindecim ad minimum priusquàm immolare voluisset. Nodo insolubili constricti tenentur, quicunque iustitiam coram Deo Abrahamo imputatam comminiscuntur, quia filium immolauit, qui nondum natus est, quum Spiritus sanctus Abrahamum iustum fuisse pronunciat. Idque S. Iacobus versu 23. videtur etiam intellexisse, quemadmodum Oecumenius ex ipso loco colligit, Abrahamum iustificationis, quæ per fidem solam fit, imaginem fuisse, cum imputatum est illi ad iustitiam, quod crederet: & eius eti- Ver. 23.
am iustificationis, quæ est per opera, cum Isaacum filium super altare postea voluisset offerre. Ergo Abrahæ personam fides, fidem opus iustificauit, & perfectam declarauit. Hæccine pugna? hæccine oppositio est? præsertim inter duos sanctos Apostolos, qui suas Epistolas eiusdem instinctu Spiritus conscripserunt. Sed nulla res grauiùs intus vexat Synagogam, quàm quòd Paulus Apostolus Spiritu directore

rectore commentarium mysterij scripserit, quod S. Iohannes de magno illo Antichristo post edidit. Quem stellam deciduam facit, id est, apostatam à fide, vel potiùs apostasiæ principem, vt Paulus exponit. Iohannes angelum abyssi, clauigerum inferni, bestiam de terra ascendentem, Agnum duobus simulantem cornibus, Draconem voce referentem. Ergo specie vicarium Christi, reipsa aduersarium, ambitione Regum superiorem, Dei æmulum, vt Paulus explanat. Iohannes ordine septimum status Romani Regem, rediuiuam bestiæ prioris imaginem, tempore post occasum Imperij reuelandum, vt Paulus interpretatur. Ioh. loco communi vrbis septimontanæ dominum; speciali, in templo Dei, id est, in Ecclesia Dei sedentem, vt idem Paulus exponit: nam Regum throni Pontificum sedes vocantur. Officio ergo Pontificem, nomine vel Romanum vel Latinum, ingenio magnum hypocritam & egregiũ dissimulatorem, artificio præstigiatorem & institorem animarum, cultu idololatram, maleficio homicidam, deditum peccato, deuotum exitio, vt vterque definit. Ne aqua quidem aquæ similior, quàm Papa Antichristus. Sed S. Paulus eo non contentus Antichristianismum etiam definit non iniquitatem, sed iniquitatis mysterium. Deinde in tria membra diuidit, curiosas speculationes, insulsas superstitiones, Iudaicas ceremonias, ex quibus componitur; quas qui tenent, caput non tenent, vt inquit Apostolus. Obsecro te, Christiane Lector, quid tam simile, quàm Antichristianismus vetus & nouus? Vbi iam sunt, qui Papismum ab antiquis hæreticis ortum denegant? quem Apostolicæ veritati in multis, vt cum Turtulliano loquar, coætaneum Apostolico stylo legimus iugulatum, vt ex sequenti disputatione constabit. Itaque magis indignor quàm admiror Paulum Apostolum synagogæ Romanæ tantoperè displicere, qui Papismum ex paganismo, idiotismo, Iudaismo concretum esse præmonstret.

[Margin: Apoc. 9. / 2 Thess. 2. / 1 Tim. 4. 1 / Apoc. 13. / 17. / Coloss. 2. v. 8. 9. 10. &c.]

[Margin: Paruum Speculum Christi & Christianismi.]

Sed mihi iam ordienti totam Antichristi & Antichristianismi vim & naturam Latinis literis explicare, viua præmittenda videbatur & breuis effigies Christi & Christianismi, quem idem Apostolus mysterium pietatis definiuit: vt Euangelij veritas ex disputationum veluti labyrintho in lucem educta, hæresim Tridentinam authoritate sua vultuque conterreat.

Deus

[a] Deus Pater decreuit, teste Paulo, vt Filius suus vnigeni-tus ab æterno, [b] creator cœli & terræ, [c] Angelorum atque hominum, [d] splendor gloriæ & character personæ suæ,[e] non Angelicam sed humanam naturam assumeret, in qua [f] solus sine collegis totã hominis consummaret salutem. Deus filius, [g] Deus super omnia benedictus in sæcula, rumpatur Arrius rediuiuus licèt,[h] reuelatus in carne, approbatus in spiritu:

a Coloss. 1. 19.
b. Hebr. 1.10.
c Coloss. 1.16.
d Hebr. 1.3.
e Hebr. 2. 16.
f Hebr. 7. 25.
g Rom. 9. 5.
h. 1. Ti. 3. 16.

Verus homo verusq́ Deus, virgo sine patre
Quem peperit, genuit quem sine matre Deus:

[i] Vt erat in Melchisedecho adumbratus, ideoque [l] vnicus inter Deum atque hominem mediator, in plenitudine temporis decretum Patris impleuit, hominique sua sponte perdito Deum iratum reconcilians, excellentia Personæ, " sanctitate naturæ, obedientia vitæ, sacrificio mortis suæ " salutem meruit æternam solus. Non illi tantam gratiam in- " fundens, qua sibi salutem homo mereatur ipse, [m] sed mortis suæ meritum imputans, quod grata piaque mente suscipiat. Deus Spiritus ab vtroque procedens, salutem quam decreuit Pater, & meruit Filius, menti hominis patefacit, cordique obsignat, [n] datus non vt pignus, sed vt arrha, (quod ex Apostolo obseruat [o] Augustinus,) quia reddita pecunia mutuò accepta restituitur pignus; arrha autem soluto integro precio non redditur, quia pars est precij, quod non est auferendum, sed complendum, vt [p] ex Augustino docet Aquinas. Ergo Spiritus Christi datus homini, cœlestis hæreditatis arrhabo, non redditur. Sic Apostolus tria posuit cœlo terraque fir- " miora humanæ salutis fundamenta, æternum Patris decre- " tum, infinitum Filij meritum, irreuocabilem Spiritus arrha- " bonem. Vt opus salutis à Deo solo, sic notitia salutis à verbo Dei solo, vnde verbum salutis dicitur. Scribit [q] Galenus multorum in corpore morborũ causam esse à corrupto semine, vt hæreditariorum, vitiatoque alimento. Morbus animæ est hæreditarius, ab immundo semine, vt ait Iobus, qui peccandi consuetudine augetur quasi putrido nutrimento. Iam vt morbi corporum curantur contrarijs, sic & animarum. Quas Deus [r] mortuas immortali regignit semine, regenitas puro pascit alimento, ægras salubri sanat medica-

i Heb. 7. 3.
l. 1. Tim. 2. 5.
m Rom. 4. 24. 25.
n. Ephe. 1. 14.
o. August. in locum.
p. Aquin. in locum.
q Gal. lib. 2. de sanitate tuenda.
r 1. Petr. 1. 23. 2. 2.

„ mento, id eſt, puro puto verbo Dei, qui verus Pater, paſtor,
„ medicus animæ cenſendus eſt. Vtitur tamen hominibus ad eā rem, vt inſtrumentis, quos mittit & mouet, vt primùm pœnitenti prædicent promiſſam gratis in Chriſto per fidem veniam atque abſolutionem omnium peccatorum ſuorum: abſoluto deinde præcipiant duo, vnum vt Deo trin-uni pro tam ineffabili ſalutis beneficio ſoli pietatis rependat officium; alterum vt homini propter Deum viuo Dei ſimulachro charitatis impendat auxilium. Obedienti demum proponat internam in terra pacem, æternam in cœlo hæreditatem. Ita vi-
„ ri Dei hominem mærentem erigunt promiſſo, errantem diri-
„ gunt præcepto, languentem excitant præmio: ſed viri Dei extrà loquuntur, Spiritus Dei intus operatur. Illi hæc auri tantùm ingeminant, hic cordi ingenerat fidem, charitatem & ſpem: fidem, quæ promiſſum apprehendat: charitatem quæ præceptum obſeruet: ſpem, quæ præmium expectet.[s] Non enim hominem Deus idoneum inuenit, ſed facit ad participādam hæreditatem Sanctorum in lumine, quem non volentem eduxit, ſed reluctantem eripuit è poteſtate tenebrarum ereptumque tranſtulit in regnum lucis, regnum filij dilectionis ſuæ.[t] Inuenit enim hominem nondum renatum, mortuum in peccatis, non ſemimortuum, ſed planè mortuum; non paralityco ſimilem, qui æger in lecto decubuit, ſed Lazaro, qui iam quatriduò fœtuit in ſepulchro: adeò peccator omnis priùs, quàm potentem Chriſti vocem intùs audiat, in ſepulchro vitiorum ſuorum contabuit atque computruit. Ex quo peccator ſurgit & procedit vt Lazarus, in vtroque enim Domini potentia eſt, non vires mortui,[u] quemadmodum Paulum exponit Auguſtinus. Sic, vt opus habeat non adiutrice gratia, qua conualeſcat, ſed creatrice, qua reuiuiſcat. Ac iam merè paſſiuè ſe habeat, nihiloque plus conferre peccator queat ad conuerſionē ſui, quàm Lazarus ad ſuſcitationem ſui: cui Chriſtus voluntatem non infirmam iuuat, ſed creat nouam,[x] vnde peccatoris conuerſio noua creatio dicitur. Non reſpectu naturalium facultatem, moraliumuè virtutum, quas peccatum corrupit modò, ſed gratiarum ſpiritualium, quas extinxit, vt ex Auguſtino Magiſter ſententiarum poſuit.

s Coloſſ. 1. 12.
t Epheſ. 2. 1.
u Auguſt. Tractat. in Iohan. 49.
x Galat. 6. 15. Epheſ. 2. 10.

posuit. Igitur imago Dei animæ impressa, quoad substantiam, deformata modò, quoad qualitates deleta penitùs est habenda. Vt [y] Gregor. Nyssenus docet. Ita abolitæ imaginis restitutio est defuncti hominis resurrectio. Hic genius, hæc indoles Apostolicæ doctrinæ; deprimit hominem, vt extollat Deum: corruptam abijcit naturam, vt salutarem efferat gratiam. Viuat igitur homo oportet in Deo, atque adeò etiam à Deo, priùs quàm boni aliquid aut velit aut cogitet; merè passiuum priùs subiectum gratiæ, donec Christi Spiritu veluti recalescens conuersionem suam velle incipit, fitque voluntarium gratiæ instrumentum, nulla voluntatis innata insitaque vi, sed virtute seminis gratiæ, nouæque vitæ quam acceperit à Deo. Ita Paulus distinguit inter hominem conuertendum & conuersum. Illum omninò peccati seruum ponens, quia à peccato victum: hunc ex parte liberum, quia à filio liberatum. Non statuens illum ex parte liberum, ne faciat sacrilegum; nec hunc omnino seruum, ne reddat ignauum. Non renato igitur omnem non volendi, sed bene volendi facultatem adimit, ne naturalis superbiæ cristas erigat: & renato aliquam bene volendi facultatem concedit, ne spiritualis industriæ neruos incidat. Vt autem hunc mortuum animet Deus, & imaginem Dei deletam reparet ac reficiat, [z] veram Dei nostrique notitiam menti, iustitiam & sanctimoniam voluntati hominis insculpit atque imprimit: cœcum illustrat immisso sapientiæ lumine, nudum ornat induto iustitiæ vestimento, insulsum imbuit infuso sanctimoniæ condimento: [a] vnde Christus à Deo factus homini fideli sapientia, iustitia, sanctificatio dicitur. Duplicem iustitiam & vitam Christiani commemorat S Paulus. Vnam qua viuit coram Deo, alteram qua viuit coram hominibus [b]. Per fidem coram Deo, per apprehensionem Christi: [c] per charitatem coram hominibus, per exercitium pietatis. Ita non sunt bona opera causæ iustificationis, sed iustificatio causa bonorum operum, vt disputat [d] Augustinus; nec per virtutes ad fidem, sed per fidem ad virtutes peruenimus, vt Beda ex Gregorio colligit. Alius ordo in moralibus, alius in diuinis; alius apud Aristotelem, alius apud Paulum. [e] Illic homo iusta iustè

y Greg. Nyss. de oratio. Dom. Ser. 5.
z Ephes. 3. 10.
a 1 Cor. 1. 30.
b Gal. 2. 20.
c Gal. 5. 6.
d August. de spir. & lit.
e Aristot. 3. Ethic.

 agat

agat oportet priùs, quàm iustus sit; hîc priùs iustus sit oportet in alio, quàm vel iusta vel iustè agat in seipso. Vt Christus factus pro nobis peccatum, sic nos iustitia Dei in Christo.

f 2.Cor. 5. vlt. [f] Christus ipse sanctissimus peccatũ factus imputatione peccati nostri: nos igitur peccatores iusti tantùm imputatione iustitiæ Christi. [g] Quemadmodùm Apostolum exponit Augustinus, & Augustinum Anselmus. Ipse ergo peccatum vt nos iustitia; nec nostra, sed Dei sumus, nec in nobis, sed in ipso; sicut ipse peccatum non suum, sed nostrum, nec in se, sed in nobis. Sic Augustinus. Sic [h] Anselmus, Ille peccatum, inquit, vt nos iustitia, non nostra, sed Dei, non in nobis, sed in illo: sicut ille peccatum, non suum, sed nostrum, nec in se, sed in nobis. Vterque igitur cum Apostolo imputatam Christi iustitiam nobiscum agnoscit, vtcunque Synodus inhærentem iustitiam formam iustificationis faciat, & Rhemenses imputationem iustitiæ prophanè derideant, quam tamen Pighius confitetur. Peccator igitur mortuus in seipso, iustus viuit in Christo, & viuit non sibi, sed Deo: sed ita viuit, vt in se sentiat luctam illam spiritus & carnis, quam Apostolus non in alijs modò Christianis, sed in seipso ad aliorum consolationem agnouit. Non quod volo facio bonum, inquit Apostolus, sed quod nolo malum id facio: quod vir malus non malè expressit:

g August. in Ench. cap. 41.

h. Ansel in locum.

Odi, nec possum cupiens non esse quod odi;
Heu quàm quod studeo ponere, ferre graue est!

Nisi quòd Apostolus de motibus loquatur concupiscentiæ, quibus voluntas non consensit, iste de fœdis affectibus, quibus voluntas se immersit. Quos tamen vi naturalis conscientiæ odisse se dicit. Quo verò tempore primùm homo viuere incipit in Deo, peccatum mori incipit in homine. Lethiferum enim in radice vulnus accepit, quoad reatum; donec au-
" tem perfecta sepultura sanetur remanet mortuum, non am-
" putatum, vt humiliemur; non imputatum, ne deijciamur.
" Habitat in nobis peccatum veluti Iebusæus, subactus, non ex-
" pulsus. Subactus timorem nobis eximit, non expulsus ex-
" cutit securitatem, vt cum eo luctari multo sit salutarius quàm
" omnino hostem non habere. In hac lucta nobis gratia Dei

succurrit,

ſuccurrit, duplici nos muniens ſacramento, Baptiſmi, & Cœnæ Dominicæ: illic fons regenerationis effunditur, hîc panis vitæ nobis apponitur: inde lauacrum ſalutare pollutis, hinc conuiuium ſpirituale languentibus, vt vtrinque vires ad luctandum aſſumere poſſimus. Ita virtus Dei in noſtra infirmitate perficitur, quæ cum ex noſtris cicatricibus pugnandi ſtudium acuit, tum ex ſuis ſubindè ſuppetijs ſpem certam nobis vincendi facit. Nam ex lapſu luctum elicit pro peccato, ex luctu luctam incitat cum peccato, ex lucta victoriam peccati ducit: ſic ex Theriace medicinam, ex morbo ſalutem parit. Nec intereà nos interno ſolatio priuat, dum æternum triumphum præſtolamur. Sed in lucta propitiatorium nobis identidem oſtendit; poſt luctam, quæ deſinit in morte, confeſtim Sanctum ſanctorum aperit: ſic nec deeſt pax conſcientiæ viuis, & aderit requies animæ defunctis. Ita fit vt hæ fractæ peccati reliquiæ filijs Dei per gratiam Dei proſint, dum ex illis ſuperbiæ componit antidotum, ne ſuorum operum meritis inflentur. Quò deteſtabilior Synodi doctrina cenſeri debet, quæ fidelibus vitam æternam ex meritis operum reddendam eſſe decernit, quam Apoſtolus non ſtipem ſerui, ſed hæreditatem filij proponit; non ſolutam ſpirituali obedientiæ, ſed datam ſpirituali genituræ, vt Apoſtolum exponit Auguſtinus: coronam iuſtitiæ reſpectu Chriſti, qui meruit; coronam miſericordiæ ratione noſtri, quibus meruit, reddendam à iuſto Iudice, non ex pondere humani meriti, ſed ex vi diuini promiſſi: & reddendam ſecundùm opera, non propter opera, vt ex Apoſtolo Gregorius Papa diſtinguit. Grego. in 7. Pſal. pœnitential.
Studium igitur bonorũ operum vrgendum, quia Deus te ſecundùm opera iudicabit: ſed meritum deteſtandum, quia te nunquam propter opera ſeruabit. Quicquid enim rectè facis à Deo eſt: non eſt meriti humani, ſed beneficij diuini. Deo igitur id debes, vt creatura creatori, vt mancipium redemptori: agnoſce te ſeruum, qui iure Domino tuo debes obſequium; quòd te Deus appellet filium, agnoſce gratiam, non obliuiſcere naturam. Neq; mereri te quicquam putes, quòd beneſeciſti, quia facere debuiſti. Porrò memento, operi tuo quantumuìs bono quod purè fluit à Spiritu, admixtum tamẽ

fœcis aliquid à carne, vt hoc ipſum quoque quod iuſtè videmur viuere culpa ſit, ſi opus noſtrum cum iudicat diuina ſeueritas, apud ſe diuina miſericordia non excuſet. Ita vitium operis pœnitenti condonetur ex gratia oportet priùs, quàm opus ipſum coronetur ex promiſſione. Poſtremò ſtatuit Apoſtolus, paſſiones huius vitæ non eſſe dignas gloria quæ reuelabitur. Vt ſi homo mille annis ſeruiret Deo, etiam feruentiſſimè, non mereretur ex condigno dimidium diem in regno cœlorum, quod dixit Anſelmus: etſi millies moriamur, etſi omnes animæ virtutes expleamus, nihil tamen dignum poſſumus agere terrenis bonis, & præſentibus quæ à Deo quotidie percipimus, nedum cœleſtibus & futuris, quæ expectamus, vt Hieronymus, Chryſoſtomus, Baſiliuſque docuerunt. At meriti ratione tollenda virtutis ſtudium refrigeſcet. Forſan in ſpurijs, qui Deo ſeruiunt animo ſeruili & mercenario, ſed in filijs non item, qui colunt Deum Patrem ſpiritu liberali & voluntario, quem illis Spiritus adoptionis dedit, qui teſtatur illorum ſpiritibus ipſos eſſe filios Dei, & hæredes cœli, & cohæredes Chriſti. Quòd ſi amor Dei ille gratuitus, quo motus te à morte ad vitam reuocarit, tibique omnes tuas iniquitates remiſerit, & ſanarit angores, teq; ſuis miſericordijs, (attende quid Propheta dicat,) nō tuis meritis, ſed ſuis miſericordijs coronarit; ſi amor, inquā, iſte gratuitus tibi gratuitam obedientiam non eliciet, nihil vnquam eliciet.

Anſelm. de menſura crucis.

Hieron in hunc locum.

Multa ſunt argumenta mouentia, quibus perſuadet nobis Apoſtolus vt piè, iuſtè, ſobrieq; viuamus; vt operibus bonis, quæ quamuis non placēt Deum, placent Deo tamen, illuſtremus Dei gloriam, noſtramque nobis electionem & vocationem confirmemus. Sed nihil eſt paterno Dei amore potentius ad ingenuos filiorum animos permouendos. Eſt hæc voluntas Dei, ſanctificatio & ſalus noſtrûm omnium; quos ad fines Deus nos elegit ab æterno; vocauit, & iuſtificauit in tempore; glorificabit in æternum. Ita miſericordia Jehouæ ergà filios ſuos ab æterno in æternum; quibus ſalutem in electione decernit, in vocatione declarat, in iuſtificatione inchoat, in glorificatione conſummat. Qui Dei Spiritu perſuaſi certò ſciunt ſeſe in Dei gratia & eſſe iam, & ſemper fore; fide

ingreſſi in ſtatum gratiæ, fide ſtantes, fide ſub ſpe gloriæ Dei glorіantes, vt docet Apoſtolus: quem locum ſic Chryſoſtomus exponit, vt ei qui fidem ſuam obſtrinxit Deo, non ſolùm plenam factam eſſe ſentiat oportere perſuaſionem de ijs quæ data ſunt, ſed de futuris, tanquam iam datis. Vt ſtatus regenerationis ſtabilior quàm creationis cenſeri debeat. Fuit enim ſtatus primi Adami mutabilis, ſecundi immutabilis, cuius vera viuaque membra omnes filij Dei exiſtimandi ſunt. Quarè ſi ſtatus Chriſti ſit immutabilis, ſtatus verè Chriſtianorum, qui Chriſto per fidem inſiti fide ſua viuunt, & viuent (vt ex Propheta notat Apoſtolus) immutabilis ſit neceſſe eſt. Datum enim eſt Adamo, poſſe non mori, vt loquitur Auguſtinus: datum Chriſtiano, non poſſe mori. Tria, Bernardus inquit, conſidero, in quibus tota ſpes mea conſiſtit: charitatẽ adoptionis, veritatem promiſſionis, poteſtatem redditionis. Quæ ſic roborant & cõfirmant cor meum, vt nulla me penuria meritorum, nulla conſideratio propriæ vilitatis, nulla æſtimatio cœleſtis beatitudinis, ab altitudine ſpei deijcere poſſit in ea firmitèr radicatum. Murmuret igitur quantum voluerit inſipiens cogitatio mea, dicens, Quis es tu? aut quanta eſt illa gloria, quibuſvè meritis hanc obtinere ſperas? Et ego fiducialitèr reſpondebo, Scio cui credidi, & certus ſum, quia in charitate nimia adoptauit me, quia verax in promiſſione, quia potens in exhibitione Deus meus. Hæc Bernardus ex Apoſtolo: qui ſtatum regenerationis non modò promiſſo, ſed iuramento Dei, cuique filio Dei certiſſimè confirmatum eſſe demonſtrat. Quem veræ fidei, & actuoſæ charitatis, & viuæ ſpei, & ſeriæ pœnitentiæ, & nouæ obedientiæ compotem facit, & hæredem promiſſionis appellat. Cui Deus, vt Abrahamo Patri, ſic Abrahami filio volẽs vberiùs oſtendere immutabilem conſilij ſui firmitudinem, non promiſit modò, ſed iurauit, ſe illi, quod promiſerit, præſtiturum. In Deo idem eſt iurare quod dicere. Tamen vt nos validam conſolationem habeamus, qui ad ſpem Heb. 6.
propoſitam obtinendam confugimus, quam velut anchoram habemus tutam & firmam, intrà velum, id eſt, cœlum ingreſſam, quò ipſe Chriſtus præcurſor noſter eſt ingreſſus; per

duas

duas res immutabiles,promiſſum & iuramentum, ſtatum nobis immutabilem confirmauit. Accedat ad iuramentum Dei oratio Chriſti, qua Deum Patrem orauit, vt nos eodem amore, quo ſeipſum comprehenderet, id eſt, æterno; & eadem gloria, qua ſeipſum, coronaret: ſed non ſolùm precatus pro nobis, ſed etiam mortuus, immò rediuiuus; & in cœlum receptus, vt perpetuò pro nobis intercederet. Qui ſuum nobis Spiritum reliquit, quò cœleſtem nobis hæreditatem obſignaret. Ergo Deus filijs ſalutem æternam ſuis, non ſolùm promiſſo, ſed iuramento,precatione & ſacrificio Chriſti,& ſigillo Spiritus ſanciuit,vt de ea minimè dubitarent. Et tamen impia ſynodus decreuit,neminem ſcire poſſe certitudine fidei infallibilis ſe eſſe in ſtatu gratiæ, nedum fore, ſed de ſua gratia quemlibet formidare ac timere poſſe. Vt omnia ſuprà poſita ex Apoſtolo humanæ ſalutis fundamenta penitùs euertiſſe videatur, quemadmodum ex Pontificij ſymboli explicatione conſtabit. Reſtitit huic tam impio decreto etiam tum in ipſo Concilio Antonius Marinarius; qui credentium & perſeuerantiam ſecuram,& ſecuritatem perſeuerantem fidentèr prædicauit. Reſtitit Ambroſius Catharinus, qui defendit filium Dei certitudine fidei noſſe ſeipſum eſſe in ſtatu gratiæ, & iuſtum poſſe æquè eſſe certum ſe ſtare in gratia, ac quiſquam poteſt eſſe certus eſſe Romam,etiam ſine dubitatione ac timore, vt apertè Concilio contradiceret. Oppoſuit ſe pòſt Albertus Pighius, qui iuſtitiam nobis per ſolam fidem ad vitam imputatam data opera defendit. Acceſſit Concilium Colonienſe, in quo multi docti Theologi: Verum eſt, inquiunt, & requiritur ad hominis iuſtificationem, vt certò credat non ſolùm in genere, eos qui verè reſipiſcunt veniam per Chriſtum adepturos; ſed hominem ipſum qui credit, remiſſionem peccatorum obtenturum per fidem in Chriſtum: quod ex Apoſtolo, Bernardo interprete, didicerunt. Habes, lector, ſpeculum Chriſti, ſynopſim Apoſtolicæ doctrinæ neceſſariò præpoſitam Tridentinæ, quæ noſtram anathemate percellit, pleniùs pòſt explicandam & propugnandam. Cuius ea vis eſt, vt humanæ reſecet ſuperbiæ plumam, diuinæ proferat gratiæ gloriam,pietatis acrem ingerat ſtimulum, ſalutis

Enchiri.Chriſtia. inſtit.in Concil.Colonien.pag.139.

ſalutis firmam ſtatuat anchoram: vt filij Dei in peccato humiles, in beneficio grati, in vita ſancti, in morte alacres redderentur.

Quam doctrinam ſynodus conuellit: ex qua duodecim noui prodierunt articuli fidei, quos Pius quartus in ſymboli formam reductos impoſuit per bullam ſuis ſub iuramento publicè profitendos.

Qui quamuis ab hæreticis orti & proſeminati fuerint, tamen & orthodoxæ fidei nomen præferunt, & Apoſtolos ementiuntur parentes, quò ſe Chriſtianis inſinuent pluribus. Vt Lambertum olim accepimus ſimulato comitis Varuicenſis nomine & ſanguine ſectatores habuiſſe non paucos, cum reuera ſacerdotis nequiſſimi ſpurius extitiſſet. Ita duodecim ſymboli Pontificij nothos planè atque adulterinos articulos quiſquis cum veris illis ſymboli Apoſtolici & germanis articulis compararit, nihilò ſimiliores Apoſtolicis, quàm ſacrifici Symondi nothum Ducis Clarentiæ filio fuiſſe reperiet. Iamdiù ſcholaſtici & canoniſtæ acriter inter ſe litigarunt, vtrùm Pontifici nouos articulos fidei condere liceret. Hîc Bellarminus nuper tanquam honorarius arbiter rem determinat in Torto. Articulos in duo genera diffindit. Alios immediatæ reuelationis eſſe ſcribit, alios ex ea deductos & explicatos, qui tamen fide Catholica credi debeant. Quàm ineptè poſt videro: nunc quid teneant, oſtendo. Primi generis articulos Bellarminus à Papa cōdi negat poſſe. Quod perinde eſt ac ſi negaret Solem à Papa condi poſſe, iam globo ſuo Dei manu tot antè ſæculis affixum. Secundæ editionis articulos à Papa condi poſſe diſertè affirmat. Quaſi diceret, Cuius libri ſe explicatorem atque interpretem profitetur, eiuſdem ſe authorem eſſe & conditorem.

Iam deductos Ieſuitæ in alia duo membra ſecuerunt, quamuis inter ſe tanto artificio intertextos, vt diſtingui difficillimè queant. Alios enim practicos ponunt, quibus perduellio alitur; alios dogmaticos, quibus ſuperſtitio fouetur. Illos myſticè & occultè ſerunt, hos verò palàm & apertè. Practicos ſtatuo & myſticos illos de Papali poteſtate in deponendis Regibus per ſententiam excommunicationis, & abſoluendis ſubditis à iuramento fidelitatis: de rebellionibus & coniurationibus celandis ſub ſigillo confeſſionis, de clericis eximendis à iudicio Principis ſui ſecularis, de poteſtate Papæ ſuprà Concilium, cæteriſque ſceleratis propoſitionibus generis eiuſdem,

quas Parisiensis curia nuper iugulauit. Et sacerdos quidam moderatus, vt inscribitur, responsor, quo tectiùs & impuniùs professos superstitionis articulos doceat, mysticos illos perduellionis articulos peruellit: quam ob causam scribit salarium sibi suiq; ordinis sacerdotibus à Pontifice denegatum. Cui respondeat censeo, sicut asina Balaamo. Annon ego sum animal tuum, cui insidere consuesti vsque in præsentem diem? dic quid simile tibi vnquam fecerim? & nunc quia te veritatẽ docens semel offenderim, tu me verberabis? & meũ mihi pabulũ denegabis? Si me audiant huiusmodi sacerdotes, tã ingratũ & iniustũ dominum planè relinquant, & ad nos se recipiant. Nam vereor ne, dum ipsi inter nostrates apertos superstitionis articulos furtim disseminãt, vt eos à fide Christi auferant, Iesuitis discipulos præparent, quos illi non multò post occultis perduellionis articulis imbuant, & à fidelitate atq; obediẽtia Regis abducãt. Hi sunt deducti ex deductis, veluti spurij quidam ex spurijs orti, viperæ natæ de viperis, posteriores prioribus nequiores, mox daturi progeniem vitiosiorem. Deducti autẽ ex immediatis reuelationibus, vt finguntur, veritatẽ hæresi præstruunt, vt eorum authores iustitiam sceleri prætendunt. Sed est hoc omnium hæreticorum ingenium, vt ex generali veritate proposita semper assumant atque eliciant hæresim, quæ quasi venefica deceptis sacrum immittit furorem mentibus. Pelagiani è generali gratiæ & diuini auxilij propositione speciale quoddam hæresis suæ assumptum venenum tantò faciliùs simplicium animis instillarunt. Pontificij reuelatos illos articulos de Christo generatim tenentes, hæreticum virus animis infundunt altiùs dulci generalium sapore conditum. Exemplũ vnum apponam, quod pateat latiùs. Christum in genere credunt ascendisse in cœlum, sedere ad dexteram Patris, indeq; venturum ad iudicandum viuos & mortuos. Tamen inde Christum sacerdos quotidiè deducit, è cœlo videlicet in sacramentũ, vt in sacramento sit corporaliter præsens, quẽ patet cœlo contineri oportere, donec omnia consummentur. At hîc distinguunt Christum venturum è cœlo semel visibiliter ad iudicium, sed venire quotidie inuisibiliter in sacramentum. O præclaram deductionem, quæ principium, vnde exprimitur, vertit. O distinctionem egregiam, quæ primarium articulum distinguendo penitùs extinguit! Sed ita nimirum hæresis labro poculi quasi melle illito guttatim influit iucundiùs & illabitur. Vt Pius quartus vetus

& verum Symbolum Constantinopolitanum, quod & Romanum appellant, procemium fecit introducendo nouo & suo. Quod cum mihi indignum videretur, nouum hoc fidei Symbolum à Papa sacrilega mente compositum, totius Antichristianismi quasi compendium, latino Dialogo disceptandum putaui, tributo in libros tres. Primus Dialogus Antichristum inducit, vt actorem in scena: secundus & tertius, vt Doctorem in Cathedra. Primus praxim belluæ plenè describit, ideóque inscribitur Pragmaticus Antichristus, siue Hildebrandus rediuiuus. Nomen sumens à Cæsare Baronio, qui vt Paulum quintum in Venetos incitaret, Videre mihi videor, inquit, sedentem in Cathedra Petri Gregorium septimum, & Alexandrum tertium, duas radices Ecclesiasticæ iam collapsæ libertatis, ambos ex Senensi metropoli, vnde vestra Sanctitas originem ducit: quorum alter expugnauit Henricum peruersissimum Imperatorem, alter mira constantia resistens, Fredericum penitùs superauit. Idem tibi certamen ineundum. Ergo Paulus quintus Baronij iudicio Hildebrandus rediuiuus. Quòd si Papa cum Principibus, vt Baronius hortatur, Gregorizet aut Alexandrizet, oro Deum per Iesum Christum, vt seruet Principem, qui cum Papis, sed meliore successu, Henrizet atque Frederizet. Secundus & tertius Dialogus Antichristi Dogmata disceptat, ideóque Dogmaticus inscribitur Antichristus, siue propriè Symbolum Papæ, quia continet articulos publicè profitendos: imprimisque primatum illum incomprehensibilem, qui Papistis est transcendēs, cum Apostolis non sit Ens, caput Goliæ, caput malum, caput malorum omnium, quod in secundo Dialogo cernes omni ratione defensum, tamen lapide è verbo Dei iacto dices comminutum. Sed quoniam sceptrum ex pedo fecit, secundus Dialogus propriè rectè inscribitur, Pastor regnans. Sequor, vt possum, non passibus æquis, eximios quosdam Patres Ecclesiæ nostræ, qui cum Antichristi graues, vt videntur, & probabiles opiniones grauitèr & solidè refellunt, tum ineptas & noxias institutiones lepidè nonnunquam salséque deridenr. Ludit interdum veritas hæresim, quia secura est, vt ait Tertullianus. Dedecet certè Theologum scurrilis iocus, non dedecet ingenuus ex re causáque natus lepos, quem cuique etiam temperatissimo non exprimere non potest in ficta grauitate & pastoritia maiestate sua ridiculus Antichristus. Prudentèr Poeta,

Cæsar. Baron. in sentent. sua cont. Venetos.

——Ridiculum acri
Fortiùs & meliùs magnas plerumque secat res.

Verùm Pontificij ægrè ferunt Papam suum Regi collatum derideri, quasi suum in Iaponia protulisset imperium vltrà campos Cuticulindonios: & Cardinalis vanitatem Regi sese arrogantissimè componentis festiuè nonnunquam vellicari dolent: sed pratum illud in Purgatorio florentissimum à docto sene confictum eludi ioco permolestè audiunt. Sed quis tam odiosas comparationes, tam superbam vanitatem, tam aniles fabulas non ioco potiùs eludendas, quàm graui argumento diluendas arbitraretur? vt impias Baalitarum ineptias Propheta derisit pluribus, & Pseudoapostolorum circumcisionem Apostolus concisionem lepidè appellauit. Adeò ridiculæ sunt nugæ, quas isti pias fraudes appellant: adeò fastuosæ vanitates, quas populo decepto, quasi fræna quædam inyciunt, vt vir prudens etiam in media Papismi nocte Papam non deridere non posset. Henricus secundus cum Papæ nuntium Vindesori lautè accepisset, & ceruum venando iam cepisset, Viden', inquit, domine, quàm præpinguis fera sit, & tamen Missam nunquam audiuit. Et cum alius Papæ nuntius Ottobonus, nobiles Angliæ quosdam rebelles vt diris configeret, ad castrum Killingworthi purpura & galero indutus accederet, ferunt illos statim albo indutos indusio vestitum excitasse Chirurgum quendam, qui Ottobonum anathemate repungeret, & iocum addidisse, Anathema candidi non minùs quã rufi sacerdotis esse metuendum. Quod licuit Regibus & nobilibus Pontificys Papæ filys, in Papalem superbiam & superstitionem dicta dicere: liceat Regi, qui Papam patrem non agnoscit, superstitionem, quam ex verbo Dei non modò noxiam, sed insulsam esse didicit, nonnunquam falsè dicto perstringere. Vt doctus ille Marnixius in Alueario, cum cæteras Papismi leuitates, tum fictitias hasce inferni cellulas perpetua quadam ironia & faceta præuaricatione derisit. Miror equidem ni Papa & Bellarminus tanquam duo aruspices rideant inter se, quòd orbẽ tam habeant aptũ cui imponant. Ego mehercle non scommata, sed argumenta consector. Et doleo magis quàm rideo, cum Papam, magnum Dei flagellum considero, nec Papistam odi, sed Papismum: hæresim, non homines mordeo: hæresi exitium, hominibus salutem exopto.

Hunc nostri seruare modum didicêre libelli,

Parcere

Parcere personis, dicere de vitijs.

Ne Iesuitæ quidem personam taxandam putarem, nisi quòd personam nobis omnibus vita nostra chariorem, quam militari obijcit gladio, calamo priùs vulnerat anserino. Cuius liber illis conuitiatoribus, si esset in illis vlla vel mica gratiæ, ad salutem prodesse plurimùm potuisset; cui verè quadrat illud prudentis Poetæ:

Omne tulit punctum qui miscuit vtile dulci.

Verùm cum Iesuitæ sese non Aristarchos modò scriptorum nostrorum, vt inquit Orator, sed Phalares censores ostendant, neque notam apponant ad scripta, sed scriptores flammis & ferro persequantur: nec libros nostros modò nigro sale, sed & Curiam stygio puluere perspergant, gratias habeant nostris, qui pro factis talibus dicta regerunt: & ab ijs se nonnunquam styli libertate perstringi ferant, quos sceleris sui furore violarunt, Quò quidem omnes nostri Scriptoribus nostris pietate doctrináque præstantibus æquiores esse deberent: quos à quibusdam tamen audio (paucis illis quidem, vt spero, falsis fratribus,) Iani similibus, interdum carpi leuitèr atque arrodi solere. Qui si nostri non sunt, digniùs faciant, si seipsos magis aperiant: si nostri sunt, vt esse malo, sanctis nostrorum laboribus faueant. Nisi fortè audire cupiant ex aliquo scriptore nostro, quod ex Martiali quidam criticus audiuit momus Lælius: Cicer. in Pison.

Cum tua non edas, carpis mea carmina Læli:
Carpere vel noli nostra, vel ede tua.

Nam molestum & indignum est illorum scripta Theonino dente clàm circumrodi à falsis fratribus, quorum iugula cumprimis leonino rictu palàm petuntur ab apertis inimicis. Nemo ferè Scriptorum nostrorum est, qui non Papam scripserit esse Antichristum. Sed sunt quidam apud nos homines moderati valdeq; politici, qui tam aculeata conclusione irritari & exacerbari aduersarium, & compositionis inter partes pacisque spem omnem penitùs præcidi nolint; inter quas verborum magnam putant, rerum paruam vel potiùs nullam discrepantiam: Deum vtrique Ecclesiæ peræquè charum, Deo vtriusq; Liturgiam peræquè gratam videri: in vtraque salutem esse, cum vtraque Christo fundamento nitatur: posse Papistam etiam, quamuis claudicantem, ad cœlum accedere: nec tantum odium Papistarum esse, quantum nos facimus; nec ab ipsis

ſua ſponte conceptum, ſed huiuſmodi dentatis argumentationibus incenſum: Remq́; facillimè conuenturam fuiſſe, niſi quidam feruentiores Theologi litem exulceraſſent. Hæc tepidiores quidam Chriſtiani neutriq́; & vtrique videntur moderatè & politicè diſputare. Sed tua, Chriſtiane lector, religioſa prudentia meliùs nouit, Synagogam Romanam eſſe idololatricam, ideóque Deum odiſſe, Moſe iudice, Deóque viciſſim exoſam haberi: nec Cainum vlla Abelis iniuria, ſed ſua malitia pietatiſque odio prouocatum fuiſſe: & quamuis vterque in Adami domo Deo facere ſoleret, Caini tamen ſacrificium reiectum, Abelis acceptum: Deóque propter perſonam opus, non propter opus placuiſſe perſonam; id quod S. Gregorius ex Moſe colligit; eò quòd perſona priùs fide iuſta extitiſſet, vt docuit Apoſtolus, Hebr. 11. Neque ideò minùs realem eſſe inter Papiſtam & Proteſtantem, quàm inter Cainum & Abelem cultus & fidei differentiam. Nec minùs implacabilem animum Synagogæ in noſtram Eccleſiam, quàm Caini in Abelem, aut Iſmaelis in Iſaacum fuiſſe: eumque non priùs contentionis flabello, quàm promiſſionis odio excitatum. Ac quemadmodum Iſmaelis odium in promiſſionem, quam irriſit, larua quadam circumciſionis obtectum, in filium promiſſionis erupit: ſic odium ſynagogæ Romanæ in Scripturas ſanctas, promiſſionis tabulas, latens & occultum, vt dixi, & voluntariæ quodam integumento religionis obuolutum, in Eccleſiam noſtram promiſſionis hæredem grauitèr exarſit & excanduit, ſic vt iterum Agar Saram, ſerua Dominam in domo Abrahæ perſequi nunquam deſinat. Cum autem Caini ſacrificium æquè ac Abelis acceptum Deo probari poſſit, Papizantium Miſſam æquè gratam Deo ac Proteſtantium Liturgiam eſſe concedam: & cum Chriſtum ſolum fide apprehenſum ſine noſtris operibus euinci poſſit, non eſſe Eccleſiæ fundamentum, vtriuſque Eccleſiæ idem eſſe fundamentum largiar. Poſtremò cum Iſmaelem filium ſeruæ natum vi naturæ, vnà cum Iſaaco filio liberæ nato vi promiſſionis, Abrahamicæ familiæ cohæredem eſſe conſtabit, Papiſtam obſtinatum dabo claudicantem poſſe ad cœlum accedere. Intereà claudicantes hoſce & tepidos Proteſtantes admonebo, vt de rebus Dei ex certa Dei veritate, non ex præuaricatrice charitate ſua ſententiam ferant: & media conſilia nulla putent eſſe conſilia, nec Papam molliùs à ſe tractatum & leniùs, mitiorem ſibi ac faciliorē

fore

fore confidant. Quem nos ex sancto Paulo & Iohanne ab eximijs Ecclesiæ nostræ proceribus luculenter exposito, durius & rigidius aliquantò, vt nonnullis videmur, breuibus demonstramus conclusionibus esse Antichristum. Est hæc grauis admodum & obscura, fateor, prophetia: cuius grauitas fabularum vanitatem respuit, obscuritas interpretationis lucem pleniorem requirit. Ita fit interdum explicatio latior, conclusio semper pressior. Æquè enim in vitio est, cum res grandes atque abditæ tractantur, curta expositio, & longa conclusio. Nam curta expositio caret lumine, & longa conclusio caret acumine. In vtraque peccat aduersarius; nam dum in huius vaticinij interpretatione versatur, & res grandes attenuat, nec abditas illustrat: siquidem sublimitatē prophetiæ infercienda fabularū multiplicium leuitate depressit, & incertis Patrum coniecturis, nudisq́ue nominibus ferè contentus non dispulit obscuritatem. Vnde fit, vt ex alienis atque heterogeneis prophetiæ expositionibus inertes & elumbes eliciat conclusiones. Nos quidē in huius enodatione mysterij S. Patres nonnihil iuuāt, plus iuuarent, si vates extitissent. Sed cum ipsi, authore Daniele, prophetiæ intelligentiam ex impletione sumēdam esse docuerint, & veritatem temporis filiam esse concesserint: nos, qui in fines temporum incidimus, prophetiæ membra omnia inter se cum summo studio & reuerentia conferentes, & textui à contextu, contextui ab euentu lucem inferentes, eò quòd Christus librum signatum resignauerit, nec Apocrypsim sed Apocalypsim nominarit, fidentiùs conclusionem inde deducimus, non vt articulum fidei, sed vt doctrinæ Christianæ apodixim certissimam. Quanquā synagoga Pontificia, quæ sine vllo Scripturæ testimonio facit hunc decimumtertium articulum fidei suæ, Credo Papam esse Christi vicarium: meritò deberet reformatæ Ecclesiæ condonare, si tot edocta Scripturæ testimonijs hunc articulum faceret fidei suæ, Credo Papam esse Antichristum.

Iam præuidebam cum speculum Paulo quinto inscriberem, fore, vt Iesuitis qui magnū Britanniæ Regem famosis libellis contumeliosissimè crebriùs appellant, crebra hæc mea Papæ sui compellatio bilem commoueret. Quid enim, inquient? Tu tantum Principem, vt est Papa, toties compellare audeas homo obscurus? aut tantum doctorē conuertere te speres Minister hæreticus? quibus nihil aliud assequutus es, nisi vt ab omnibus tua stultitia cognoscatur & arrogantia.

gantia.

gantia. Hæc ego præſagio Ieſuitici ſtyli fore emblemata, quibus, te lector arbitro, breuiter antè reſpondeo. Papam à ſuis magnum Patrem haberi video, ſed paruum Principem, à vicinis Principibus magnis in exiguum angulum meridionalem quaſi contruſum: ſed quantus quantus eſt, Papam ego compello non vt politicum Principem, ſed vt politicum Antichriſtum. Ciuili cuiuſquemodo faueo dignitati, ſpirituali non parco impietati. Sed quid? Egóne Papam conuertendum ſuſcipio? Non plus certè quàm lauandũ Æthiopem. Non ſic inſanio. Scio ventrem aures non habere. Ac fortaſſe Paulus quintus, vt fertur, eſt mortuus? Quid tum? At Paulo mortuo viuit Papa: vno capite ſucciſo creſcit alterum. Eſt enim hydra Papatus. Ego verò non hunc vel illum Papam, ſed Papam Antichriſtum eſſe defendo.

Reſtat nunc, Chriſtiane lector, vt te per tuam ſalutem exhorter & obteſter, vt contempto ſynagogæ odio Chriſtum quamuis tibi notum bene, mecum meliùs indies de Scriptura noſſe cupias, quò meliùs vtrique notum feruentiùs amemus, & amatum ſtudioſiùs imitemur: deinde Antichriſtum tibi iam fortè ſuſpectum, mecum certiùs ex prophetiæ impletione cognoſcas, quò cognitum vtrique odio ſancto, execrationéque debita perſequamur. Quam ad rem primò tibi propoſui ſpeculum Chriſti, & ſynopſim Chriſtianiſmi: nunc propono ſpeculum Papæ, & effigiem Antichriſti.

SPECVLVM



SPECVLVM PAPÆ.



INſtituenti mihi, Paule Quinte, eum ſermonem referre, & Latinis mandare literis, quem de nouo Papæ ſymbolo per te nuper recuſo vltrò citroq; doctiſſimi homines habuiſſent; verum Papæ ſpeculum, hoc eſt, expreſſam Antichriſti & viuam effigiem à S. Paulo & Iohanne prophetic̀e delineatam toti Dialogo viſum eſt præfigere, tuoque inſcriptum nomini diuulgare: partìm vt te tibi oſtenderem cum illo tuo ſacrilego locuſtarum, ranarumq; comitatu; partim vt ingenuos Papiſtas, vbi Papam intùs noſſe cœpiſſent, ab inſano Papiſmi amore reuocarem: partìm, vt Chriſtianos Reges & Principes, qui Papæ fauent, vbi illum & diuini Teſtamenti & Regalis imperij capitalem hoſtem eſſe perſpicerent, ad Chriſti Regumque Proteſtantium partes tuendas aggregarem. Dabunt mihi, ſpero, veniã illi præſtantes artifices, qui nuper imaginem belluæ membratìm ac propè articulatim expinxerunt, quòd eandem ab illis latiùs deductam, in breuem tabulam ac veluti pugnum compegerim. Dedi enim operam vt diffuſas aliorum diſputationes coarctarem, & in breues ſubinde concluſiones conijcerem. Nam hoc concluſo & probato, Papam Romanum eſſe illum Antichriſtum qui refertur in Speculo, ſequitur neceſſariò, Papiſmum in ea parte quæ inter nos controuertitur, eſſe Antichriſtianiſmum, qui continetur in ſymbolo.

CAP. I.

In quo ſtatus Quæſtionis verè proponitur, & exponitur Quid ſit Antichriſtus propriè dictus.



AC primò ſtatum & punctum huius primariæ controuerſiæ verè & breuiter proponam, atque exponam Quid ſit Antichriſtus; ne cum ad manus, id eſt, ad concluſionem deuenero, non hoſtem, ſed vmbram hoſtis ferire videar. Noſtri ferè apud Danielem Antichriſti typum, apud Iohannem ipſum inueſtigant: veſtri apud Danielem, vbi typus eius eſt, ipſum quærunt; apud Iohannem, vbi ipſus eſt, cauent, ne inueniant. Nam illic pro ſenſu literali vrgent myſticum, hic pro myſtico premunt literalem. Illic vbi Daniel Propheta hiſtoricè ac propriè depingit Antiochum Epiphanem, propriè deſcribi ſomniant Antichriſtũ. Hic vbi Iohannes Propheta myſticè, ſed ex profeſſo & ad viuum delineat Antichriſtum, qui marinæ beſtiæ ſimulachrum myſticè animet, & ignem è cœlo myſticè deducat, eiuſmodi fingunt Saganam & quaſi Canidiam, quę ligneis quibuſque imaginibus motum, mortuis vitam, mutis vocem reddat, & verum è cœlis ignem deuocet. Illic decem cornua, quæ ſunt ex Macedonici imperij diuiſione & ruinis orta, decem Reges, ſeptem Seleucidas & tres Lagidas, qui ſibi inuicem in regno Syriæ ſucceſſerunt, Iudæamque pupugerunt, & ante Chriſti aduentum ceciderunt, ſumunt pro decem cornibus, ſiue decem regibus illis, qui poſt Chriſti diſceſſũ ex Romani imperij poſt tot ſæcula diſſoluendi diuiſione, & ruinis extiterunt: qui vnà cum beſtia regnum acceperunt, nec ſibi in eodem regno inuicem ſucceſſerunt, ſed in diuerſis prouincijs eodem tempore regnarunt; nec Iudæam deuaſtarunt iam antè ſubuerſam, ſed Romanum, vt veſtri putant, imperium, vt res eſt, Pontificatum penitus euertent & exſcindent. Ita dum Doctores tui in Apocalypſi libro myſterijs pleno literalem & proprium ſenſum conſectantur, vide quàm lepidum & penè comicum ponant Antichriſtum. Quem S. Iohannes beſtiam bicornem dixit, verè beſtiam

ſtiam cornutam facient. Duos teſtes quos S. Iohannes duas oliuas & duo candelabra vocat, ſi duos homines ad literam vrgeant, id eſt, Enochum & Eliam ab Antichriſto interficiendos, Antichriſtum valde terribilem fingent, qui oliuas & candelabra interficiet. Si teſtes duo verum ex ore ignem euoment, hoſtes igniuomi ſtatim abſument Antichriſtum. Si Antichriſtus cõtrà verum è cœlo ignem deripiet, & imagunculas quaſi totidem Pigmaliones animabit, quas, ſi meminerint, adorari faciet, egregium in ſcenam magum inducent; ita grauiſſimam Spiritus ſancti prophetiam prophani homines in ridiculam comœdiam commutabunt. Porrò dum Danielis hiſtoriam cum Iohannis Apocalypſi peruersè comparant, non modò res rebus, ſed ſæcula ſæculis ita confundunt, vt niſi homines vel mortuos extrahant è ſepulchris, vel Reges faciant antè quàm natos, eorum interpretationes cohærere non poſſint. Solem mediusfidius, Paule Quinte, non quindecim gradibus, vt in horologio Ahas, ſed plus mille gradibus reducant oportet, vt hæc inter ſe congruant. Beatus Iohannes ex compoſito ſcripſit Antichriſti myſterium, Paulus commentarium. Noſtri dum myſterio Iohannis lucem inferunt ex Pauli commentario, veſtri tenebras inducunt ex Danielis vaticinio; quod ego (pace Doctorum, qui contrà ſentiunt, dixerim) ſi vnam propheticam de reſurrectione conſolationem exceperis Cap. 12. totum intra ſeptingentos annos impletum poſſem euincere, ſi numeres ab eo tempore, quo Ieruſalem capta eſt à Chaldæis, ad id tempus quo deleta eſt fùnditus à Romanis. Quare typum Antichriſti, ſi placet, ex Daniele ſumamus, ipſum in S. Iohannis prophetia inueniemus & Pauli, quam veſtri non minùs obſcurare ſtuduerunt, vt ſtatum quæſtionis penitus inuerterent. Vnde ſic à Becano tota hæc quæſtio conſtituitur, An Antichriſtus propriè dictus venerit in perſona ſua? quemadmodum etiam antea à Bellarmino. Vterq; igitur vnum & ſingularem hoſtem fingit, vt articuli, inquit, appoſitio fert. Notat enim articulus ſemper vnum indiuiduum. Errat. Nam ſæpe vnũ genus, vt eodem loco ὁ κατέχων, vt Patres exponunt, & Pontificij agnoſcunt, ille qui obſtat, Imperatorem notat

Beca. in ſpec. exam. Antich. reform. c. 10.

in genere, non hunc vel illum Imperatorem. Et Matthæi 16. ver. 18. non solùm articulus, sed pronomen etiam demonstratiuum apponitur, επι ταυτη τη πετρα: quo tamen non vnus modò Petrus à vobis, quamuis falsò, intelligitur, sed Paparum successio: ergo articulus vel hic ponit Antichristum in successione, vel illic non ponit successionem in Papa. Vtrum horum mauis accipe. Vtrumque video & Bellarminum & Becanum, priùs an sit, inquirere: deinde quid sit, indagare. An sit Antichristus in Scriptura præmonstratus, nulli dubitant: an sit in orbe monstrandus, nulli dubitandum relinquam, si priùs quid sit, inquiramus. In quæstione quid sit, vt Antichristum, vnum & singularem hostem ponunt, ex articuli appositione; sic ex nominis compositione αντι & χριστος, Christi æmulum & aduersarium dant, vicarium negant. At S. Iohannes terrenam bestiam, quæ fatente Bellarmino significat illum Antichristum, dicit habere duo cornua non agnina, sed agninis similia: loqui autem vt Draconem. Habet igitur Antichristus Agni cœlestis speciem, sed Draconis infernalis vocē. Simulatione vicarius, veritate aduersarius; vt primùm ex rei, deinde vocabuli definitione constat. Nam quid possunt esse aliud duo cornua Agni, quàm duo officia Christi, sacerdotale & regale? quæ bestia se gerere simulat vice Agni: vnde concludo.

Apoc. 13

Bestia simulatus Agni vicarius, teste Iohanne.
Antichristus est bestia, fatente Bellarmino.
Antichristus igitur simulatus Agni vicarius.

Non vicarius, inquit, *sed æmulus & aduersarius*. Immò vicarius personæ, vt sit æmulus gloriæ, aduersariusque doctrinæ. *At id nominis compositio non fert. Nam αντι in compositione nota tantùm est æmulationis & oppositionis*. Immò etiam substitutionis & surrogationis. Nam αντιστρατηγος significat non modò contrariæ partis ducem, sed Proprætorem, qui eandem authoritatem habet in prouincia, quam Prætor in vrbe: interdum eum, qui est vice prætoris, vt legatum prætoris. Habes omnes significationes in vno verbo: quàto magis in diuersis? vt αντικειμενος oppositionem, αντιθεος æqualitatem, ανθυπατος substitutionem notat.

Aduersarius. Par Deo. Proconsul.

Antichristus

Antichristus omnes hasce continet significationes, qui cum reuera sit aduersarius, tamen & authoritatem Christi vendicat vt æqualis, & locum occupat vt vicarius.

Papa Christi vicem gerit, æmulatur honorem, oppugnat fidem.

Ergo astu vicarius, fastu ęmulus, animo aduersarius, hoc est dicere, Antichristus.

Quem D. Iohannes in Epistola dicit fuisse suo tempore: nam loquitur de propriè dicto Antichristo, vt fatetur Bellarminus, cui articulum apponit ὁ. D. Paulus eundem affirmat tum clàm operari cœpisse, postquam id quod obstitit, è medio sublatum est, suo tempore reuelandum, sessurum & dominaturum in Christi Ecclesia tamdiù, donec Christus ad iudicium veniret; minuendum illum quidem & paulatim consumendũ spiritu oris Domini, id est, ministerio verbi, sed splendore aduentus Domini penitus abolendum. *Non igitur vnum hostem singularem venturum in persona sua,* vt fingit Becanus. Nisi fortè putet vnum eundemque hominem numero ab Apostolorum ætate vsque ad Christi aduentum viuere potuisse. Sic enim ex præmissis breuiter argumentabor.

1. Ioh. 2. vers. 18. & 22. cap. 4. v. 3.

2. Thes. 2.

Si ille Antichristus fuit Apostolorũ temporibus, pòst autem reuelandus, in Ecclesia dominaturus, nec ante Christi aduentum abolendus: certè vna & singularis persona esse non potest. Nisi fortè ab Antichristo Mathusalem somnient multis centenarijs superatum.

Verum est autem Antecedens, vt S. Iohannes & S. Paulus manifestè probant.

Verum igitur & consequens.

Nam quòd Antichristum communiter dictum à Iohanne in Epistola, dicunt Apostolorum ætate venisse; Antichristum autem propriè dictum im Apocalypsi nondum venisse: primò sibi satis ipsi non constant, qui alibi ob præpositionem articuli, à Iohanne in Epistola propriè dictum Antichristum intelligunt. Deinde quamuis communiter dictos Antichristos ibidem commemoret, paruos & minutos, quos per se consideratos fateor magni illius Antichristi præcursores fuisse,

fuiſſe;tamen illud addo & confirmo eoſdē etiam partes grandis illius beſtiæ verè eſſe dicendos, vt Paulus in huius myſterij commentario luculenter expoſuit ipſe. Ait enim illum, qui tum occultè cœpit operari, ad Chriſti vſque aduentum duraturum. Non igitur potuit eſſe animal trimum ſubitò ortum, ſubitóque extinguendum. Verùm, vt minuti riuuli in ſuis alueis decurrentes ſeparatim denominantur, ſed in Thameſin aut Sequanam influentes, nomen amittunt ſuum, & magnum amnem conficiunt: ſic minuti & communiter dicti Antichriſti in ſuas hæreſes delabentes, ſeorſim conſiderantur; ſed ex alueis ſuis in grandem illum Antichriſtum velut in torrentem ſeſe exonerantes, nomen ſuum deponunt, & grandem illum Antichriſtum conſtituunt. Itaque Iohannes

1. Ioh. 4.3. & 2.18.22.

in Epiſtola dicit illum Antichriſtum tum fuiſſe, & poſt futurum. Quomodo, inquies? Niſi fuiſſe in occulto, futurum in propatulo: fuiſſe infantem, futurum virum. Erant hæ quidem hæreſes, erat hæc apoſtaſia, de qua loquuntur S. Iohannes & S. Paulus, *diſpoſitio*, vt Bellarminus fatetur, *tendens ad regnum Antichriſti*. Rectè dicit ad regnum, non ad partum. Nam tum eſt ortus, ſed ad regnum Antichriſti, non ad eſſentiam eius, qui tum fuit, vt ait Iohannes, ſed ad reuelationem eius, qui tum latuit, vt ait Paulus. Cœpit igitur in illis hæreſibus apoſtaſia, in qua tum fuit Antichriſtus, quam Paulus duraturam docet non modò ad reuelationem & regnum, ſed ad diminutionem atque interitum Antichriſti. At hæc apoſtaſia non potuit eſſe triennij aut vnius hominis. Antichriſtum igitur illum non vnum ſingularem hominem, ſed ſucceſſionem hominum eſſe conuincit. Porrò duæ beſtiæ deſcriptæ à Iohanne in Apocalypſi, marina & terrena. Marina vobis ſta-

Bell. de ponti. Ro. cap. 10. & cap. 15. lib. 3.

tum ſignificat Romani imperij, terrena Antichriſti. At marina non ſignificat hunc vel illum Imperatorem tantùm, ſed ſucceſſionē Imperatorum. Ergo terrena non ſignificat hunc vel illum Pontificem tantùm, ſed ſucceſſionem Pontificum, quorum plurimi grandes beſtiæ extiterunt. Vt nec beſtiæ apud Danielem quatuor, ex quibus Apocalyptica beſtia componitur, Reges ſingulares, ſed regna deſignant; Hic Bellarminus contra nos topicè, vel potiùs typicè diſputat.

Qualis

Qualis figura, talis res figurata.
Antiochus figura Antichristi homo singularis.
Ergo Antichristus res figurata homo singularis.

Propositio si sit generalis, planè falsa est. Nam proportio inter figuram & rem figuratam non tenet in omnibus, sed in ijs tantùm, in quibus comparantur. Multi sæpe typus vnius, vt multi summi Sacerdotes vnius Christi: & vnus typus vnius, vt Melchisedec Christi; quem vos tamen vnum facitis typum multorum Sacerdotum. Non igitur, quia vnus homo Antiochus typus, ideò vnus homo Antichristus. Non stat comparatio in vnitate personæ, sed in similitudine naturæ. Ergo si generaliter sumpta propositio planè falsa est: si particulariter, argumentatio mera fallacia est. Sed si libet à typo argumentari, repono illi argumentum à typo, cuius author est Spiritus.

Prima bellua, id est, Romani Imperij status, bellua multorum capitum.

Secunda, id est, Antichristi status imago primæ, teste Iohanne.

Ergo Antichristi status est bellua multorum capitum.

Quot autem capita, tot personæ. Vt igitur status Antichristi referat statum imperij, non in vna persona tantùm, sed in multarum personarum successione cõsistit. Quod cum dicimus, non id debet in præiudicium verti sanctorum Episcoporum, qui Romæ sub Imperatoribus sanguinem sudêre pro Christo suum; sed in opprobrium successorum, qui Scripturæ sanctæ regulam relinquentes, fudêre sanguinem alienum. Non enim Roma regenerata & patiens, sed Roma degenerans & persequens, sedes bestiæ multicipitis haberi " debet. Quod ita tamen intelligendum est, bestiæ caput esse " vnum tantùm vno tempore, multa successiuè: cui multa Deus " permisit, vt faciat:

1. Vt cornibus duobus agnum simulet.
2. Vt loquatur sicut Draco.
3. Vt potestatem faciat prioris bestiæ in conspectu eius.
4. Vt faciat terram & inhabitantes in ea adorare priorem bestiam.

5. Vt

5. Vt beſtiæ prioris lethale vulnus curet.
6. Vt imagini prioris beſtiæ ſpiritum & vocem reddat.
7. Vt imaginem beſtiæ adorare nolentes occidat.
8. Vt fallaciâ edat miracula, nominatim, vt ignem faciat deſcendere de cœlo in conſpectu hominum.
9. Vt nomen gerat beſtiæ, & nomen hominis, & numerum nominis eius, id eſt, numerum annorum ſexcentorum ſexaginta ſex.
10. Vt ex nomine characterem beſtiæ omnibus imprimat vel in fronte vel in dextra gerendum.
11. Vt interdicat ne cui liceat emere vel vendere ſine beſtiæ charactere.

Hæ ſunt beſtiæ ſecundæ, hoc eſt, Antichriſti germanæ notæ vobis interpretibus, quamuis veſtris interpretationibus miſerè detortæ, vt paulò poſt conſtabit.

Nunc hoc ſumo, hæc omnia tam immenſa, tamque miranda, non poſſe ab vna indiuidua bellua triennio & ſemiſſe perfici, ad quæ tam multæ belluæ, & tam multa ſæcula requiruntur.

Eſt igitur Antichriſtus animal grandæuum, non ſimplex bellua, ſed compoſita: nam vt multi Marij in vno Cæſare, ſic multi Antichriſti in illo Antichriſto, quē D. Paulus hominem peccati & perditionis appellat. Nihil igitur afferunt, qui eò dictum hominem peccati exiſtiment, quòd eſſet homo ſingularis. Nam vt Florus populum Romanum ſub vnius hominis figura depinxit, infantem ducentis & quinquaginta annis, adoleſcentem alijs ducentis & quinquaginta, virum alijs ducentis & quinquaginta, pòſt ſenem iam annis ducentis, ſucceſſione ſemper eundem in eadem vrbe dominantem, iiſdem ſemper artibus ad eundem ſemper finem, aut vnum hominem ad magnitudinem aſpirantem, donec inertiâ Cæſarum conſenuit atque decoxit: ita videntur Apoſtoli multos Pontifices Romanos, vt vnum hominem perditum, & vnam beſtiam in eadem vrbe ſepticolli ſucceſſiuè regnantem prophetico ſpiritu deſcripſiſſe; infantem Apoſtolorum ætate, pòſt occultè creſcentem in ambitioſis quibuſdam Romanis Epiſcopis, donec in Bonifacio tertio adoleuit, & ad virilem

ætatem

ætatem & quaſi robuſtam maturitatem in Gregorio ſeptimo peruenit, alijſque eius ſucceſſoribus, alium ſemper ſed non aliud, eundem infantem, eundem iuuenem & virum, æuo non animo differentem, ijſdem artibus, vt vnum hominem, ad idem faſtigium aſpirantem atque anhelantem, eundem latentem & reuelatum, eundem regnantem & deſtruendum, nunc præſertim ſenem depontanum ac planè decrepitum Antichriſtum, vt ſua iam annoſa impietate confectus contabuiſſe quodammodo & decoxiſſe videatur. Summa eſt igitur Antichriſtum propriè dictum eſſe ſucceſſionem ſiue regnum regno Chriſti contrarium, profeſſione vicarium, præſumptione æmulum, propoſito aduerſarium.

CAP. II.

In quo Qualis ſit Antichriſtus, inquiritur.



QVid ſit Antichriſtus, inuenimus: qualis ſit, inquiramus. Ita, quis ſit, certò cognoſcemus. Qui ne nobis appareat, Sathanas bonorum quorundam ingenijs abuſus eſt, prophetiæ euentum ignorantibus, vt ex illo errore primario fabulã egregiam inferrent. Nam cum Antichriſtum vnum & ſingularem hoſtem eſſe fingerent, inde commenti ſunt eum natione & religione Iudæum de tribu Dan, Iudæorum Meſſiam, ſeſſurum in templo Hieroſolymitano à ſe reædificato, triennio & ſeſqui regnaturum, tres Reges occiſurum, & ſeptem alios ſub iugum miſſurũ, Chriſtianiſque omnibus innumerabili exercitu ſubactis, orbis totius monarchiam adepturum: ſub illo tempore duos illos teſtes, quos Enochum & Eliam putarunt, viuos alicubi ſeruatos, redituros in terram, vt cum Antichriſto confligerent, ab eoque tandem occiſos, poſt tres dies & dimidium reuicturos: futurum, vt eo miraculo conuerſi Iudæi Antichriſtum in Olíueti monte conficerent, Chriſtoque mox poſt quadraginta quinque dies venturo ſe adiungerent. Hanc fabulam veteres quidam confinxerunt, quam tanta inconſtantia narrarunt, vt facilè appareret ex contradictione eſſe mendaciũ: quam to-

tam Bellarminus narrat, vt verum, excepta tantùm illa fabulæ parte de tribu Dan. Nos autem reiectis fabulis veritatem Dei consulamus scriptam ab Apostolis; & iam euentu optimo prophetiæ interprete, Patrumque sententijs Scripturæ consentientibus patefacta. S. igitur Iohannes Antichristum stellam de cœlo deciduam vocat; Paulus apostatam à fide, vel potiùs apostasiæ catholicæ caput & ducem; refugam à Domino Deo, vt exponit Augustinus; superbiæ Regem cum præparato Sacerdotum exercitu, igitur Episcopum, vt Gregorius primus. *At Bellarminus Luciferum stellam illam intelligit, secundũ illud, Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, Esay. 14. & vrget tempus præteritum, quòd non casuram vidit S. Iohannes stellam, sed cecidisse*; Nec attendit hanc glossam à textu penitus abhorrere, 1. Quòd Luciferi de cœlo casus quintæ tubæ sonitum longè præcesserit. 2. Ignorat phrasim Prophetarum, qui, quæ ventura prædicunt, propter certitudinem prophetiæ euenisse prædicant. 3. Nec huius Prophetæ sensum obseruat, qui stellarum nomine Ecclesiæ Pastores intelligit. *Tandem Lutherum stellam cadentem nominat, & hæreticos Lutheranos & Protestantes locustas, quarum exercitum de Abyssi puteo, cum caderet, eduxit.* De quo pòst videro. Nunc illud requiro, quomodo abiectus & misellus, vt vocant, fraterculus è cœnobio, qui ad Scripturas reuocat omnia, potuerit esse stella de cœlo decidua? Non magnus Lucifer, nedum paruus Lutherus potest dici stella cadens, sed magnus aliquis Episcopus, suppar syderibus ipsis, æmulus Luciferi, qui iamdiù à cœlesti doctrina vitaque ad terrena commenta atque impios mores declinauit, hoc est, è cœlo in terram cecidit. Nam in cœlo stant Episcopi dum officium suum faciunt; in terram cadunt, dum obliti muneris, doctrinæ vitæque cœlestis, terrena quærunt. *At hoc non Papæ soli conuenit. Nam & aliæ multæ Draconis cauda detractæ stellæ in terram ceciderunt.* Certè. Sed nulla cui talis potestas fuerit, quam ei sanctus Iohannes ascribit, præter Papam. Data est enim huic stellæ cadenti clauis putei Abyssi. Magnus iste Episcopus, dum quasi stella luxit in Ecclesia, tanquam in cœlo, clauem cœli sibi commissam, vt debuit, exercuit: postquam de cœlo decidit, clauem accepit putei Abyssi.

Apocal. 9.
2. Thes. 2. & 1. Timot. 4. ver. 10.
August. lib de ciui. Dei 20. cap. 10.
Greg. lib. 4. epist. 38.

Ergo

Ergo angelus Abyſſi, inferni clauiger Antichriſtus. Cuius dupulicē cauſam affert beatus Paulus. Vnam, quòd claue ſua doctrinam dæmoniacam in cibis nuptijſque prohibendis in Eccleſiam introduxerit: alteram, quòd ſeſe efferens ſuprà omne quod vocatur Deus, id eſt, ſuprà Reges & Imperatores, illos excluſerit è regnis; itaque tenebras Abyſſi in rempub. inuexerit. Annon hæc viua effigies Papæ? qui ſimul ac cadendo ſtella eſſe deſijt, ignis fatuus eſſe cœpit. Cuius clauis non iam cœli clauis, ſed Abyſſi. Odium enim profectæ à Deo doctrinæ, & politiæ, certiſſimum ſtigma Antichriſti. De claue non ita multò pòſt plura in ſymbolo. Quem S. Iohannes ſtellam deciduam, eum S. Paulus apoſtatam à fide nominat, nec particularis, ſed vniuerſalis apoſtaſiæ ducem facit: quam tam proprijs notis tantò antè deſcripſit, vt digitum intendiſſe videatur ad Romanam Eccleſiam, cui conueniunt quarto modo. Quæ nuptias ciboſque prohibuit, non in aperta blaſphemia, vt quidam veteres hæretici, ſed in occulta hypocriſi, vt prædicti apoſtatæ, id quod notat Apoſtolus. Vnde ſic infero.

Caput catholicæ ſiue generalis apoſtaſiæ eſt Antichriſtus.

Papa eſt caput catholicæ ſiue generalis apoſtaſiæ.

Papa eſt igitur Antichriſtus.

Non eſt Antichriſtus ergo Iudæus, aut caput Iudæorum, qui non poſſunt dici à Chriſto diſceſſiſſe prius, quàm ad illum acceſſerint, ſed apoſtaticus Chriſtianus. Et vt à Gregorio magno notatur, *Epiſcopus cinctus Sacerdotum exercitu, nec Epiſcopus modò, ſed vniuerſalis Epiſcopus*. Nō quòd eo nomine vnus omnes Epiſcopos depoſuerit, ſed quòd ſe vnum omnibus præpoſuerit. Vnde ſic iterum arguo. Lib. 4. epiſt. 32. 34. 38.

Apoſtaticus Chriſtianus & Epiſcopus vniuerſalis eſt Antichriſtus.

Papa eſt apoſtaticus Chriſtianus & Epiſcopus vniuerſalis.

Papa igitur Antichriſtus.

Ac nomen quidem illud vniuerſalis Epiſcopi Gregorius Papa *ſceleſtum, prophanum, ſacrilegum* appellat. *In quo conſentire nihil eſt aliud*, inquit, *quàm fidem perdere*. Vt ſcripſit ad Anianū. *Et honori ſe per illud Imperij ſuperponere*, vt ſcripſit ad Mauritium. Quod qui faceret, vt Iohannes Conſtantinopolitanus Ibidem.

Episcopus, & Cyricius postea fecit, eum fidenter pronuntiauit *imitatorem Luceferi, præcursorem Antichristi.* Verus ah nimis verus Propheta Gregorius. Nam intra quinquenniũ rex ille superbiæ, quem iam tum propè abesse cum præparato Sacerdotum exercitu prædixit, cathedram illam ipsam, ex qua Gregorius suum illud fudit oraculum, occupauit; & post annum iam millesimum tenuit, prius vniuersalis Episcopus vocatus, quia primùm omnibus Episcopis præfuit. Vt Bonifacius tertius stella decidua. Deinde vniuersalis Princeps ex se creatus, quia pòst Regibus & imperatoribus imperauit, vt ☞ Gregorius septimus. Vnde Pótifex Romanus à Pótifice Romano propheticè conclusus, propter læsam maiestatem Lucifer, propter perditam fidem Antichristus. Pontifex autem, vt ipsi dicunt, in definitiua sententia errare non potest. Habet enim assistentem cathedræ Spiritum. Pontifex igitur Antichristus. Nam vt in summam omnia conferam, stella cadens, pastor degenerans, Episcopus regnans Antichristus. Et non in hoc speculo, Paule Quinte, teipsum agnoscis?

Neque te falli sinas ab ijs, qui Antichristum hostem externum fingunt, quem Apostolus domesticum facit, tanquam perduellem. Quòd vt iste Regis nomine contra Regem abutitur, sic ille Christi nomine Christum oppugnat. Quem ideò Paulus in Ecclesia collocat, non extrà Ecclesiam. Et sedentem non corporali gestu, sed spirituali dominatu. Sedet enim vt Deus, qui non sedet gestu corporali. Porrò Regum throni, Pontificum sedes vocantur. Et sedet in templo, non materiali; nam templum nusquam ita sumitur in nouo Testamento, vt fatetur Bellarminus: igitur in spirituali, id est, Ecclesia, pro qua templum Dei semper accipitur, vt multi etiam Patres exponunt. Et sedet in templo Dei, non igitur in templo quod Hierosolymis reædificabit Antichristus, vt fingitur. Nam id non templum Dei vocaretur, sed diaboli. Porrò sedere dicitur in templum, vt ex Græco rectè vertit Augustinus, tanquam ipse sit templum Dei, quod est Ecclesia. In qua regnans *non se Deum putat* homo miserrimus, *nedum solum Deum*, vt Bellarminus somniat, (non adeò delirat Antichristus) sed vice-deum. Sedet enim vt Deus, & præ se fert

Theodor. in 2. Thess. 2. Chrysostomus. Oecumenius. Hieronymus ad Algasium. quæst. 11. Qui omnes affirmant in Ecclesia sessurum: in templo Hierosolymitano negant.

fert se esse Deum. Non Christus, sed Prochristus. Vicarius personæ, æmulus gloriæ. Nam in multis se exæquat Christo, pro Deo sese gerens, peccata condonans, animas redimens, nouos articulos fidei condens, omnium hominum iudex, ipse à nemine iudicandus. Vt quamuis se non appellet Deum, tamen præ se ferat se esse Deum. Vt docet Apostolus. Nonne est hæc viua pictura Pontificis? nonne illum nobis penè palpandum repræsentat? *Minimè*, inquit Bellarminus. *Nam Antichristus se solum Deum putat.* In quo sibi non constat.

Nam Bellarmini Antichristus est Messias Iudæorum, qui se prædicat à Deo missum.

Non igitur se solum Deum prædicat. Alius est enim Deus mittens, alius Deus missus.

Porro *Papa non sedet*, inquit, *vt Deus, sed vt Episcopus: at sedet vt is qui omnem habet Dei potestatem & in cœlo & in terra*, vt alibi dicit. Sedet igitur saltem vt deificatus Episcopus. At *se non vocat Christum.* At si non nomen Christi, certè potestatem assumit. Vnde sic infero.

Qui sedet vt Deus in Ecclesia, & præ se fert se esse Deum, est Antichristus.

Papa id fecit & facit.

Papa igitur Antichristus.

Nam caue putes, Paule Quinte, adeo stolidum esse Antichristum, vt sese supra Deum ipsum efferat, aut vt maiori fastu turgeat, quàm in miserum possit mortalem conuenire. Dicitur igitur efferre sese *non supra omnem Deum, verum & falsum*, vt censet Bellarminus. In quo etiam secum pugnat.

Nam magus se non effert supra omnem Deum. Non enim supra Diabolum Deum sæculi.

Antichristus est magus, vt dicit Bellar. de Pont. l. 3. c. 14.

Non igitur effert se supra omnem Deum Antichristus: vt dicit Cardinalis:

Sed effert se supra omne quod dicitur Deus, vt docet Apost. Cui non essentia dei, sed nomen Dei attribuitur supra omne quod dicitur Deus, & verè dicitur. Nomen autē Dei in Scriptura attribuitur & Angelis in cœlo, & Princip. in terra, & sebasma

basina significat cum Augustum,&, vt ita loquor, augustitatem, tum etiam illud quicquid est quod vel colitur vt Deus, vel in quo colitur Deus. Vnde imagines & altaria apud Ethnicos sebasmata appellantur. Iam cum Angelis in cœlo, & Principibus in terra,& rebus sacris in Ecclesia imperet Pontifex, non potest non esse Antichristus.

Neque verò,Paule Quinte,te deludi sinas ab ijs, qui Christum à propriè dicto Antichristo palàm,expressè, directè,negari docent. Non tam hebes fuit Antichristus, vt Christum, cuius nomine & professione tantum se emolumenti & honoris acquirere posse perspiceret,expressè,apertè,& directè, negaret. Non sic insaniuit. Reliquum erat igitur,quò simul & odio suo satisfaceret, & commodo seruiret, vt Christum implicitè, per cõsequens, & indirectè negaret.Potuisset Antichristus tot annos in Ecclesia regnum tenere, si Christum apertè negasset? Nunquam certè potuisset. Nam omnes illum Christiani, quibus dominatus est, vel vt stultum exibilassent,vel vt blasphemum exussissent. Non è re fuit igitur Antichristi, vt Christum isto modo negaret. Adde quòd ab Apostolo vafer, subdolus impostor describitur, cum omni fraude iniustitiæ aduenturus. Accedat eodem quòd tota illius religio non iniquitas dicitur,sed iniquitatis mysterium. Vnde glossa impietatem Antichristi mysticam pietatis nomine palliatam notauit. Absurdum igitur fuisset, vt Christum
„ palàm & expressè & directè negaret. Non enim id vel regni
„ commodo, vel Antichristi genio, vel iniquitatis mysterio
„ conueniret. Sequitur igitur vt Christum clàm, & implicitè, & indirectè negaret,& retento Christi nomine fidem aboleret. *At id minutis Antichristis conuenit,vt clàm & indirectè negent Christum; magno autem Antichristo, vt directè & apertè. Vnde aduentus eius vocatur reuelatio*, vt sophisticè colligit Bellarminus. Quibus verbis non Christi negandi, sed regni occupandi modus exprimitur.Nã si modũ doctrinæ consideres, mystica dicitur magni Antichristi apostasia, & oppositio vt cæterorum, nisi quòd illorum particularis, huius vniuersalis à Christo apostasia censeri debeat. Nihil igitur affert Bellarminus, quin Antichristus ille Christum occultè & indi-

rectè

rectè neget, vt Papa, qui Christum Deum & hominē verbo confitetur expressè & directè, diuinitatem tamen & humanitatem Christi implicitè & indirectè negat. Proprietates enim vtriusque naturæ tollit: Deitas infinita est, humanitas finita.

Deitatem Patris picturis & imaginibus circumscribit Pontifex: humanitatem Filij fingit multipræsentem.

Fingit igitur diuinitatem finitam, humanitatem infinitam.

Christum & iustum & misericordem verbo directè confitetur: reipsa indirectè negat.

Perfecta iustitia imperfectam satisfactionem non admittit, id est, humanam. Perfecta misericordia imperfectam veniam non concedit: non remittit culpam & retinet pœnam.

Papa satisfactionem & veniam imperfectam à Christo fidelibus præstari docet. Negat igitur Christo perfectam iustitiam & misericordiam, atque ita Christum idolum facit.

Christi officia tria verbo directè fatetur, reipsa indirectè negat, prophetiam, sacerdotium, & regnum.

Prophetiam, dū Scripturas canonicas, in quibus vox Prophetæ nostri in rebus ad salutem necessarijs plenissima continetur, siue principia fidei, siue præcepta vitæ cōsideret, imperfectas esse docet. Ideoque suas Decretales Epistolas inter Distinct. 19.
Scripturas canonicas connumerat. Vah blasphemiam, vah su- Sic omnes.
perbiam non ferendam! In eo verè Iudæus, quòd mandata Dei traditionibus humanis abrogauerit. Nam vt Iudæi non scriptam Cabalam habuerunt Scripturæ veteris interpretem: sic Papa non scriptam traditionem, quasi Iudaicam Cabalam induxit, qua mandatis Dei scriptis sensum de suo, quem vellet, affingeret. Verùm quo Christus argumento Iudaicas, eodem nos papisticas traditiones breuiter refutamus.

Humanarum traditionum obseruatio est diuinorum man- Matt. 15.
datorum abrogatio, teste Christo.

Papismus est humanarum traditionū obseruatio, vt testātur Decretales. Vnde lepidè Duarenus malè cum rebus humanis actum esse dixit, ex quo Decretis alæ accesserunt, hoc est, ex quo Decretales volare in Ecclesia supra Scripturas ausæ sunt.

Papiſmus igitur diuinorum mandatorum abrogatio.

Vnum apponam exemplum, quo conſtet expoſitione ſua Bellarminum, Papæ corculum, maximum legis mandatum refixiſſe. Deus inquit, Non facies omnem ſimilitudinem vt adores. Hîc diſtinguit Bellarminus: *Non adorabis idolum, ſed imaginem adorabis.* Vocis, non rei diſtinctio. Nam imago idolum fit, cum adoratur. Idoli autem adoratio idolalatria. Et certè idoli in lege nulla mentio, ſed ſimilitudinis, & quidem omnis, quæ tanquam genus imaginem æquè ac idolum comprehendit. *At idololatria eſt colere creaturam pro creatore.* Immò verò etiam cum creatore. Nam adoratio in lege abſolutè prohibetur omnis ſimilitudinis, ſiue pro Deo adoretur, ſiue cum Deo. Et ratio prohibitionis abſoluta eſt. Idololatria fornicationi comparatur; Deus zelotypo marito, qui nolle ſe profitetur vllius rei ſimilitudinem adorari, vel coram ſe, vel ſecum. Videtur eandem idololatriæ excuſationem Bellarminus afferre, quã meretrix adulterij ſui. Dicet illa zelotypo marito, Nõ ſumpſi mœchũ pro marito, ſed pro amico; ſumpſi tecũ, non pro te: ſic Deo zelotypo reſpondet adulter animus Bellarmini: Non adoro imaginem pro Deo, ſed cum Deo, non pro creatore, ſed cum creatore. Deus autem zelotypus, vt maritus, imaginis cultum, quaſi mœchi amplexum, omnem abſolutè reſpuit. Itaque S. Iohannes adoratorem ſi-
Apoc.9 mulachri facit adoratorem dæmonij. Papam conſtat adoratorem eſſe ſimulachri. Sequitur igitur adoratorem eſſe dæmonij. Debet mihi plurimum Papa quem idololatram arguo. In quo vereor ne præuaricatus eſſe videar, quòd, dum illi idololatræ nomen addam, demam Antichriſti.

Nam Antichriſtus non eſt idololatra, vt contendit Bellarminus.

Papa eſt idololatra, vt res ipſa conuincit.

Papa igitur non eſt Antichriſtus.

Author Papæ ſum, vt, ſi fidat propoſitioni Bellarmini, noſtram aſſumptionem concedat; ita dum ſumet idololatræ nomen, forſitan deponet Antichriſti. Sed reſumet, adeò nutat & vacillat Bellarminus. *Quo fatente Antichriſtus adorat Maozim, id eſt,* vt ait ipſe, *Dæmonem.* Adorator autem Dæmonis

nis est idololatra. Antichristus igitur idololatra. Sumpsit autem Papa iam à Sancto Iohanne notam idololatræ, resumat igitur Antichristi.

Sed hinc etiam emergit, id, quod probare institueram, Papam nihil aliud agere, quàm vt præcipuum mandatum Dei traditione atque expositione sua rescindat prorsus atque abroget. Quid est prophetiam Christi negare, si hoc non est? Quid? quòd Christi etiam Euangelium non corruperit modò, sed planè peruerterit? Dum quintum Euangelium à Dominicanis suis condi passus est, vt testatur Matthæus Parisiensis, *Quod vocarunt Euangelium Spiritus sancti; & Euangeliũ æternum: in quo docuerunt Christum non esse Deum, & Euangelium eius non esse verum Euangelium, nec plus cum suo comparandũ Euangelio quàm putamen cum nucleo.* O blasphemiam infernalibus flammis vindicandã. Cuius rei sunt Neptunij, vel potiùs Vulcanij Patres, qui in fornace illa sua Tridentina de nouo prophanum illud Euangeliũ vrendo & tundendo excuderunt: sed sine nomine quinti Euangelij. Quamquam nuper ab humili Gabriele nequissimo parasito Clemẽs Octauus nomen quinti Euangelistæ lætus lubensque acceperit, quasi Clemens quintum Euangelium absoluisset. Quod quatuor Euangelijs non modò labem infert, sed interitum. Cuius authores anathema Paulinum incurrunt, quod non modò Papis, sed & Apostolis, sed & Angelis denuntiatum est, siquis non modò contrarium, sed aliud Euangelium inuexisset. Dicit enim, Non si quis contrà, sed, Si quis præter illud, quod Galatæ à Paulo accepissent, id est præter illud quod in Scripturis legalibus & Euangelicis accepissent, vt locum exposuit Augustinus: si non modò contrarium Euangelium annuntiassent, aut totum Euangelium subuertissent, verùm si vel paulùm euangelizassent præter Euangelium, etiamsi quiduis labefactassent, vt locũ explicauit Chrysostomus. Aliud enim Euangelium non modò corrumpit, sed peruertit Euangelium Christi. Papa Romanus non modò aliud inducit, sed contrarium, in quo plurima non apponit modò, sed opponit Euangelio Christi. Quorum in altero labefactat Euangelium, in altero destruit. Omnis enim additio imperfectionem infert,

Anno.1254 Matt. in Hen. 3.

Gal.1. ver. 8.

Augu. contra liter. Petili. lib.3. cap.6.

ver.7.

oppositio falsitatem. Ergo papismus non corruptio solùm Euangelij, sed etiam euersio censeri debet. Ex illo quinto Euangelio nouum fidei symbolum sumptum est, quod duodecim nouos fidei articulos continet sequenti dialogo disceptandum. Cui conficiendo varij iam antè Pontifices insudarunt, & partem aliquam veluti collectam quisque suam contulit, sed totam manum extremam addidit Pius Quartus, quod tua authoritate, Paule Quinte, nuper recusum est, vt extaret omnipotentiæ tuæ pontificiæ specimen eximium. Simul & Conformitates sancti Francisci mandato tuo typis non ita pridem diuulgatæ in lucem denuò prodierunt, credo, vt Iesus typicus per te orbi renatus, verum Iesum de solio suo dimoueret. Exurgat Deus, vt dissipentur inimici. Verus Iesus confundat Iesum typicum. Annon ista, Paule Quinte, manifestè probant te esse magnum illum Antichristum? qui quamuis Christum Prophetam esse verbo apertè fateare, tamen reipsa Christi prophetiam indirectè neges & euertas?

Quid? quòd Papa sacerdotium etiam & regnum obliquè tollat?

Sacerdotium, ex quo pendet sacrificium & intercessio Christi, dum aliud sacerdotium constituit, quod vel aliud offerat propitiatorium sacrificium; vel idem Christi sacrificium repetat, tanquam imperfectum. Cum Apostolus propitiatorium Christi sacrificium, si numerum quæras, vnicum; si tempus, semel oblatum; si sacerdotem, à seipso; si locum, in cruce; si modum, cruentè; si virtutem, perfectè efficax consecrandis fidelibus, tota epistola ad Hebræos argumentetur. Quo igitur ore Pontifex vel aliud propitiatorium fingit, vel idem sepè repetendum à prophanis sacerdotibus incruentè in altari, quasi vnicum Christi cruentum sacrificium non sufficeret fidelibus consummandis? In quo quidem se insignem Christi aduersarium ostendit. *At Christum indies sacrificant*, inquiunt, *vt applicent fidelibus*. Atqui non sacrificarunt Apostoli Christum, sed verbo & sacramentis proposuerunt, vt fidelibus applicarent.

Ex sacrificio Christi redemptio Ecclesiæ prima Sacerdotij

tij pars, quam Papa Romanus cum Sanctis communicauit. De Gregorio ſic loquuntur:

Hic nos ſaluet à pecatis,
Vt in cœlo cum beatis
Poſſimus quieſcere.

Gregorianos igitur, non Chriſtianos putes loqui. De Petro & Paulo:

Concede vt amborum meritis æternitatis gloriam conſequamur. Ex Romano Breuiario.

Verum eſt, quod dicitur, Dominus vix cerni poteſt prę Apoſtolis.

In Miſſali Pariſienſi.

O fœlix puerpera,
Noſtra pians ſcelera,
Iure matris impera
Redemptori.

Adeò vt Ieſuitæ ad ſanationem animæ lac Matris putent cum ſanguine Fily commiſcendum: & à foro iuſtitiæ Dei prouocent ad forum miſericordiæ Matris eius, quam deam, & cœli reginam appellant. Vt papiſmus non iam ampliùs Chriſtianiſmus dici debeat, ſed Marianiſmus. Bernardi, in Mariali. " "

Iam ſi Papa redemptionis officium cum Sanctis communicet: quid mirum ſi interceſſionis officium cum ijſdem partiatur? Cum tamen Apoſtolus, vt vnicum Deum, ita vnicum mediatorem inter Deum & homines conſtituat hominem Ieſum Chriſtum vnicum interceſſionis mediatorem, qui noſtras Deo preces offerat, vt qui vnicum redemptionis precium pro nobis ſoluat omnibus, cum interceſſionis efficacia ex redemptionis merito pendeat.

Porrò Chriſtum Regem verbo fatetur, reipſa negat. Cum Chriſto, qui ambulat in medio ſeptem aureorũ candelabrorum, & Eccleſiæ ſuæ non modò intereſt, ſed præeſt, extrauagans iſte Sacerdos, à ſe lectus vicarius, Princeps voluntarius regnet, tanquam abſentis vices ſuppleat, & totam Chriſti poteſtatem in cœlo & in terra ſibi aſſumens, Chriſtum titularem Regem faciat, & otioſum Deum, vt eidem denuò cum Iudæis ad ludibrium coronam ſpineam imponere capiti, & ſceptrum arundineum in manũ tradere videatur. At *Chriſtus Rex inuiſibilis*

ſibilis, Papa viſibilis: At Chriſtus, quãuis inuiſibilis, realiter adeſt in euchariſtia, immò *carnaliter*, vt Papa docet, falsò, docet tamẽ. At in reali præſentia maioris, id eſt, Chriſti, nulla eſt re-
„ alis potentia minoris, id eſt, Papæ. Ita realis Chriſti præſentia
„ in euchariſtia tollit viſibilẽ & ſpiritualem Regem ex Eccleſia.

Iam cum officia Chriſti, quæ verbo fatetur, reipſa neget: quid mirum, ſi beneficia minuat, quæ ex officijs emanent? Si crucem dans, crucis meritum elidat: ſi mortem docens, mortis virtutem aboleat: ſi ſpiritum concedens, energiam ſpiritus eneruet: ſi Euangelium prædicans, Euangelij lucem extinguat, dum liberum arbitrium cum Dei gratia: ſatiſſactiones humanas cum Chriſti ſanguine: inhærentem iuſtitiam cum imputata obedientia in iuſtificatione confundat; vt pars ſalutis homini, pars Deo tributa, gloriam tanti operis inter Deum & hominem diuidat. In quo maioremne Deo contumeliam, an hominibus iniuriam faciat Antichriſtus, ſatis conſtituere non poſſum. Ex præmiſſis breuiter argumentabor.

Quicunque Chriſtum Ieſum negat obliquè & indirectè, eſt Antichriſtus.

Papa Romanus Chriſtum Ieſum obliquè & indirectè negat; cuius naturas, proprietates, officia, beneficia tollit.

Papa igitur Antichriſtus.

In quibus ſemper aliud agit, aliud ſimulat.

Aſtutus igitur Antichriſtus.

CAP. III.

In quo fumoſum Antichriſti regnum, & locuſtarum ingenium ex Iohanne fuſiùs deſcribitur.

Apocalyp. 9. 1



Tellæ de cœlo deciduæ datam dixit S. Iohannes clauem putei Abyſſi. Vide in hoc inferni negotio, angelus Abyſſi quàm ſe ſedulum oſtenderit.

2. Nam vt clauem accepit, ſic ſtatim adhibuit ad aperiendum puteum Abyſſi, vt ſequitur in S. Iohanne. Vnde aſcendit fumus putei, vt fumus fornacis magnæ

magnæ, & obſcuratus eſt Sol & aër à fumo putei.
3. Fumoſum igitur Antichriſti regnum & tenebroſum. Non arbitror quenquam literalem potiùs quàm literatum Apocalypſeos interpretem tam ineptum eſſe, vt hîc tenebras exteriores intelligi ſentiat, & Solis quem videmus, aëris quē haurimus, non animarum atque mentium obtenebrationem deſignari, fumoſque ex camino, non ex inferno exhalantes deſcribi putet. Iam regnum Chriſti regnum lucis, regnum igitur Antichriſti regnum tenebrarum. Quarta tuba ſonante tertiam partē Solis & Lunæ & ſtellarum obſcuratam Iohannes dixit fuiſſe, cum Chriſti humanitatem deſtrueret Marcion, diuinitatem negaret Arrius, ſic vt orbis factus eſſet Arrianus; naturas confunderet Eutyches, diuideret Neſtorius, cum Chriſti gratiam obfuſcaret Pelagius: ſed nihil ad has tenebras vniuerſales quas induxit Antichriſtus. Nam ille aliquid maligni ſumpſit à ſingulis, multumque addidit de ſuo, cum Scripturas peregrina lingua claudi iuſſit, ne populus Deum ad ſe loquentem intelligeret: cum preces ignota lingua fundi præcepit, ne populus ad Deum cum intelligentia loqueretur: cum fidem implicitam, id eſt, brutam ignorantiam docuït, qua mentes incredulitate occœcaret: cum picturas intereà non ſpectandas modò, ſed colendas propoſuit, vt oculos vanitate paſceret, animas idololatria ſuffocaret. Nonne hîc puteum Abyſſi apertum intelligitis? Nam præ tenebris non videtis ex puteo fumum aſcendentem, qui Solem ipſum atque aërem obſcurauit. Eſt hoc certè regnum Pontificium. Nam regnum mendaciorum regnum tenebrarum. Quòd laicis Scripturas eripuit, vt margaritas porcis: & preces præſcripſit, vt cantilenas pſittacis: & fidem tradidit, vt Iſagogen aſinis: & imagines dedit, vt libros idiotis. Ita ęternum Chriſti Euangelium Antichriſtus ipſo Sole lucidius & ſplendidius denſitate tartareæ caliginis obnubilat, dignus qui fumo Abyſſi pereat, quòd fumum vendat: vt conſtat ex doctrina Antichriſti, quę Chriſti doctrinæ contraria eſt. Nam Chriſti doctrina quatuor præcipuos in nobis edit effectus. 1. Corruptam hominis naturam abijcit. 2. Salutarem Dei gratiā effert. 3. Concupiſcentiæ vim eneruat. 4. Conſcientiæ

pacem parit. Ita veram peccatori humilitatem inſerit, humili fidem ergà Deum, fideli ſanctimoniam, ſancto ſecuritatem: quò ſibi diſplicens, Deoque fidens, ſancteque viuens, in via certus, in fine lætus exultet. Antichriſti doctrina contrarios planè producit effectus. Nam deprauatam hominis naturam extollit, gratuitam Dei gratiam minuit, concupiſcentiæ fomitem addit, conſcientiæ pacem detrahit. Siquidem peccatorem virium ſuarum opinione tumidum, diuinæ gratiæ diminutione ingratum, intrà turpem, extrà ſpecioſum, in via dubium, in fine timidum facit. Vt nec ſeipſum rectè noſcat, nec in Deum ritè credat, nec piè viuat, nec quietè moriatur. Habes, Paule Quinte, formam & faciem Chriſtianiſmi & Antichriſtianiſmi, tibi tuiſque propoſitam, vt illam ament, iſtam execrentur. Nullæ profectò Ægyptiacæ tenebræ denſiores, nullæ Cimmeriæ ſunt cum ſpiritualibus regni Pontificij tenebris comparandæ, quas Antichriſtus angelus Abyſſi ex fumo putei excitauit.

Cuius adminiſtri locuſtæ, & ſcorpiones ex tenebris & fu-
„ mo geniti, quibus expedit mundum eſſe tenebroſum. Cæca
„ ſuperſtitio liberalior, vt putant, atque obſequentior illis erit,
„ quàm oculata religio.

4 Ex fumo locuſtæ exierunt, inquit S. Iohannes.

Ex fumo corrupto locuſta naſcitur: ex peruerſa doctrina monachus Antichriſtianus, qui neque volat in altum per cœleſtem contemplationem, nec graditur infrà ſecundùm Dei ordinem, ſed Luciferianis quibuſdam ſpeculationibus in cœlum elatus, rurſus in terram decidit. Et cum quædam de ſacra Triade verè & grauiter diſputauit, ad inaniſſimas traditiones ſuas ſubinde relabitur, vera quædam admiſcens multis falſis,
„ vt diabolus, qui vera præmittit, vt falſa inferat. Rectè locuſta
„ ex ignorantia populi creſcens, tanquam ex fumo.

Locuſtæ ſunt ſeniores & iuniores. Seniores ex familia Franciſcana, Dominicana, Benedictina, &c. Iuniores ex familia Loyailana, docti & expoliti: qui poſtquam in linguam Anglicanam Teſtamentum tranſtuliſſent, Rhemenſes nouum, Duacenſes vetus: fumoſas quaſdam interpretationes appoſuerunt, quibus coactæ verſioni tenebras inducerent. Ita

versionem satis per se perplexam annotatio magis perplexam facit. Vt in hoc mysterio videre licet, cuius multis sanè partibus satis lucis à textu & euentu, fumi multum assurgit è glossa & commentario Iesuitarum. S. Johannes Antichristum illum dicit fuisse suo tempore, quem S. Paulus dicit ad Christi aduentum duraturum. Quid clarius? Huic illi loco caliginem offundunt ex glossa, quæ fingit Antichristum illum vnum esse hominem & triennalē. Sanctus Paulus illum ponit apostatam non à nomine, sed à fide Christi; & apostasiam duabus perspicuis notis definit. Huic loco fumum aspergunt è glossa, quæ comminiscitur illum esse Iudæum, qui nunquam antè accesserat ad Christum, nunquam igitur à Christo discesserat. Quid dilucidius, quàm Antichristi sedem esse vrbem septicollem, & regnatricem, vt sanctus Iohannes ponit, iam templum & Ecclesiam Dei factam, vt sanctus Paulus exponit: id est, Romam, vt ipsi fatentur. & tamen huic luci noctem inducunt ex alia glossa, sedē illius esse Hierosolymam. Cuius, post prædicationem Euangelij in toto orbe, finalem interitum Christus prædixit fore: & Propheta Daniel templi desolationem vsque ad consummationē & finem perseueraturam, id est, finem mundi, vt non modò Hieronymus, sed Christus exponit, Lucæ. 21. 22. 24. Tamen & Danieli & Christo mendacium impingunt, dum Hierosolymam ab Antichristo fingunt reædificandam vnà cum templo, in quo, sedeat & regnet. Quid euidentius, quàm Enochum esse translatum, ne videat mortem? Heb. 11. Et tamen huic textui manifesto fumosam & planè contrariam glossam apponunt, rediturum esse, vt videat mortem, vt interficiatur scilicet ab Antichristo. Nonne videtis ex fumo putei genitas locustas, quæ certis clarisque Scripturæ sententijs, quasi Solis radijs, fumum suis glossis offundunt? vt huic mysterio non illustrando, sed obscurando studere videantur. Nihil magis metuunt, quàm ne grauis ille cucullus detrahatur Antichristo suo, qui nunc intùs quasi Democritus ridet orbem, quem fumo suo deceperit. Vnde, quemadmodum Poetę mœstum Agamemnonem obuoluto capite propter magnitudinem doloris in scenam inducunt; sic isti Poetæ obuoluendum cucullo caput hilari

[Margin: Matth. 24. 14.]

hilari ſuo Antichriſto propter magnitudinem riſus exiſti-mant, dum prodit in ſcenam, ne ſe deriſum orbis ſentiat.

5 Multitudini & potentiæ locuſtarum reſpondet numerus & potentia monachorum, veterum & nouorum, præſertim Ieſuitarum, quorum numerus vires illis addit ad nocendum.

6 Data eſt illis poteſtas ſicut ſcorpionibus terræ: præceptumque ne lædant fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem, ſed tantùm homines, vt ſequitur in S. Iohanne.

Sunt igitur locuſtæ rationales, ſed quæ ratione ſua ad perniciem hominum abutantur. Non enim herbis & arboribus inſiliunt, ſed corpora hominum atque animas infeſtant, quos aculeis configunt, veneno inficiunt, & lenta morte conficiunt.

Iſti Ieſuitæ, quos ad viuum repræſentant locuſtæ & ſcorpiones, veneno ſuo ſuffocant & extinguunt fidelitatem ſubditorum ergà Principem, & fidem Chriſtianorum ergà Deum.

Fidelitatem ſubditorum, dum illos docent abſolui à fidelitatis iuramento ſuis Principibus præſtito, quos Pontifex excommunicatos denuntiauerit, *Qui Reges Catholicos in fide, ſed malos, tanquam arietes: hæreticos, tanquam lupos, arcere poteſt à grege, dominioque priuare, vt ſcripſit Bellarminus: neque ſolùm hæreticos manifeſtos, ſed etiam occultos, quemadmodum Symancha: nec ipſos modò, ſed eorum filios & fautores eradicandos cenſuit cũ Symancha Creſwellus: quibuſcunq; modis, vt Sanderus, ſiue vi, vt à Iehu Ieſabelem, ſiue dolo, vt à Iuditha Holophernem, quemadmodum Reynoldus & Bouchierus: ſiue cultro & pugione, quibus Henricum tertium & quartum Galiorum Reges indigniſſimè necatos eſſe conſtat, vtrumque catholicum, vt vocant, tantùm quia faueret hæreticis, & ante ſententiam latam: ſiue pugione & veneno, quibus ſæpe modis petita eſt Elizabetha regina, vt ſuaſit Walpoolus & Comenſis: ſiue puluere tormentario, quo Regem Iacobum cum tota Regali progenie & nobilitate, quo totum Britanniæ regnum à nefarijs quibuſdam coniuratis Anglis penitus diſperdendum cenſuit Garnettus Ieſuitarum in Anglia Prouincialis.* Vnde conſtat cleropapiſmum, cuius medullam pono Ieſuitiſmum,

tiſmum, eſſe nihil aliud, quàm perduellionis catechiſmum. Non hic venenum locuſtarum ſcorpionum agnoſcimus, quo ſubditorum erga Principes fidelitatem extinxerint? Venenum aliud, ſi placet, videamus, quod ſimplicium animis ſuffuderint, vt Chriſtianorum fidem ſuffocarent. Quam implicitam eſſe docent oportere, qua laici credant, vt Eccleſia credit; cum tamen vel quid ipſi, vel quid Eccleſia credat, ignorent. Vt Bellarminus *non in notitia, ſed in aſſenſu ſitam* docet, *fidem carbonarij fidem circularem, quam Staphylus celebrauit. Quam Magiſter Sententiarum probat ex Iobi* 1. *verſ.* 14. *Arabant boues, & aſinæ paſcebantur iuxta eos. Multi credunt*, inquit, *quæ ignorant, & fidem habent velatam in myſterio. Maiores & doctores bobus aſſimilat, minores & ſimplices aſinis, qui in humilitate maioribus adhærendo in myſterio credunt.* Aſinina interpretatio, pace Magiſtrti dixerim. Ex qua tamen liquet, Laico-papiſmum nihil eſſe aliud quàm merum idiotiſmum.

Mag. lib. 3. diſtinct. 25.

8

9 Nec tamen iſti locuſtæ ſcorpiones omnes homines lædunt, ſed eos tantùm, qui non habent ſignum Dei in frontibus ſuis: horum animos veneficijs ſuis inficere conantur. Vt doceat S. Iohannes colluuiem hominum incredulorum eſſe tantummodò prædam locuſtarum.

10 Et datum eſt locuſtis ſcorpionibus, non vt occiderent homines, ſed vt cruciarent menſibus quinq;. Quod quomodo verum eſſe poteſt, inquiet aliquis, cum Ieſuitæ ſint inſignes homicidæ?

Reſpondeo, loqui S. Iohannem hoc verſu de ſtrage animarum, quam iſtæ locuſtæ vaſtratrices potiſſimùm ſolent edere. In qua non vno ſtatim ictu homines occidunt, ſed ſenſim cruciando necant, vt ij qui ſunt à ſcorpionibus icti, cruciatu lento contabeſcunt. Hic eſt ſenſus S. Iohannis, cum dicit ſcorpiones non occidere homines, ſed cruciare.

Nam dum iſti ſcorpiones Antichriſtianiſmi ſui virus hominibus inſtillant: Deus bone, qualem morſum, qualem aculeum poſt ſe relinquunt? vt vexant hominum conſcientias? vt mordent intus & pungunt? Sentiunt homines ſe eſſe miſerrimos peccatores, & poſt mortem iudicium timent. De vero igni gehennæ pauca, de falſo Purgatorij multa ex monachis

audiunt: peccati amaritudinem ſentiunt, non ſentiunt remedij ſuauitatem. De Chriſto nonnunquam aliquid audiunt: de cruce, de morte, de reſurrectione Chriſti, velut hiſtoricè concionantes monachos attendunt: de virtute crucis, de mortis beneficio, de reſurrectionis efficacia, quarum omnium vis & energia in ſpeciali applicatione conſiſtit, altum ſilentium. Immò verò præſumptionem & arrogantiam doctores eſſe clamitant, ſi ſaucia pœnitentis peccatoris cõſcientia fide Ieſum Chriſtum ſuũ ſeruatorẽ eſſe ſibi certò perſuadeat; ſeque in ſtatu gratiæ eſſe confidat, niſi fortè cuiquam Angelus id ſpecialitèr reuelarit. Quaſi fideli cuiuſque ſpiritui, Chriſti Spiritus, Angelorum Deus, non interius, & certius, & auguſtius teſtimonium dederit, ipſum eſſe filium Dei, & hæredẽ cœli, & cohæredem Chriſti: modò ſe fidelis regi ſentiat à Spiritu Chriſti, à quo teſtimonium acceperit: & regiminis gratiam cum ſolaminis gratia copularit. Quarum neutrum ſentiunt aut docent iſti locuſtæ ſcorpiones, qui dũ ſuos diſcipulos ſancta diuinæ miſericordiæ fiducia priuant, nec Deo ſeruire ſinunt filiali ſpiritu, ſed ſeruili, ideoque nec lætitia ſpiritus, nec conſcientiæ pace potiri in auguſtia patiuntur; & remittunt tremulos peccatores ad theſaurum Eccleſiæ, papales indulgentias, ſatisfactiones humanas, cæteraſque quiſquilias generis eiuſdem. Intereà & doctores aſtuti, & diſcipuli infauſti, veræ fidei & pœnitentiæ penitus expertes, cum omnia fecerint, intus tamen, intus horrorem diuini iudicij & tormentum conſcientiæ grauiſſimum perſentiſcunt. Siquidem iſti locuſtæ ſcorpiones illos aculeis ſuis pupugerunt.

Vnde dicitur cruciatus eorum vt cruciatus ſcorpionis cum percuſſerit hominem.

Nam vt ſcorpio cum cauda aculeata pungit hominem, non ſtatim ſentitur vulnus, ſed pòſt paulatim venenum lethale diffundit: ſic læſi ab hiſce ſcorpionibus Loyalanis non ſtatim ſentiunt vulnus, ſed ſenſim ſine ſenſu pereunt, vbi peſtiferæ
" doctrinæ venenum inſuxerint. Ita lædunt homines locuſtæ
" ſcorpiones numero, veneno, aculeo.

11 Miræ locuſtæ, quæ comparantur equis paratis ad præliũ.

Quid

Quid locusta vilis ad equũ bellicosum? Hic tamen horum vilium locustarum robur expressit.

12 Gerunt etiam locustæ coronas in capitibus: vbi dolum & fraudem demonstrauit. Obseruatione dignum est locustarum capita coronata dici, cum Bestiæ marinæ pòst ferantur cornua coronata. Cur? Nisi quòd sacerdotes plus dolo & astutiâ, quàm Imperatores ethnici violentiâ valuerunt.

13 Sed coronas locustæ non aureas gerunt, sed similes auro. Hîc fastum depingit. Veræ & aureæ coronæ sunt regum propriæ, fictæ & falsæ sacerdotum; ideoque non aureæ, sed similes auro esse dicuntur. Quibus tamen vt veris & suis insolescunt. Nam illæ patientiâ regum tantoperè valuerunt, vt aureas illis sæpe coronas excusserint.

14 Facies locustarum vt facies hominum, quibus homines decipiant.

15 Capilli mulierum, qui varias falsæ doctrinæ illecebras & lenocinia repręsentant. Vbi rursum locustarum describit astutiam.

16 Dentes quasi Leonum, quibus instar domini sui Leonis rugientis, eos, quos dolo ceperint, rictu lacerent atque discerpant. Habes sæuitiam & feritatem.

17 Et habent loricas vt loricas ferreas. Nobiles locustæ, bel- “
licosæ, capitibus coronatis, faciebus humanis, capillis fœmi- “
ninis, dentibus leoninis, galeatæ & loricatæ, à Spiritu sancto “
elegantèr ad viuum describuntur. “

Dicet fortè aliquis, totum hunc locum non de Antichristo, eiusque administris, sed de Turcis intelligendum. Respondeo, id fieri non posse. Nam cum quarta tuba sonante Angelus hæresiarchas Antichristi præcursores præmonstrasset: quinta tuba sonante Angelus hæresiarcharum regem inducit: cui terribili sanè procemio præcedit Angelus capite octauo in extremo, voce magna sonans Væ, væ, væ habitantibus in terra. Cap.9.ver.1

Primo væ tenebrosum Antichristi regnum intelligens. Se- “
cundo væ violentam Turcæ tyrannidem. Quod non potest “
esse idem, quià dicit versu 12 Væ vnum abijt: & ecce veniunt “
duo væ posthac. Non est igitur hoc idem væ, sed aliud væ. “

Tertio væ terribilem postremi iudicij grauitatem.

Bellarminus. Christiana nic. Paccnius. Becanus. Personius. Cidonius. Garnettus. Gerardus. Grenwellus. Creswellus. alijque innumeri.

At Bellarminus vno verbo dicit, nec probat, *Lutherum esse stellam cadentem, Lutheranos & Protestantes locustas*; oblitus Paulum quintum Principem, se magnum Ducem martialium locustarum. Qui postquam serenissimum Iacobum Iuliano Apostatæ comparasset, obliquè significat denuntiatum excōmunicatum à suis subditis occidi in prælio posse, quamuis non à sicario. Sanguinarius Cardinalis à Pasquillo aptè depingitur, *In cauea leo*; cum verbo sanè perapposito:

APERI CAVEAM, CERNES INDOLEM.

Nimis dentatus iocus, dicet aliquis, in doctissimum Cardinalem. Itanè? qui probat cædem Regis in prælio, non meretur reprehensionem in prælo? Non tractat serenissimum Iabobum, vt Regem; ne nos quidem illum, vt Cardinalem. Fuit anteà doctus, nunc malitiosus. Anteà disputationis, nunc rebellionis dux & signifer. Anteà tectus, nunc apertus inimicus. Non defuit antea scorpioni virus, sed delituit. Cardinalis Comensis sicarium apposuit Parræum, qui Reginam Elisabetham pugione interficeret. Cardinalis Bellarminus nihilo honestior, sed occultior, negat Regem occidendum à sicario, sed à milite non negat. Quasi quicquam intersit ad parricidium vtrùm quis Regem suum in campo, an in lecto, vtrùm aperto marte, an occulta fraude necauerit. Rectè dici potest de Bellarmino, quod Cicero dixit de magno causidico, Regem occidat oportet, qui eius opera vti velit. Itaque huic tortuoso sophistæ, & locustæ loricato & sanguinario licet illud iure suggerere, quod cerdoni cuidam Martialis:

Irasci nostro non debes, Torte, lepori:
Fraus tua, non vita est læsa lepore meo.
Ingenuos permitte sales. Cur ludere nobis
Non liceat, libeat cum iugulare tibi?

Quàm promptum discipulum Rauiliacum inuenerit huius auditor Mariana, docet numquam satis deflenda mors nobilissimi Gallorum Regis, Henrici Quarti, nunquam satis à Regibus vindicanda. Primus horum discipulus ei dentem excussit: secundus vitam eripuit: ipsi cor sepelierunt. Mag-

nanimus

nanimus Rex à teterrimo parricida interfectus, Cæsari similis & in vita & in morte, ita querens à Christiano Poeta quodam inducitur:

Marte tibi vt fueram similis, fortissime Cæsar,
En etiam similis nunc tibi morte cado.
Sed te mors ausa est à fronte lacessere ferro,
Sacrilega à tergo dat mihi sica necem.
Et tu patriciæ cecidisti vulnere dextræ,
De vili obscurus me latro plebe necat.

Sed iste latro non fuit, inquies, *discipulus Marianæ*. Certè non plus quàm Catsbæus, Percæus, Wrightus, Fauxus, fuere discipuli Garnetti, Personij, Gerardi, & Grenwelli. Sed ad S. Iohannem reuertamur, qui locustis caudas aculeatas tribuit, & 18
cyclum, id est, breue tempus ad nocendum: quorum Regem Angelum Abyssi ponit ad extremum, cui nomen Hebraicè A- 19
baddon, Græcè Apollyon, id est, perdens: ipsus Romanus Antichristus destruens animas, perdens respublicas, deijciens coronas, dissipans Ecclesias: armatus tot legibus sanguinarijs, tot synodis coniuratis, legionibus bellicis, vinculis, laqueis, carceribus, tormentis, ignibus, tot stipatus Inquisitoribus, tot emissarijs Iesuitis, alijs dogmaticis, alijs pragmaticis Regicidis, vt Abaddon & Apollyon dici iure possit.

Vides, Paule Quinte, Romani Antichristi genium ex stella, quæ de cœlo cecidit; ex claue Abyssi, quam accepit; ex Abyssi puteo, quem aperuit; ex putei fumo, quem eduxit; ex fumi regno, quod extruxit; ex fumi fœtu, quem extrusit, locustis scorpionibus; qui monachos & veteres & nouos ad viuum effingunt; numeroso examine, quo lædunt; duplici veneno, quod infundunt; lethali aculeo, quem infigunt; potentia, superbia, fraude, sæuitia, quam exercent; verè vt subditi digni suo Rege Abaddone videantur, cui obtemperant.

CAP. IIII.

In quo Quid gesserit bestia, declaratur.



QValis Antichristus sit exposuimus: nunc quid gesserit, exponamus. Cuius ingenium expressit stella, quæ de cœlo cecidit: res gestas exprimet Bestia, quæ de terra ascendit.

Duplicem autem bestiam descripsit S. Iohannes, vnam è Mari ascendentem, alteram è Terra. *Illa vobis significat Romanum imperium: ista propriè dictum Antichristum.*

Bellarm. lib. 3. de Pont. Cap. 15. lib. 3. cap. 10. & 15.

Romana Monarchia ascendit è Mari, id est, è turbulento statu, è factionibus discordijsque nationum, tanquam è pelago procelloso: quæ vocatur bestia non respectu ciuilis potestatis quam accepit à Deo, sed bestialium vitiorum, quæ sumpsit à dracone.

Alteram bestiam Propheta inducit ascendentem de terra, non eandem, sed diuersam, similem quidem in multis, non tamen eandem. Vidi enim, inquit S. Iohannes, alteram bestiam ascendentem de terra, quæ cùm septimum caput Romanæ bestiæ dicitur, tum bestia etiam ipsa per se, propter differentem originem & naturam.

" 1 Orta de terra. Ergò terræ filius Antichristus. Ideò de terra, quia de terrena & sensuali concupiscentia & consilio diabolico natus; vt hæc tria idem significantia coniungit Iacobus Apostolus, terrenum, sensuale, diabolicum.

2 Loqui igitur dicitur vt Draco, quamuis duo Agni cornua simulet, de quibus suprà satis.

Atque hìc Bellarmino nobiscum propemodum conuenit, *Dracone diabolum intelligi: priore bestia vniuersitatem impiorum, sed sub Romano imperio*, vt nos cum omnium interpretum consensu ponimus, nec alibi negat Bellarminus. *Posteriore bestia Antichristum, vt alibi: in apologia simul prædicatores & Apostolos Antichristi; quem etiam prioris bestiæ caput occisum, & reuiuiscens, nobiscum agnoscit veram illius imaginem bestiæ.*

3 Cuius potestatē omnem facere dicitur in conspectu eius.

Primò constat vnam eandemque sedem vtriusque bestiæ

positam

positam vrbem septicollem, quæ Regibus Principibusque dominata est; quæ non potest esse alia quàm Domina Roma. In qua sede marinæ bestiæ terrena successit, omnemque potestatem imperij Romani ad se transtulit, adeò vt à suis Regnum sacerdotum appelletur. Omnem igitur potestatem prioris bestiæ facit in conspectu eius, id est, Romæ.

4 Facit terram & inhabitantes in ea adorare bestiam. Quomodo? dicet aliquis: cum Pontifex cogat incolas terræ non Imperatorem colere, sed seipsum.

Ita videlicet, si bestias intelligas non personas quæ regnabant, vel in Imperio vel in Papatu, sed tyrannicas potestates, quas personæ belluinæ exercebant. Deinde, si consideres potestatem Papalem esse reuerà Imperialem, & quamuis Christi se nomine contecta commendet, tamen à dracone introductam æquè atque alteram, vt draconem colat: & viuam esse imaginem Imperatoriæ potestatis, quæ Pontificiam continebat. Erat enim Imperator Pontifex maximus. Iam Imperatores blasphemias in Deum euomebant, verum Dei cultum condemnabant, veros Dei cultores opprimebant, cultum dæmoniorum defendebant; draconi, à quo tyrannicam potestatē acceperant, apertè & palàm seruiebant. Quid Pontifices? Annon ore blasphemo diuinum numen & nomen cum Domitiano arrogarunt? Annon Christi gratiam cum Iuliano deriserunt? Annon Christi seruos cum Diocletiano afflixerunt? Annon cultum & doctrinam dæmoniorum inuexerunt? Et dum nomen Christi apertè gererent, annon draconi clàm & occultè seruierunt? Ita discrimen inter Imperatores & Pontifices, quoad cultum draconis, in modo fortasse nonnullum, in re planè nullum cernitur. Sed hîc necessaria adhibenda distinctio est. In Imperatoribus cæca Christi ignoratio, in Pontificibus primis vera Christi confessio, in succedentibus ficta Christi professio, qui veterem Romanam idololatriam & tyrannidem verbo condemnabant, re autem reuocabant. Quid enim aliud est Papismus, si multas eius partes verè expenderis, quàm " recoctus paganismus? cuius authores adeò fascinati à diabo- " lo, vt aliud intenderent, aliud agerent; intentione Deum, "

reipsa

reipſa draconem colerent, vt deceptores, ſic decepti, dæmoniaci cultus authores, vt ait S. Iohannes, dæmoniacæ doctrinæ, vt ait S. Paulus. Quid igitur aliud eſt papiſmus ſiue cultum, ſiue doctrinam conſideres, quàm occultus draconiſmus? Putant ſe rectè facere cũ alios mediatores, ſiue Angelos, ſiue Sanctos. inuocant: cum Sanctorũ imagines adorant: *cultum, qui debitus eſt exemplari*, vt aiunt, *reddentes imagini*; quod contrà decuit, nullum reddere cultum imagini, cum nullus ſit debitus exemplari: putant in eo ſe piè facere, ſed reuerà dæmonia colunt cum colunt ſimulachrum, vt docet S. Iohannes. Ex quo Lactantius concludit, nullam ibi religionem eſſe, vbi ſimulachrum eſt. Vnde conſequitur, Romanam ſynagogam eſſe vacuam religione, quia eſt plena ſimulachris. Putant Pontifices ſe eſſe abſtinentiæ & continentiæ magiſtros, cum cibos & nuptias conſcientiæ cauſa prohibent; reuerà dæmoniorum doctrinam inducunt, vt docet D. Paulus. Non hoc intendunt, inquies. Non intendit ſicarius patrem ſuum occidere, ſed hoſtem: at pro hoſte patrem in tenebris occidit; dicemus igitur illum non patrem occidiſſe, ſed hoſtem, quia non patris, ſed hoſtis mortem intendit? Quod ſi abſurdum dictu ſit in hiſce exterioribus tenebris, quin æquè abſurdum in interioribus animæ tenebris iudicamus, ſiquis dicat ſe Deum colere, cum draconem colit, quia Deum intẽdit colere, non draconem? Ergo Imperatores & Papæ conueniunt in tertio, hoc eſt, in dracone adorando, à quo ſuam poteſtatem acceperint. Adde, quòd Papa, in quo imago prioris beſtiæ reuixit & reluxit, vt pòſt patebit: dum cogit homines ad adorationem ſui, eos dici poteſt ad imaginem prioris beſtiæ adorandam compellere. Vnde ſic diſputo.

Qui cogit homines adorare imaginem prioris beſtiæ, eſt Antichriſtus.

Papa cogit homines adorare imaginem prioris beſtiæ.

Papa igitur Antichriſtus.

5 Nam prioris beſtiæ lethalem plagam dicitur curare atq; reficere: & imagini prioris beſtiæ ſpiritum & vocem reddere.

Ne ſim longior in ijs, quæ ſunt ab alijs latiùs explicata, plagam lethalem accepit Imperium in Auguſtulo, qui po-

ſtremus Imperatorum occidentalium fuit, à quo mortuum iacuit imperium annis trecentis & 25. donec à Papa in Carolo magno renouatum, quaſi reuixit, vt Bellarminus glorians confitetur. Ait enim, *Papam imperium à Græcis primùm ad Gallos, deinde ad Germanos tranſtuliſſe, & ſanxiſſe vt Imperatoris electio penes ſeptem viros eſſet, ſed ea lege vt Imperatoris electi confirmatio & inauguratio ad Pontificem pertineret*: vt iſto modo caput illud emortuum ſpiritu Papæ reuiguiſſe quodammodo & reuixiſſe videatur. Sed ſibi vim imperij reſeruans Germanis nomen reliquit: vt Bellarminus imprudens fatetur, *Antichriſtum fore vltimum, qui tenebit Romanum imperium, ſed ſine nomine Romani Imperatoris.* Eſt igitur Germanicus Imperator reſpectu potentiæ planè titularis; poteſtatem enim imperij Pontifex non ſpiritualem modò, ſed etiam temporalem ad ſeſe omnem tranſtulit: ergò ſtatus Antichriſti viua imago veteris imperij. Germanicum imperium, non tam imperium, quàm titulus imperij veteris, & mortuum ſimulachrum: cui ſpiritũ, id eſt, authoritatẽ; & vocem, i. edicta reddidit Pontifex, cum Imperatorẽ cõfirmatione ſua velut animauit. Quorſum verò? Vt ſedem Pontificiam, in qua vis imperij ſine nomine reſidet, iuxtà Iohãnis prophetiam fulciat atq; ſuſtineat. Vnde Imperatorem Germanicum procuratorem & protectorem Apoſtolicæ ſedis appellant. Vnde ſic argumentabor. Cap. 15. de miracu. anti.

Reſtitutor Romanæ veteris monarchiæ eſt Antichriſtus: teſte S. Iohanne.

Solus Pontifex Romanus eſt reſtitutor Romanæ veteris monarchiæ, non modò teſtante, ſed gloriante Bellarmino.

Solus igitur Romanus Pontifex eſt Antichriſtus.

At hunc locum Bellarminus iuxtà literam exponit: ſicut & illum de igni cœlitus deducendo.

Facit, inquit, *Antichriſtus & Antichriſtiana Eccleſia, vt imago beſtiæ viuat & loquatur.*

Nunquam autem Pontifex, vel Pontificia Eccleſia fecit, vt imago beſtiæ viueret atque loqueretur,

Non eſt igitur Pontifex Antichriſtus.

Porrò *Antichriſtus*, inquit, *de cœlo deducet ignem in conſpectu hominum.*

Pontifex nunquam de cœlo deduxit ignem in conſpe-

ctu hominum.

Non est igitur Antichristus.

Propositio primi syllogismi literaliter intellecta, non est S. Iohannis propositio. Non enim cuiusuis bestiæ imago animanda est ab Antichristo, sed imago prioris bestiæ, id est, Romani imperij: quam Papa, quoad nomen & titulum in Imperatore, quoad robur & potentiam in seipso renouauit. Peruersè igitur ex S. Iohanne colligit datam Antichristo potestatem animandarum imaginum, aut vocum formandarum, quod sanis hominibus æque credibile videri solet, ac Mēnonis statuam Solis ictu tactam, vt meminit Tacitus, articulatam vocē emisisse. Sed fac ita esse: assumptio literaliter intellecta Papæ conuenit & Papisticæ synagogæ, si Legendæ credis. Quoties enim ab illis mouere, sudare, annuere, loqui finguntur imagines, in conspectu & opinione simplicium, vt ad Sanctorum cultum, quorum sunt imagines, inuitentur?

Martialis. Portentum est quoties cœpit imago loqui.

In imaginibus Ethnicorum sæpe diabolus est loquutus: in imaginibus Papistarum Sacerdos, vt diaboli vicem ad homines deludendos gerere videatur. Retorqueo igitur argumentum.

Quæcunq; Ecclesia facit, vt imagines hominum opinione loquantur, Antichristiana est.

At papistica Ecclesia facit, vt imagines opinione hominum loquantur.

Papistica igitur Ecclesia est Antichristiana.

6 Venio iam ad alterum Bellarmini syllogismum, si prius sextam illam actionem bestię (Et facit signa magna, vt etiam ignem faciat de cœlo descendere in conspectu hominum) paucis explicaro.

Bestia, id est, Antichristus, facit magna miracula, ver. 13. quæ beatus Paulus signa & miracula mendacia appellat. 1. Ratione finis, quia seducendis hominibus seruiunt, Ioh. 14. 2. Ratione materiæ; sunt enim vel figmenta mendaciū hominum, vel portenta fallacium spirituum: vt loquitur Augustinus. 3. Ratione formæ, quia cum vera miracula naturā excedant, & omnipotentia Dei producantur; falsa dicenda sunt, quæ

partim

partim ex causis naturalibus efficacia Sathanę fiunt. In quibus omnibus Bellarmino nobiscum optimè conuenit. Primi & secundi generis miracula infinita in regno Antichristi tenebroso extiterunt; apparitio spirituum, visiones Angelorum; Domina nostra quàm sæpe veluti natauit è cœlo? misellæ animæ quàm sæpe erepserunt è Purgatorio lachrimantes, obsidentes vias, & tormenta sua commemorantes, vt misericordiam viuorum elicerent? Hinc prouincia Purgatorij adeò quæstuosa facta est: hinc peccatorum maximę nundinæ. Tum imagines pedibus ingredi: tum campanæ per se sonare potuerunt: tum Angeli velut pueri symphoniaci in Cantuariensi Ecclesia cantitare & Dunstani cythara ludere: tum Apostoli de cœlo descendere, vt Basilio operam suam ad Missam celebrandam commodarent. Hæc omnia mendacia miracula à vafris nebulonibus subinde conficta, vt miraculosa mendacia confirmarent, pecuniasque à simplicibus abraderent. Quoties enim spiritus à magistratu deprehensus, Angelus excussus, Domina nostra commissa caueæ, simul omnes egregie vapularunt? animæ virgis cæsæ, vt maluerint esse in purgatorio? omnesque technas & præstigias suas, causam doli, modum facti, metu supplicij detexerunt. De hijs miraculis Paulus loquutus est: quæ plane falsa, speciem miraculorum habebant, virtutem non habebant, mendacium hominum figmenta. Erant alia fallacium portenta spirituum, quæ partim vi causarum naturalium, partim efficacia Sathanæ extiterunt, vt illa synagoga altera plane Canidia videretur. Facit Antichristus ignem de cœlo descendere in conspectu hominum, inquit S. Iohannes; id est, hominum opinione, vt hominibus videtur. Vtrum id mystice, an literaliter accipiendum sit, paucis videamus. Ignis iuxta Scripturam mystice descendit, vel cum Deus approbat religionem, & sacrificia seruorum suorum, vt Abelis & Eliæ: vel cum Deus extraordinaria ratione gratias Spiritus in suorum corda demittit, vt in linguis ignitis: vel cum Deus ignem de cœlo proiecit precibus suorum commotus, vt Eliæ, ad hostes suos dissipandos. 1. Ignis victimæ, 2. Ignis gratiæ, 3. Ignis vindictæ. In omnibus Dei simia Antichristus. Nam suum Missæ sacrificium confirmauit

& approbauit miraculis, & transubstantiationem. Testis est illa columma ignea è cœlo, pertingens in terram vsque in eum locum, vbi negligentia Sacerdotis, vt Legenda commemorat, corpus Dei ex pixide cecidisset in gramen: columna autem ignea instar Solis fuisse dicitur circà corpus Dei, sic vt omnia pecora campi, excepto nigro quodam equo, qui vnum tantùm genu flexit, genua quatuor corpori flecterent. Quod ego miraculum è Legenda transtuli, vt gratificer Bellarmino, quò sciret tum fuisse pecora bene educata, similia suo famelico iumento, quod pabuli oblitum sui sacramentum flexis genibus adorabat. Quod animalia non fecissent, nisi Deus, scilicet, columnam igneam cœlitùs demisisset, qua corpus Dei iacens in gramine demonstraret. Adde, quòd Antichristus gratiam Spiritus & sanctificationis, agnis Dei, granis benedictis aquę lustrali, & campanis impertiat, vt Primasius exponit. Porrò diuina vindicta, velut igni cœlitùs delapso suos hostes conterit, sed opinione hominum, qui quos Antichristi iracundia percellit, eos diuina vindicta velut igni cœlitus proiecto percussos existimant. Quod vtrum de excommunicationis fulgure verùm sit, quod Papa, qui vindictæ deus nominatur, iacit, Reges viderint, quorum regna sæpissime illo Papali fulgure deflagrarunt. At excommunicare Regem, nullum est, inquiunt, miraculum. At sic excommunicare Regem vt de regno deijcias, & subditos à Regis sui obedientia absoluas, magnum est miraculum, vel Reges tam fuisse patientes vt ferrent, vel subditos tam insanos vt crederent. Quare non est hic materialis ignis, sed mysticus deductus è cœlo per Antichristum in conspectu hominum, non quòd ita reuerà faciat, sed quòd ita facere videatur. Quanquam si literalis expositio magis placet, nactus sum Gregorium septimum, magum egregium, qui ignem è sinu suo, cum vellet, excuteret. Sic infero.

Quiscunque opinione simplicium vltorem cœlitus deducere videtur ignem, est Antichristus.

Papa id fecit, & facit.

Papa igitur Antichristus.

Progredior. Bestia dicitur omnibus paruis & magnis impressisse

pressisse characterem suum vel in fronte, vel in dextra gerendum; in quo etiam Christum peruersè quidem imitatur. Character Christiani, quem Deus suis seruis imprimit, est subiectio Christo, eiusque solius capitis sui & seruatoris agnitio.

Estque { Partim internus.
Partim externus.

Character internus est vera fides animæ per Dei Spiritum impressa, qua in Christum credimus nostrum vnicum Seruatorem. Character externus vel confessione oris, vel operatione manuum exprimitur. Gerit igitur verè Christianus Dei characterem in corde per fidem, in fronte per professionem, Ro.10. in dextra per operationem: vt S. Paulus exposuit. Porrò duo sacramenta sigilla fidei, testimonia professionis, exercitia sanctitatis. Baptis. & cœna Dominica.

Similiter Antichristus characterem habet proprium & suum, quem Antichristianis imprimit atque inurit. Cuius character pendet ex nomine, nomen ex statu. Bestiæ primæ, id est, Romanæ, siue Latinæ monarchiæ, capita septem fuerunt, id est, septem regiæ administrandæ reipub. formæ. Primum caput Reges propriè dicti. 2. Consules. 3. Decemuiri. 4. Tribuni Militum. 5. Dictatores. 6. Propriè dicti Imperatores. Septimum, Antichristus. Bestiæ status igitur est Romanus aut Latinus. Nomen igitur est Romanum aut Latinum. Ergo character bestiæ est nota discriminis, qua omnes ij, qui sunt Romanæ aut Latinæ religionis, quos Papistas dicimus, ab alijs omnibus discernuntur.

Estque subiectio Papæ Romano, vt suo capiti, eiusque sedis agnitio. Character Antichristi internus & externus.

Character internus, est illa fides implicita, quam suprà attigi. Character externus est externa oris professio, vitæque ad Papæ leges conformatio; vt obseruatio rituum ethnicorum character Græcorum nominatur: qui sacramentis à Papa inuentis confirmationis atque ordinis sancitur. Characterem autem bestiæ sic inurit Antichristus omnibus, neminem vt sinat emere vel vendere, non compunctum bestiæ stigmate. Ita quiuis Papista stigmaticus; alioqui nec domicilia tenebit, nec larem fouebit, nec contractus inibit, nec mer-

 caturas

caturas exercebit, nec humanitatis ſolatia cum Chriſti fidelibus habebit, vt Martinus Quintus in Bulla Conſtantienſi Concilio annexa verbatim declarauit.

8 Sequitur vltimo loco nomen beſtiæ ſiue Antichriſti: non nomen proprium, ſed commune. Quid ſit Beſtia ſi ſcimus. quid ſit nomen beſtiæ intelligemus.

Beſtia ſeptem capitum, vt dixi, eſt ſtatus Romani Imperij, & Latini: cuius ſex capita, ſeu Reges, Romani & Latini appellabantur. Septimus igitur, id eſt, Antichriſtus, vocatur Romanus aut Latinus. Eſt ergo ſeptimus Rex Romani, ſiue Latini imperij Antichriſtus, Papa autem eſt ſeptimus Romani imperij Rex. Papa igitur Antichriſtus.

9 Verùm non modò nomen beſtiæ gerat oportet, ſed numerum nominis eius, non numerum temporis, ſed numerum nominis. Sic enim S. Iohannes, Et nequis poſſit emere aut vendere, niſi qui habeat characterem, & nomen beſtiæ, aut numerum nominis eius. Non dicit numerum temporis, quo Antichriſtus fuit reuelandus, ſed numerum nominis, quod ſuis erat impreſſurus.

Numerus autem nominis eſt numerus annorum ſexcentorum ſexaginta ſex, qui nomine continetur ſiue Hebraico, quo idiomate prophetia S. Iohanni tradita: ſiue Græco, quo idiomate ſcripta à S. Iohanne. Romanus Hebraicè, Latinus græcè ſcriptus, numerum illum conficiunt.

Λατεινος, teſte Irenæo: Romanus, computante Foxio.

Ergo nomen Antichriſti commune eſt Romanus aut Latinus.

Porrò nomen etiam eſt hominis, quod etiam conuenit. Nam Latinus nomen Regis Italiæ fuit, Romanus Papæ. Hîc eſt ſapientia, inquit Sanctus Iohannes, qui habet intellectum computet numerum beſtiæ; numerus enim hominis eſt, & numerus eius ſexcenta ſexaginta ſex.

Vetus traditio eſt à Traditionarijs minimè repudianda, Irenæum nomen Λατεινος ab Ignatio, Ignatium à Polycarpo, Polycarpum à S. Iohanne accepiſſe. Alia ſunt nomina, quæ numerum hunc continent, vt Euandas, & τειταν: ſed neutrum nomen eſt beſtiæ, neutrum nomen eſt hominis, neutrum eiuſmodi

eiusmodi, quod suis omnibus imprimit Antichristus, & cui cæteræ Antichristi omnes notæ conueniunt. Ex præmissis ita concludo.

Quiscunq; cogit omnes sub ditione sua vt suscipiant characterem, & nomen bestiæ, & numerum nominis eius, & numerum hominis, est Antichristus. At Papa Romanus cogit omnes sub ditione sua vt suscipiant characterem, & nomen bestiæ, & numerum nominis eius, & numerum hominis, vt anteà demonstraui. 666.

Ergò Papa Romanus est Antichristus.

CAP. V.

In quo, Vbi sedeat Antichristus, ostenditur.



Ctiones, characterem, & nomen bestiæ vidimus: sedem videamus. Exposui de stella, quæ de cœlo cecidit: adieci de bestia, quæ de terra ascendit. Habe de meretrice, quæ bestiæ insidet. Modò Antichristum ipsum stella cadens: nunc Antichristi sedem meretrix Babylonia repræsentat. Stella cadens, quòd stationem suam deseruerit: meretrix, quòd fidem fregerit: modò Antichristum designauit bellua terrena, ideò sic dicta, non modò quòd ex quiete & otio firmiorem stabilioremque originem traxerit, sed quia belluinis affectibus seruiens, duci soleat ad ea quæ terram & carnem sapiunt. Nunc Antichristi sedem & Ecclesiam meretrix Babylonia vestris fatentibus adumbrat. Non enim ipsi dubitant Romam vocare Babylonem, vt Rhemenses, Personius, Bellarminus: & mysticam Babylonẽ, vt Augustinus Babyloniam, quasi primam Romam; & Romam quasi secundam Babylonem vocauit: & velut prioris filiam Babylonis. Vnde vestri Romam meretricem Babyloniam esse concedunt à S. Iohanne descriptam. Immò procedunt longiùs, nam Sanderus tuus illam vocat sedem & ciuitatem Antichristi. Quod datis, accipimus. Nam sequitur ex concessis Romam non ethnicam, sed Pontificiam esse mysticam Babylonem. Nam statum imperij sextum caput

August. de ciuitate Dei lib. 16. cap. 17. & cap. 22. lib. 18. Sic Hieronymus in Esai, c. 47. ver. 1. & alibi sæpe. Demonst. 13. & 18.

bestiæ,

bestiæ, sequitur septimũ status Antichristi. Non potuit igitur Roma Ethnica & Imperatoria esse sedes & ciuitas Antichristi. Erga Roma Christiana & Pontificia est. Vnde efficitur Romam non Ethnicam, sed Pontificiam esse mysticam Babylonem. Hæc enim est summa conclusionis meæ.

Mystica Babylon est sedes & ciuitas Antichristi descripta in Apocalyp. cap. 17.

Roma autem est mystica Babylon ibidem descripta.

Roma igitur est sedes & ciuitas Antichristi.

At de Roma in assumptione distinguunt, vrgentque Romam Ethnicam & Imperialem, quæ tum regnauit, & Sanctos persequuta est; non hanc Christianam & pontificiam à S. Iohanne esse descriptam. Est quidem illa grauis & illustris admodum Prophetia:

Rationes è textu cur sit Roma Pontificia sedes Antichristi.

1 Valdè autem frigida fuisset & ieiuna, si de persequutione quam ipse tum vidit in alijs, & quam ipse sensit, prophetasset. Vaticinia non præsens tempus intuentur, sed futurum.

2 Quòd si Romam Ethnicam Babylonem esse sensisset, quæ tum Sanctos afflixit, non vt de mysterio loquutus esset; non enim id ei videri potuit adeò mysticum, vt pagani affligerent Christianos. Mysticum id planè visum est malum, vt Christiani posteà Christianos opprimerent.

3 Neque verò Romam Ethnicam eodem sensu meretricem appellasset, quæ fidem Christo non dederat, nondum igitur fregerat: nec meretricijs artibus & lenocinijs gentes decepit, sed militaribus copijs armisque deuicit. Romam igitur, postquam fidelis ciuitas esse desijt, meretricem nominat, quæ gentes non vt Bellona fregit, sed vt Circe fascinauit.

4 Neque Mercatores eius animarum institores fecisset, omnesque gentes in eius veneficijs errare dixisset, si Romam designasset Ethnicam: quæ nationes viribus subegit, non veneficijs incantauit. Nam illa carnificinas instituit corporum, non nundinas animarum. Ac inter omnes quidem Romæ pontificiæ negotiationes nulla quæstuosior, quàm animarum negotiatio, de qua S. Iohannes; quam Ethnica Roma non exercuit.

exercuit. Igitur Christiana Pontificia est illa Babylon, cuius Merces sunt hominum animæ, cuius Mercatores monachi, qui licitare faciunt homines nummo salutem suam. Non sine causa Martiali festiuo Poetæ iocari libuit in Calliodorum quendam, qui nummis seruum mille ducentis addixisset, vt ex hominis precio cœnaret opiparè, & mullo alijsque piscibus delicatioribus vesceretur.

Exclamare libet: Non est hoc, improbe, non est,
Piscis. Homo est. Hominem, Calliodore, voras.

Idem de Bellarmino, Becano, alióue simillimo Iesuita potest verè dici; qui auctionatur animas, vt pascat ventres.

Num pisces, Iesuita, putas, queis vesceris? Erras.
Sunt homines; homines, Cannibal albe, voras.

Quibus si ne sic quidem satisfacio, (noui enim illorum argumentosum & minimè cedens acumen) referam illos ad Angelum mysterij interpretem, qui Romam iam nomine tenùs Christianam & pontificiam, meretricem Babyloniam esse conuincit.

Primùm septem capita Bestiæ, de quibus anteà mysticè loquutus est, sunt septem montes, inquit Angelus, & septem Reges. Montes septem capita vrbis: Reges septem capita « regiminis. Illis vrbis Romanæ situs, hijs regiæ septem admi- « nistrandæ reipub. formæ notantur, quas antè memoraui. Quinque præcesserant tempus Iohannis, sexta tum fuit, id est, Imperium, quod prior bestia adumbrat: septima nondum aduenerat, id est, Papatus, quem bestia posterior repræsentat.

At montes septem & septem Reges, inquiunt Rhemenses, non literaliter & propriè sumuntur, sed mysticè & indefinitè, vt ita significent omnia regna persequutorum. Cur igitur addit Angelus, Ex septem regibus quinque ceciderũt, vnus est, & alius nondum venit? Quem locum Rhemenses postea sic exponunt, sed imprudentes, vt, quinque præcessisse Christum, vnum tum fuisse, alterum futurum fateantur; quo suam ipsi futilem interpretationem sustulerunt. Quorum vide quanta sit peruersitas. In cæteris ferè omnibus, vbi sensus est planè mysticus, sensum de suo fingunt literalem:

hîc vbi Angelus ſenſum literalem apertè ponit, fingunt de ſuo myſticum: contrà ſenſum, qui ſeptem vrbis montes quotidiè videt, vnde Roma vrbs ſepticollis appellata eſt. Contrà hiſtoriam, quæ ſeptem Reges, id eſt, ſeptem regias illius vrbis adminiſtrandæ formas paſſim inculcat. Neque verò dicit Angelus, vt illi ſomniant, Septem capita ſunt ſeptem montes, & ſeptem montes ſunt ſeptem Reges: ſed, Septem capita ſunt ſeptem montes, & illa, id eſt, ſeptem capita ſunt ſeptem Reges, vt Bellarminus agnoſcit. Nam Rhemenſium expoſitio primùm inepta eſt. Nam capita Reges adumbrant capita politici corporis concinnè admodum: montes inconcinnè. Deinde falſa eſt, nam ſi montes ſint Reges, ciuitas quæ mulier eſt ver. 18. ſedet ſuper ſeptem Reges. Nam ſedere dicitur ſuper montes ver. 9. Cuius loci lux Anglo-Rhemenſes adeò permouit & perpulit, quemadmodum antè Sanderum, vt non poſſent non confiteri, *& Romam eſſe meretricem Babyloniam, & fieri poſſe non incommodè, vt magnus ille Antichriſtus Romæ ſedem ſuam habeat.* Ex hac igitur expoſitione Angeli, & confeſſione aduerſarij emergit hæc propoſitio. Vrbs illa magna in ſeptem ſita montibus, & ſeptem ſubiecta Regijs imperij formis, eſt ſedes Antichriſti. Vnde ſic diſputo & negatiuè & affirmatiuè. Negatiuè: At Hieroſolyma quamuis vrbs magna fuerit, tamen nec in ſeptem ſita montibus, nec ſeptem ſubiecta regijs imperij formis vnquam fuit. Non eſt igitur Hieroſolyma ſedes Antichriſti. Affirmatiuè: At Romæ ex omnibus vrbibus vni proprius hic & ſitus & ſtatus. Roma igitur propria Metropolis Antichriſti. Iam cum Romæ tantùm ſedeat Antichriſtus, vt interpretatur apud Iohannem Angelus, & fatetur aduerſarius: ſedeat autem in templo Dei, vt Paulus ponit, id eſt, in Eccleſia Dei, vt ex Scriptura Patres exponunt: ſequitur vtrinque neceſſariò Romam non Ethnicam, ſed Eccleſiaſticam eſſe ſedem & Metropolim Antichriſti. Vtrumque Sybilla prædixit, & ſitum loci, & habitũ Antichriſti: Nam maximum terrorem & furorem eius imperij futurum prædixit propter ripas Tybridis: regemque fore πολιοκρανον: ſimul & nomen addidit ponti ſimile futurum, alba, id eſt, argentea mitra indutum Pontificem, fulgente

[Margin: Anglo-Rhem in Apocal. c. 17. 5.]

[Margin: Oracul. 8.]

gente gemmis: vt modò prædixit Irenæus. Ergo Pontificem Latinum qui Petri Cathedram occupat, vt Bernardus; qui sanctissimus Dominus, & sanctissimus Papa vocabitur, vt Ioachimus Abbas. Potuit S. Iohannes? potuit S. Paulus? potuerunt Sybilla, Irenæus, Bernardus, Ioachimus Abbas, Papam propiùs attingere, quàm attigerunt? aut clariùs demonstrare situm sedis, statum regiminis, habitum Regis, ripam Tybridis, nomen, cathedram Antichristi; sic, vt vnus è Papistis illum planè sanctissimum Papam nominarit? Sed redeamus ad Angelum. A quo bestia, quæ gestat meretricem, sic describitur, (quæ erat) id est, florens Imperium (sed non est) reuerà Imperium Romanum, quoad robur & potentiam, sed potiùs eius simulachrum, cap. 13. (& tamen est) Romanum Imperium quoad nomen & titulum: (& octaua dicitur bestia) quippe quinque ceciderunt, vt ait Angelus ver. 10. Rex vnus est, id est, Imperium tempore S. Iohannis; & alius tum nondum venerat, id est, Papatus, qui veteris Imperij robur & potentiam ad se sine nomine transtulit: & caput bestiæ septimum dicitur: quamuis bestia etiam ipsa per se. Bestia autem quæ fuit, & non est, (octaua est) id est, Imperium nouum quoad nomen & titulum: & est vnum de septem, id est, de Imperatoribus. Ergo licet vetus Imperium ab Angelo videri possit bestiæ nomine descriptũ: tamen nouũ præcipuè designatur, quod secunda bestia renouauit, vt illi meretrix insideret, illoq; niteretur. Quid hac Angelica interpretatione planius? quã cõprobauit euētus. Nam huic bestiæ meretrix insidet, ab hac sustentatur. Nam ideò Romanus nomine, reipsa Germanicus Imperator, vt docui, defensor, procurator, & protector sedis Apostolicæ scilicet nominatur.

ver. 11.

Ex præmissis sic breuiter argumentabor.

6 Bestia, cui meretrix insidet, est nouum Imperium. Est enim non sextum caput, sed octauum.

Ergò Roma non Ethnica sub paganis, sed nomine tenùs Christiana sub Christianis Imperatoribus est meretrix à S Iohanne descripta.

7 Iam decem illa cornua, inquit Angelus, sunt decem Reges, ver. 12. qui nondum regnum acceperant.

Non igitur, sunt decem illa cornua, de quibus Daniel vaticinatus est, quæ iam sua regna finierant. Sed potestatem, inquit, accipient vnà cum Bestia, id est, cum Antichristo, regiam: quod non potest intelligi nisi de Proconsulibus vel Proprætoribus vicarijs Imperatorum in prouincijs, qui post dissolutionem occidentalis Imperij absolutam eodem tempore cum Papa potestatem regiam acceperunt. Nam dum Imperium stetit & floruit, nec Papa Romæ, nec Reges in prouincijs absolutè regnare potuerunt: cum cecidit, ille Romam magnamque Italiæ partem occupauit, & hij prouincias. *Et hæc decem cornua vnà cum bestia*, vt fatetur Bellarminus & probat euentus, *inter se Romanum Imperium diuiserunt*. Vnde sic infero.

Lib.3 de Rom.Pont. cap.13.



Quo tempore Roma meretrix Babylonia est ab Angelo habita, eodem tempore decem cornua potestatem absolutam cum Antichristo acceperunt.

At non antè Romam Christianam & pontificiam factam decem cornua potestatem absolutam cum Antichristo acceperunt.

Sequitur igitur Romam non antè quàm Christiana & pontificia facta est, habitam esse ab Angelo Babyloniam meretricem.

Cuius gloriosa professio aureo fornicationis poculo scitè comparatur. Edwardum Quartum Angliæ Regem ferunt tres potissimùm habuisse meretrices, vnam sanctissimam dictam, alteram vaferrimam, tertiam lepidissimam. Meretrix Babylonia videtur vna trium expressisse ingenium. Quid enim illa sanctius? quid hilarius? quid fallacius? Habet illa faciem non suam, quemadmodum vir eius Antichristus. Nam „ ille semper personam gerit, personatus igitur Antichristus. Meretrix autem, non modò propter carnalem impudicitiam, sed propter spiritualem idololatriam, ad quam gentes lenocinijs pellexit suis, quæ cum illa rem habuerant. Fœda igitur & blasphema meretrix: adde etiam, superba, pecuniosa, crudelis. Ideò coccineis & inauratis ornata vestibus dicitur, ditata omnium generum mercimonijs, & innocuo Sanctorũ ebria sanguine. Nam quas res impietas in blasphemijs, libido

in

in lasciuijs, cupiditas in rapinis, superbia in delicijs, crudelitas in supplicijs efficere potuit; eas Angelus tantò antè prædixit Ecclesiam sub scorto Babylonio perpessuram. Neque si demus Romam ethnicam ab incunabulis suis Babylonem fuisse, quia dicitur bestia septem habere capita, quicquam inde consequetur incommodi. Nec si purpuratam meretricem esse dicamus ab ortu primùm suo cum à Romulo fundaretur, id Angeli expositionem euertit. Mansit enim eadem, quæ principiò fuerat. Immò multò deterior pseudochristiana sub Antichristo, quàm Ethnica sub Romulo. Proditum est Romulum magnum latronem, raptorem virginum, fœdifragum, fratricidam fuisse; ijsque sceleribus nouam vrbem fundauisse. Sed non tam magnus ille latrocinijs, quàm iste sacrilegijs: nec tàm impurus ille raptu virginum, quàm cultu hic imaginum: nec tàm humani rupti reus ille, quàm hic Diuini fœderis: nec ille tam fraterni prodigus, quàm hic Christiani sanguinis. Qualem igitur hunc putemus, qui latronem rapacitate, raptorem virginum impudicitia, fœdifragum perfidia, fratricidam immanitate superauit? Vnde Angelus Romam pontificiam κατ᾽ ἐξοχὴν Babylonem & meretricem purpuream appellauit. Nam illa spolijs prouinciarum, hæc Ecclesiarum etiam omnium exuuijs est superba. Illa carnalibus tantùm, hæc spiritualibus etiam adulterijs stuprisque confecta. Illa fidem hominibus, hæc Deo datam violauit. Illa in Sanctorum modò corpora, hæc etiam in animas sæuijt. Illa Agnos Christi vi aperta, quasi Leæna, hæc quasi Vulpes occulta fraude concerpsit immanitèr & deglutiuit. Quare fuerit Roma Babylonia meretrix ab ortu suo: certè inebriare Reges decem aureo fornicationis suæ poculo non potuit, priùs quàm essent decem Reges. Stante enim Roma Ethnica subditi Imperatoris erant, Reges non erant: Reges sub Roma Pontificia extiterunt, sub Roma igitur Pontificia inebriati: cui per excellentiam meretricis nomen ab Angelo attributum est. Neque tamen Romam Pontificiam, quæ sub Imperatoribus Ethnicis pro Christo passa est, vnquam accuso: non enim Roma regenerata & patiens, sed Roma degenerans & persequens, pro-
 priè

priè meretrix Babylonia dici debet. Neque Romam imperialem, quæ sub Constantino, Theodosio, cæterisque pijs Imperatoribus Christum professa est, totam excuso: quia Roma, quæ fuerat ab initio Babylon, & reliquias præteriti Paganismi, & semina futuri Antichristianismi sinu quædam retinuit. Neque tamen inde sequitur, quia pij isti Imperatores fuerunt capita ciuilia huius purpuratæ meretricis, idcircò illos ipsos purpuratam meretricem fuisse. Quia non est necesse vt omnes eiusdem successionis, eiusdem etiam affectionis existerent. Ne Paulum Quintum quidem ipsum, si resipisceret, & miser peccator rediret ad Deum suum, à spe salutis excluserim. Vnde quidam contra nos disputant.

Antichristus seruari non potest. Est enim filius perditionis, vt docet Apostolus.
Papa seruari potest, te fatente.
Papa igitur non est Antichristus. Vel sic:
Pro Antichristo orare non licet.
Pro Papa licet.
Papa igitur non est Antichristus.

Hæc obiectio petitione Principij nititur. Nam Antichristum illum vnum & singularem hominem præsupponit. Nos contrà, vt multis ostendimus.

Igitur si disputent ad idem, & Papam sumant collectiuè, falsa est assumptio: si sumant pro hoc vel illo indiuiduo, vera est assumptio, si Papa resipiscat. Sed tum quatuor sunt termini. Nam Papa aliter in assumptione sumitur, aliter in conclusione. Illic enim sumitur pro Papis singulis: hìc pro serie Paparum. Sed de hoc sophismate suprà satis.

☞ Sed hìc nodus alius soluendus est, quomodo sedes Antichristi possit dici meretrix purpurata, vt docet S. Iohannes: & templum Dei, siue Ecclesia Dei, vt docet S. Paulus.

Nam si Antichristus sedeat in Ecclesia Dei, vt antè docui: & Roma Pontificia est sedes Antichristi, vt multis ostendi: videtur Roma Pontificia esse Ecclesia Dei. Respondeo & distinguo de propositione, & quidem è Scriptura Dei, quæ duobus modis considerat Ecclesiam Dei. Vno, quoad internam

nam veritatem, & externam professionem. Altero, quoad externam professionem tantùm. Vt Ecclesiam Sardensem Beatus Iohannes vocat Ecclesiam Christi, quamuis à veritate Christianę doctrinę turpissimè defecisset. Quid ita? Quia professa est adhuc nomen Christi, & sacramentum baptismi retinuit, & quia quædam in illa latuerunt nomina, quæ se minimè polluissent. Ita dici potest Ecclesia Romana Ecclesia Dei & Christi, quia profitetur nomen Christi; deinde, quia retinet vestigia quædam & notas externas visibilis Ecclesiæ, vt baptismum, decalogum, symbolum, orationem Dominicam; sed notas miserè corruptas: vt Philistæi, qui arcam præsentiæ retinuerunt, sed sibi arcam pestilentiæ esse senserunt: vt Cutthitæ degeneres Israelitę, qui Scripturas Mosis habuerunt, & Deum timere simul & idolis seruire voluerunt: vt horum posteri Samaritani, qui fontem Iacob apud se manere gloriati sunt, cum fontem aquæ viuæ inquinassent. Rectè igitur legati de Ecclesia Romana in Concilio Tridentino questi sunt: *Verum id esse, quod questus est per Ieremiam Deus: Duo mala commisit populus hic, vnum quòd me dereliquit fontem aquæ viuæ: alterum quòd sibi hiulcas cisternas effodit, quæ aquas continere non possunt.* Quanquam non negarim quasdam occultas reliquias inuisibilis Ecclesiæ in ea delitescere, quæ non flexerunt genua Baal. Verùm quod Sardensi dicitur, Nomen habes quòd viuas, sed mortua es: idem meritò dici Romanæ potest, quoad internam fidem animam Ecclesiæ, Planè mortua es, quamuis quoad externam professionem viuere dicaris. Vocaris templum Dei, quòd nomen Christi retinueris; sed es meretrix Babylonia, quòd fidem fregeris. Dei templum æquiuocè, non vniuocè: decuit autem æquiuoca " Ecclesia æquiuocos Christianos. "

Iam decem cornua, id est, decem Reges, vnum porrò consilium habent, vt loquitur Angelus, & virtutem & potestatem suam bestiæ tradent; illi seruient, illi lenocinabuntur, illam suis copijs sustentabunt, ad illius nutum gladios distringent, & sacris, vt vocant, cum bestia atque inter sese iuncti fœderibus, cum Agno dimicabunt. Sed postquam Agnus Antichristum verbi sui prædicatione conficere paulatim

& consumere cœperit, tum illa decem cornua, quæ prius cum scorto rem habuerant, scortum odisse incipient, & desertum ac nudum relinquent.

8 Quod de Roma veteri non potest dici, sed moderna, de qua pars prophetiæ magna iam impleta est. Papa enim amisit, vt queritur Bellarminus, *magnam Germaniæ partem, Suetiam, Gothiam, Noruegiam, Daniam vniuersam, bonã Angliæ, Galliæ, Heluetiæ, Poloniæ, Boemiæ & Pannoniæ partem.* Potuisset rectiùs dicere Totam Angliam, eique addere Scotiam & Hyberniam, nisi quòd in occultis & fractis Antichristi reliquijs apud nos spem suis aliquam, licet vanam, vellet ostendere. Vtinam vt magnæ Britanniæ Reges cum multis alijs magnis sanè Principibus scortum reliquerunt: sic Reges Galliæ & Hispaniæ reliquissent. Omnino magis illis timenda Roma, quàm Britannico, cuius & corona libera, & successio certa, & subditi integri, & regnum remotum & occlusum Pontificijs insultibus. Vtinam igitur tanti Reges, tanti Regis fœderati sui virtutem in hac parte pietatemque imitentur; quò prophetiam plenè simul expleant. Licet humilis conditionis hominibus non consilia proponere, sed vota, præsertim tam piam & grauem prophetiam exponentibus: si monere non licet, optare licet, primùm vt illi duo magni Reges cum Britannico cæterisque illustrissimis reformatæ Ecclesiæ Regibus & Principibus contrà Antichristum consentiant: proximè, si illi cum Antichristo & inter se fœdera contrà reformatę Ecclesiæ Reges & Principes occultè pepigerint, vt nostri omnes primo quoq; tempore sanctũ fœdus ineant, caueantque ne vicini fratresque nostri, Galliæ & Belgij Protestantes, ab ijsdem incauti, dum nos negligimus, opprimantur. At vicinis regibus non debemus bellum inferre. Certè. Sed debemus, ne bellum illi nobis periculosum inferant, præcauere. At paci studendum est. Sanè, quæ nihil habitura sit insidiarum & fraudis: alioqui infidæ paci sanctum bellum præferendum, ad quod Spiritus sanctus Reges cohortatur, vt scortum Babylonium iunctis copijs, id est, Romam, vt Bellarminus fatetur, deuastent atque conficiant. Sicut Angelus prophetiam suam extendit ad extremum meretricis

Lib. 3. de Pont. cap. 12.

tricis

tricis interitum: qui non potest Romæ Ethnicæ & Imperiali conuenire; nã hoc excidium sequitur dissolutionẽ Imperij veteris, eiusque in decem regna diuisionem, quæ iuxta prophetiam priùs meretricẽ deperire voluerant, deinde disperdere debuerant atque cõsumere. Conuenit igitur excidium Romæ Pontificali & nomine tenus Christianæ, vt Angelus luculenter exposuit: nam quòd sedere dicitur super aquas multas, id est, super multos populos, multasque nationes, vt Angelus interpretatur ver. 15. & quòd mulier vocatur magna ciuitas, quæ regibus terræ dominatur, ver. 18. nihil id impedit, quò minùs Roma Pontificia esse possit. At Roma iam Pontificia regnatrix non rectè dicitur. Primò satis est Romam tum imperatricem describi sedem, in qua meretrix Babylonia post esset dominatura. Deinde qui nunc *eam regnum Romanorum*, regnum Sacerdotum appellant, fatentur regnatricem, qui regnum sæculare in spirituale callidissimè commutarunt, id quod ipsorum Doctor Angelicus Aquinas obseruat. Sed tam illustris prophetia non præsentem aspexit modò, sed longè venturam prospexit ætatem. Ideóque meretricis partibus omnibus, vt vides, delineata primùm descriptio, deinde damnatio. Quæ non potest intelligi de Romæ incendio iam Ethnicæ à Gothis & Vandalis illato, sed de exitio finali & repentino, quasi vi magna lapis molaris mitteretur in mare. Haud enim, inquit Angelus, post vnquam inuenietur. Quod non potest Romæ Ethnicæ conuenire, nam postquã illa lethale vulnus à Gothis acceperat, posteà sanatum denuò conualuit. Porrò addit Angelus exitium meretricis æternum fore; quod etsi Romæ conueniat etiam Ethnicæ, tamen vt Pontificiæ attributum intelligatur, Mulier, inquit Angelus, quæ est ciuitas magna, simul cum pseudopropheta suo mittetur in stagnum ignis: caueant igitur sibi ranunculæ, immundi illi spiritus Iesuitæ, qui ex ore draconis, & bestiæ, & pseudoprophetæ quotidiè prodeunt. Lepidè nostros Bellarminus, Becanus, cæteræque ranunculæ rideãt licet, sed risu Sardonio, quòd nobis, vt scribunt, idem sit ciuitas & Antichristus: pagus & Iosephus. Nam mulier, quæ est ciuitas magna, simul cum pseudopro-

9. Turrianus. Aquinas. 10. 11.

» pheta suo mittetur in stagnum ignis. Hic est exitij nulla di-
» stinctio. Nam simul & sedes & sessor peribunt in æternum.
At Roma Christiana non peribit, inquiunt. Certè, si ve-
ritas nomini responderet; sed nomine tantùm Christiana,
reuerà autem Antichristiana meretrix funditùs interibit.
Itaque clamat Angelus, Exi è Babylone, popule mi, ne, sicut
eius peccatorum particeps, sic plagarum socius existas. Quem
12 locum Hieronymus allegat in Epistola ad Marcellam, vt ei
» persuaderet Roma esse exeundum, non iam Ethnica, sed
Pontificia, quia Babylon esset. Quam ipsi etiam Pontificij
13 sedem Antichristi esse concedunt. Quæro igitur ad extre-
» mum, vtrùm Romam Ethnicam sedem Antichristi faciant,
» quia tum Romæ sedit, cum Imperatores Ethnici ibi regna-
» rent; an quia post sessurus cum inde discessissent. Si, quia tùm
» Romæ sedit cum Ethnicis Imperatoribus, totam suam de
» Antichristo fabulam penitùs euertunt, quem fingunt in fine
» sæculi esse venturum, &c. Si quia post sessurus cum Impera-
» tores Ethnici inde discessissent; sequitur Romam esse Ba-
» bylonem & sedem Antichristi, non tùm Ethnicam, sed post
» Pontificiam. Nam quòd Hierosolymam ex Apocalypsi pro-
bare conantur esse sedem Antichristi, de eo proprius non
ita multò post dabitur disserendi locus. Nunc ex præmissis e-
mergit primarius ille Syllogismus, quem probare insti-
tueram.


Mystica Babylon est sedes & ciuitas Antichristi descripta in 17. & 18. Apocalyp. fatentibus aduersarijs.

Roma nomine tenùs Christiana & Pontificia est mystica Babylon, vt expositio Angeli manifestè conuincit.

Roma igitur nomine tenùs Christiana & Pontificia, est sedes & ciuitas Antichristi.

Hæc est Angeli expositio, Paule Quinte, non mea: hæc te igitur, si vllam partem habes sensus, pungit ad viuum; hæc lacerat, hæc cruentat expositio. Hic tuos illos egregios aduocatos, quamuis nihil sentire videantur, intus vulnerat & lancinat syllogismus, expositionis Angelicæ velut amentis iactus atque vibratus. Quid enim aliud sunt, quam lenones fœdissimæ meretricis? Quid aliud agunt, quàm vt argutis

verborum

verborum quaſi tendiculis & doctis illecebris capiant imperitos, vt illos ad vietam & veternoſam meretricem adducant, quam ipſi prius omnibus pigmentorum ſuorum myrothecijs exornarunt? Sed quod Chryſoſtomus de muliere dixit, quæ faciem ſuam ceruſſa pinxit, Deum illam in reſurrectione pro creatura ſua non agniturum: idem poteſt multò veriùs dici de hac tam venuſta & picta meretrice, de qua loquuti ſumus.

CAP. VI.

In quo, Tempus, quando reuelatus Antichriſtus, exponitur.



PLura de ſede, in qua dominatus: pauciora de tempore, quo reuelatus. Latuit enim diù Antichriſtus, & ſenſim occultè creuit: vt terræ-motus, qui non ſtatim exiſtit, ſed ex paruo vento paulatim oritur, concluſo diutiùs & compreſſo in concauis quibuſdam terræ cauernulis, nullũ edente motum, nullum ſonitum. Qui paulatim vires & incrementa capiens, tandem violenter erumpit, terram dilacerat, rupes diffindit, diſijcit montes, euertit arces, vrbes diruit, amnes abſorbet, inflammat aërem, excitat fulmen, cœlum rugitu, mundum terrore complet. Talis eſt operatio terræ-motus: parua & tenuis, & occulta initio: magna, terribilis in extremo, poſtquam eruperit. Talis eſt operatio Antichriſti: principio quaſi ventus exiguus in concauis Eccleſiæ meatibus deliteſcet, poſt ſenſim grandeſcens, vireſque colligens, orbem concutiet. Initio ſimulatione ſanctimoniæ ſe inſinuans, clam irrepet in hominum animos: tandem ad hominum perniciem reuelabitur & palam erumpet, poſtquam id quod obſtitit è medio ſublatum eſt, vt docet Apoſtolus. Conuenit inter nos, id quod obſtare dixit S. Paulus, ne Antichriſtus, qui tum fuit, reuelaretur, fuiſſe Romanum Imperium, vt omnes ferè Patres exiſtimant, Tertullianus, Ambroſius, Chryſoſtomus, Cyrillus, Primaſius, Theophylactus, in hunc locum, & Hieronymus ad Algaſiam quæſt. 11. Niſi melius ver. 6. Quid nunc detineat ſcitis, intelligendum ſit, quid detineat aduentum Chriſti, vt Anti-

De reſurrect. carnis.

2. Theſſ. 2. 6.

christus prius suo tempore reueletur, quemadmodum ex verbis præcedentibus doctissimus Iuellus exponit. Non adueniet, inquit Apostolus, dies Christi, nisi venerit defectio prius, & nisi reueletur Antichristus. Versu 7. docet, quis detineat aduentũ Antichristi: Tantùm ille qui nunc detinet, detinebit, donec è medio tollatur. Quod omnes fere Patres, vt dixi, de Romano Imperatore intelligunt. Sub cuius occasu venturum prædicant Antichristum. Vsus est Apostolus primùm neutro genere, vers. 6. Deinde masculino, vers. 7. Quorum altero nonnulli sentiunt Imperium, altero Imperatorem Romanum designari. Nam quamdiu Romanum viguit Imperium, & Romanus Imperator Romæ regnauit; Antichristus illic sedere & dominari non potuit. Latuit igitur eo tempore, seipsum indicare non est ausus. Imperator, qui obstabat, de medio tollendus fuit, vt Antichristus Romæ palàm dominaretur. Vt illic Pontificis sella pro Cæsaris throno poneretur. At in hoc à nobis aduersarij dissident: *Euerti penitus & aboleri* dicunt *Romanũ Imperium debuisse, sic vt ne nomen quidem Romani remaneret Imperij, priùs quàm veniret Antichristus*: quod postquam dixit, negat Bellarminus; in qua cõtradictione, vt in alijs multis, doctissimus Eliensis hominẽ deprehendit. Certe quod dixit, nec Apostolus docuit, nec Pater vllus dixit. De medio tollendum docuit Apostolus & loco mouendum id quod obstabat, quatenus reuelationem dominationemque Antichristi impediret: non docuit abolendum & desolandum, quemadmodum ipsi dicunt, sic vt nomen suum amitteret. Aliud est autem remotio imperij, aliud abolitio. Abijt Imperator ex vrbe Romana: Imperium ☞ Romanum dissolutum & in decem Reges diuisum est, venit iam igitur Antichristus. Hæc est conclusio omnium, quos suprà memini, Patrum. Qui tenebat de medio fit, inquit Hieronymus, & non intelligimus Antichristum appropinquare? Nam sic S. Iohannes, decem cornua (inquit) regnum accipient vnà cum bestia, id est, cum Antichristo, & Romanum Imperium inter se diuident decem Reges (numerus autem decem sæpe sumitur indefinite.) Auditis prophetiam: euentum videte. *Decem cornua regnum acceperunt, & inter se Romanum*

Ad Geront. de monogamia.

manum Imperium diuiserunt vnà cum bestia, id est, cum Antichristo, fatente Bellarmino. Venit iam igitur Antichristus. *At non est abolitum Romani Imperij nomen.* Ne debuit quidem aboleri. Nam S. Iohannes docuit bestiæ marinæ sextum caput, id est, Imperium, postquam fuisset lethaliter vulneratum, deinde sanandum & curandum. Non igitur penitus abolendum & desolandum, vt dicunt, sic vt ne nomen quidem Imperij retineret. Porrò dixit & causam, cur secũda bestia, id est, Antichristus, prioris bestiæ imaginem renouaret, vt ei meretrix insideret, sic vt docui, illaque niteretur. Non igitur penitùs abolenda prior bestia, ne posterior suo præsidio orbata concideret. At quomodo tum consentiunt S. Iohannes & S. Paulus? S. Paulus dicit imperatorem de medio tollendum, vt vacuam Antichristo Romam relinqueret; quemadmodum Pontificij exponunt. S. Iohannes dicit meretricem insidere dorso bestiæ, id est, imperatoris, vt ab eodem fulciatur. Quomodo ista reconcilias? inquies. Ita videlicet, si S. Paulum de veteri, S. Iohannem de nouo imperio loquutum intelligas. S. Paulus enim loquitur de imperio quod obstitit, vel detinuit tum, deque eo tantùm: sic enim ait, Tantùm ille qui nunc detinet, detinebit, donec de medio tollatur. Detinuit autem Antichristũ tum vetus imperium, non nouum. S. Paulus igitur non de nouo, sed veteri imperio loquutus est. S. Iohannes loquitur de imperio, quod gestat meretricem: tantùm igitur abest, vt impediat illam, vt potiùs fulciat atque sustentet. Ad eamque rem imperium in occidente renouatum est, vt Romanam suffulciret Ecclesiam. S. Iohannes igitur hoc loco non de veteri, sed de nouo imperio est loquutus. Ac certè Pontificij, qui abolendam non modò dignitatem, sed etiam appellationem imperij censent, priusquam adueniat Antichristus, videntur totam prophetiam contradictionibus quibusdam implicatam suis eludere voluisse. Dicunt ipsi imperium Romanum, quod nunc est, ex prophetia Danielis ad finem mundi duraturum: & idem dicunt dissoluendum & diuidendum in decem regna. Stultè, dicunt tamen, priusquàm veniat Antichristus. Perinde ac si decem potentissima regna ex nudo nomine, & inani titulo imperatoris possent

 existere:

existere: aut verò idem dici posset ab ijs penitus abolendum; priùs quàm Antichristus adueniat, quod ab ijs dicitur ad mundi finem duraturum. Quorum in altero videntur Epicuri insaniam imitari, qui mundum construxit ex atomis; vt isti regna decem ex vocabulis. Quid enim iam aliud est Romanum imperium, nisi vocabulum? In altero læsam memoriam produnt, qui dicunt Romanum Imperium, quod nunc est, vsque ad finem mundi continuandum, & tamen funditùs abolendum ante aduentum Antichristi, quem triennio & semisse ante mundi finem regnaturum esse contendunt. In vtroque singularem impietatem ostendunt, qui dum prophetiam de Antichristo grauissimam impossibilibus & contradictorijs inuoluunt atque implicant, Dei verbum prophanant, & Ecclesiam ludificantur. Summa est ab vtroque Apostolo collecta, vetus imperium de medio tollendum, & in decem regna dissoluendum & distrahendum, priùs quā veniret Antichristus: nouum restituendum & instaurandum, veteris simulachrum, cuius cum veniret, quasi dorso insideret & incumberet.

Vetus igitur illud Imperium, de quo S. Paulus loquutus est, quod Antichristi reuelationem impediuit, quomodo de medio sublatum sit, consideremus. Cuius duos gradus ponimus. Primum cum Imperij sedem Roma Constantinopolim transtulit Constantinus Magnus: secundum post diuisionem Imperij in occidentale & orientale, quæ statim vtrunque debilitauit, pòst occidentale dissoluit, quod propriè Romanum Imperium fuit, sed priùs orientale omni titulo & iure Romæ Italiæque priuauit. Sedem Imperij vacuam, & Maiestatem primò diuisam & imminutam, deinde priùs in occidente, pòst in oriente deletam & euersam, duos gradus ponimus remotionis eius ostaculi, quod Antichristi reuelationem in vrbe Roma, dominationemque impediuit. Historiam paucis delibo: plenam ex fonte hauriant, siqui volent.

Reuelationis etiam Antichristi duos gradus statuo. Vnum, quo regnare cœperit, alterum, quo agnosci.

Regni item duos gradus noto, vnum, cùm summum in vniuer-

vniuersam Ecclesiam imperium assumpsit, anno 607. cum vniuersalis Episcopus à Phoca regicida dictus, eodem propè tempore, quo exortus Mahumetus; vt Phocas regicida, vniuersalis Episcopus, & impius Mahumetus Gemelli planè videantur. Ventus ille falsæ doctrinæ, & ambitionis Ecclesiasticæ furtìm in nonnullorum Episcoporum animos irrepserat, qui, vt testis est Socrates, vltrà limites sacerdotij sese Socrat. lib. 7.
in peregrinũ efferentes dominium, de primatu omnium Ec- c. 11.
clesiarum contenderunt: ad eamque rem canonem Niceni Concilij confinxerunt Sozimus & Celestinus, à Carthaginiensibus Patribus detectum & reiectum. Sed ventus ille tenuis in Ecclesiæ corde vtcunque compressus, non totus erupit priùs, quàm Bonifacius tertius superbum illum titulum à Phoca Imperatore importunis precibus expressisset.

Et tamẽ adhuc Antichristus pupillus fuit, nõ solùm Imperatori subditus ad tempus, sed Imperatoris vicario Exarcho Rauennati; per quem electio Papæ facta per clerum populumque Romanum, necessariò est confirmata tamdiù, donec Benedictus secundus ab Imperatore Constantino quarto Po- Anno. 684.
gonato hoc priuilegium obtinuit, vt Papa sine confirmatione Imperatoris crearetur. Ac tũ primùm Antichristus cœpit esse sui iuris αὐτόνομος, vel potiùs ἄνομος, vt loquitur Apostolus. Non ita multò post, vt Bonifacius tertius sese suprà omnes Episcopos extulit, sic Gregorius secundus se Imperatore su- 723.
periorem prædicauit: tertius Leonem tertium Imperatorem, à Gregorio secundo excommunicatum, eò quod imagines abolere tentaret, suis omnibus in Italia vestigalibus exuit, eiusque subditos à iuramento fidelitatis exsoluit. Et ita totum regnum Occidentis ab eo abstulit, vt Pontificius testatur author libri, qui Fasciculus temporum inscribitur. Tandem, ne intermedia minutatim in historia consectemur, Gregorius septimus quasi terræmotus erupit, & Ecclesiam, Anno. 727.
& Imperium conquassauit. Nam ille primus Pontificale stabiliuit imperium, vt testis est Auentinus, quod illius suc- Lib. 5. Annal.
cessores 450. annos inuitis Imperatoribus tenuerunt, adeò, Boio.
vt Imperatorem suum vassallum effecerint. Postquam iam ad ἀκμὴν suam venisset Antichristus, duobus hisce gradibus

reuelatus,

reuelatus, in Ecclesiaque dominatus, cœpit agnosci primò singillatim à multis sanè pijs & doctis hominibus, à Gregorij septimi tempore vsque ad Lutheri fœlicem ætatem, qua generatim agnita Roma Babylon, & Papa Antichristus in omnibus reformatis Ecclesijs. Non me latet hanc reformatæ Ecclesiæ assertionem quibusdam è nostris dubiam, vestris omnibus deliram videri: sed si propositas cóclusiones grauiter penderint, nostri sibi exemptum scrupulum, vestri infixum aculeum sentient. Sic enim ex præmissis argumentabor omnibus.

☞ Cuicunque omnes essentiales illius Antichristi notæ à B. Paulo & Iohanne positæ soli conueniunt, is solus est grandis ille Antichristus.

At Papæ Romano omnes essentiales illius Antichristi notæ soli conueniunt.

Solus igitur Papa Romanus est grandis ille Antichristus.

Iam vt assumptio dilucescat, breues illas propositiones suprà latiùs expositas, & solidè conclusas, sub vnum velut aspectum colligemus.

Docui principiò quid sit Antichristus.

Cap. 1. 1 Antichristus ille non est vna singularis & indiuidua persona, sed status & successio personarum.

2 Est simulatione vicarius, præsumptione æmulus, proposito aduersarius.

Deinde qualis sit Antichristus.

Cap. 2. 3 Caput generalis à fide apostasiæ est Antichristus.

4 Apostaticus Christianus & Episcopus vniuersalis est Antichristus.

5 Antichristus non est externus, & professus; sed domesticus & hypocriticus aduersarius.

6 Obliquè & indirectè Christum negans, est vafer Antichristus.

7 Qui sedet in templo Dei vt Deus, & præ se fert se esse Deum, est Antichristus.

8 Qui effert se super omne quod dicitur Deus, seu sebasma, super Angelos in cœlo, super Principes in terra, super

res

res sacras in Ecclesia, est Antichristus.

9 Qui Christi naturas, proprietates, officia, beneficia, per consequens & implicitè tollit, est Antichristus.

Docui quale sit regnum & satellitium Antichristi. Cap. 3.

10 Inferni clauiger Antichristus.

11 Fumosi & tenebrosi regni caput est Antichristus.

12 Locustarum Rex est Abaddon, vel Apollyon, id est, diaboli primogenitus Antichristus.

Ostendi, quid agat Bellua ex terra surgens. Cap. 4.

13 Terræ filius Antichristus.

14 Agni duo cornua gerens, vocem draconis edens Antichristus.

15 Omnem potestatem prioris belluæ faciens in conspectu eius, est Antichristus.

16 Imago prioris bestiæ est Antichristus.

17 Qui cogit homines adorare imaginem prioris bestiæ est Antichristus.

18 Restitutor Romanæ veteris monarchiæ est Antichristus.

19 Qui cum mendacibus miraculis & signis aduenit, est Antichristus.

20 Septimus Romani, siue Latini Imperij Rex est Antichristus.

21 Qui cogit omnes sub ditione sua suscipere characterem & nomen bestiæ, & numerum nominis eius, & numerum hominis, est Antichristus.

Ostendi, vbi sedeat. Cap. 5.

22 Qui sedet in vrbe regnatrice sita in septem montibus, & septem regijs Imperij formis, propter ripas Tybridis, & est Pontifex Latinus, & Petri Cathedram occupat, & vocatur Papa sanctissimus, est Antichristus.

23 Cuius sedes est mystica Babylon, id est, Roma nomine tenus Christiana & Pontificia, is est Antichristus.

24 Qui sedet super meretricem blasphemam, idololatricam, libidinosam, superbam, mercantem animas, sanguinariam, suoque & genio & ingenio per omnia congruentem, est Antichristus.

25 Quorum decem cornua absolutam potestatem regiam acceperunt, is est Antichristus.

Cap. 6. Docui, quo tempore reuelatus.

26 Qui post occasum Romani Imperij, & discessum Romani Imperatoris ex vrbe Roma, in vrbe Roma, iam templum & Ecclesia Dei facta, sedens dominatur, est Antichristus.

Harum omnium notarum nulla Luthero, perpaucæ Turcæ conueniunt; Papæ autem Romano & separatim singulæ, & coniunctim vniuersæ conueniunt soli, vt est anteà demonstratum.

Solus igitur Papa Romanus est grandis ille Antichristus.

Habes, Paule Quinte, speculum in quo te totum contemplere: nisi quòd habeas quosdam tuæ momentaneæ dignitatis quàm æternæ salutis cupidiores, qui speculo fuliginem quandam asperserunt, ne in eo teipsum agnosceres. Quibus nunc breuiter respondendum est.

CAP. VII.

In quo, Qualis non sit Antichristus, ostenditur.



Valis sit Antichristus, docuimus: qualis non sit, doceamus. Quanquam rectum sit index sui & obliqui, vt rectè Philosophus: tantum tamen aduersariorum vel inscitiæ, vel peruicaciæ concedamus, vt quemadmodum veras germanasque Antichristi notas attulimus ex diuino textu, sic falsas & commentitias ex humano sensu profectas refellamus.

Bellarminus honestè scribit, *Opiniones Patrum de Antichristo, quæ probari nequeunt è Scripturis, non esse tenendas vt certas veritates, vel credendas vt materias fidei.* Vtinam regulam, quam probat ipse, sequeretur: faciliùs inter nos conueniret. Ac nonnullas in hac causa suorum fabulas Scriptura duce reiecit: sed alienas, credo, fabulas repudiauit, vt cum maiori authoritate narraret suas.

Alias vt falsas & absurdas, alias vt magis probabiles, falsas tamen.

Vtrasque

Vtrasque igitur reiecit. Quamobrem? *Quia probari,* inquit, *è Scriptura non possunt.* Quis hunc hominem neget bona fide agere nobiscum?

De generatione Antichristi.

1 *Non est*, vt ait ipse, *ex virgine natus Antichristus.*

2 *Non est diabolus*, vt sensit Hyppolitus.

3 *Non est diabolus incarnatus.*

4 *Non est Nero rediuiuus.*

Hæ quidem opiniones absurdæ sunt, inquit. *Aliæ sunt magis probabiles, neque tamen veræ.*

1 *Non est Antichristus spurius*, vt dixit Damascenus.

2 *Non est ex tribu Dan*, vt duodecim Patres existimant, omnesque penè Papistæ præter Bellarminum.

Viden' Paule Quinte, quemadmodum Bellarminus tuus duodecim Patres in hac causa reijciat? à suisque desciscat? Negat veterem Antichristi tribum. Expectamus, vt proximè nationem neget. Negat Danicum esse: proximè negabit Iudæum. Nam pro tribu Dan probat opinionem Hieronymi Bellarminus. Quamobrem? *Non potest hoc*, inquit, *è Scriptura probari.* Quanquam pro tribu textus non minùs certè probabiles alij Papistæ afferunt, quàm pro natione attulit Bellarminus. Sed illos vir integræ fidei scilicet reiecit. Viden' vestri quemadmodum in hac causa dissentiant, ne nostris ampliùs suas dissensiones obijciant?

De natione, & religione, & officio & sede Antichristi.

At Antichristus, inquit, *erit natione Iudæus, religione circumcisus, & ad tempus obseruator Sabbathi, officio Messias: nam veniet potissimùm pro Iudæis, & ab illis accipietur pro Messia: & Hierosolymis in templo Dei à se reædificato sedebit.*

Mendacem oportet esse memorem.

Messias Iudæorum, inquit, *venturus est non in suo, sed in Dei nomine*, ait Bellarminus.

Antichristus autem venturus est non in Dei nomine, sed in suo. Vt ibidem ipse.

Antichristus igitur non est Messias Iudæorum.

At probat ex duobus Scripturæ locis, Antichristum esse Messiam Iudæorum; vno, *Si alius venerit in nomine suo*, inquit

Christus Iohan.5. *illum recipietis*. Vbi ex hypothetica suppositione indefinitæ personæ, Si alius, categoricam propositionem infert definitè, id est, ille Antichristus. Absurdè, nec ad suam sententiam accommodatè. Quæ ponit *Antichristum illum paulo antè mundi finem esse venturum*. Non igitur illi Iudæi, quos tum viuos Christus est alloquutus, iam mortui, tum Antichristum recipere possunt pro Messia. Nisi fortè vt Enochum & Eliam ante finem redituros comminiscitur, qui oppugnent Antichristum, sic Iudæos, quos Christus est alloquutus, ante resurrectionem vniuersalem rediuiuos fingat, qui Antichristum recipiant. Ac vide quàm malè cohæreant partes fabulæ. Ait enim, *Primùm Enochum & Eliam ab Antichristo interfectos post tres dies & dimidium reuicturos: deinde futurum, vt eo miraculo conuersi Iudæi Messiam suum in Olineti monte confodiant, & ad Christum post quadraginta quinque dies venturum reuertantur*. Quod somnium suum altero, quem adducit, loco refellit. Ait Apostolus, quòd ijs, qui amorem veritatis non receperunt, vt salui fierent, mittet Deus operationem erroris, vt credant mendacio, & iudicentur, id est, iudicio damnationis. 2. Th. 2.9. *Qui sunt isti*, inquit, *qui Christum non receperunt? Iudæi scilicet*. Quanquam non dicit Apostolus, Qui veritatem non receperunt, id est, Christum, sed, Qui veritatis amorem non receperunt. Vt falsi Christiani. Sed quomodo puniet illos Iudæos Deus? Mittet illis, inquit, operationem erroris Deus, vt credant mendacio, id est, Antichristo & damnentur. *Ergo Iudæi Antichristum pro Messia accipient*. At Bellarminus Iudæos ab Enocho & Elia conuertendos asserit, cap. 6. ideoque seruandos. Apostolus loquitur de hominibus Christum respuentibus, ideoque damnandis, non igitur loquitur de Iudæis. „ *At dicit Apostolus, ijs esse missum Antichristum, qui Christum recipere noluerunt, quod de Iudæis est verum, de Christianis falsum*. Immò dicit ijs seducendis esse missum, qui veritatis amorem non receperunt: quod Pseudochristianis Papistis optimè conuenit, qui quamuis Christum recipiant, tamen amorem Christi nō recipiunt. At Apostolus loquitur in præterito tēpore, *Qui non receperunt amorē veritatis, non in futuro: ergò*

ergò Iudæos intelligit, qui antè quàm hoc Apostolus scripsit, prædicationi Christi & Apostolorum credere recusarunt. At Apostolus loquens de Antichristianorum peccato & supplicio, quod peccatum præcedens præsupponit, in præterito tempore illorum peccatum expressit, quod non referendum ad tempus epistolæ, quam Paulus scripsit, sed ad tempus pœnæ, quam illis indixit. Quòd si præteritum tempus Iesuita premat eatenus, perindè ac si Antichristum Apostolus ab ijs solis recipiendum intelligeret, qui ante illud tempus Christum reiecissent: teneat oportet eum in fine mundi recipiendum ab ijs, qui ante annos mille quingentos diem suum obierunt. ‹‹ ‹‹
Et non est hæc egregia demonstratio, qua probat Antichristum esse officio Messiam Iudæorum, ab ijs in fine mundi recipiendum? *Vnde*, vt error errorem parit, *concludit, esse natione Iudæum, religione circumcisum, &c.* Vici, Antichristum esse Apostaticum Christianum. Sequitur igitur non posse vllo modo infidelem esse Iudæum, qui nondum ad Christum accesserit. Probaui esse hostem domesticum & hypocriticum, qui Christum occultè & indirectè negat. Sequitur igitur non posse vllo modo esse Iudæum hostem externum, & professum, qui Christum palàm & directè negat. Conclusi ex Scriptura & Patribus, in templo Dei, id est, in Ecclesia Antichristum esse sessurum. Igitur in templo Hierosolymitano non sessurum Antichristum Hieronymus cum multis Patribus alijs definiuit. Et tamen iste Pythagoras, qui suum, Ipse dixit, stultis satisfacturum existimat, *eum in templo Hierosolymis à se readificato sessurum pronuntiat.*

In quo vide quàm secum ipse pugnet.

Templum ab Antichristo reædificatum est templum diaboli. ‹‹

Sedebit autem, inquit, *in templo à se reædificato Antichristus.*

Sedebit ergo in templo diaboli: non igitur in templo Dei. ‹‹
Nisi fortè templum Dei in templum diaboli commutabit.

Porrò sedebit Romæ Antichristus, vt iam ipsi fatentur Rhemenses.
Non igitur Hierosolymæ. Nisi fortè Hierosolyma loco mota Romam transmigrarit. Quod illi forsan efficere poterunt, qui magos orientales in tres Reges Sheba commutant In Matth. 2.

occidentales. Nam Sheba sita est in occidente ab vrbe Ierusalem; cum Chaldæa, vnde illi venerant, in oriente sita sit. Non igitur video, quin eadem virtute possint Hierosolymam transferre Romam, qua orientem in occidentem conuerterunt. Vici suprà *ex confessione aduersarij, Romam esse sedem & ciuitatem Antichristi*: & tamen is miro genere logicæ Hierosolymam Antichristi sedem esse contendit. *Nam vbi duo Dei testes*, inquit, *occiduntur ab Antichristo, illic est sedes Antichristi. At Hierosolymæ duo Dei testes occidentur ab Antichristo. Ergo Hierosolymæ sedes erit Antichristi.* Propositionem sumit pro concesso, quæ tamen probationem maximè requirebat. Non enim vbicunque duos Dei testes occiderit Antichristus, ibi suam sedem habebit. Non plus quàm magnus aliquis Princeps, qualem illi Antichristum ponunt, ibi dicendus erit habere sedem imperij, vbicunque illius ad suos hostes interficiendos valebit authoritas.

An nescis longas Regibus esse manus?

Manus Tiberij vsque Hierosolymam se extendit ad Christum crucifigendum, quamuis Romæ sederet. Antichristus longimanus. Cuius authoritas ad duos Dei testes interimendos longiùs se solet extendere, quàm sedes. Non igitur vbicunque sæuit, ibi sedet Antichristus. Propositio ergò generaliter sumpta, planè falsa est: particulariter intellecta, paralogismum facit. Assumptio etiam falsa est. Non enim Spiritus sanctus Hierosolymam, sed Romam, vel potiùs Romanũ imperium, magnam illam ciuitatem vocat, in cuius plateis duorum Dei testium corpora iacebunt: vocatur autem illa magna ciuitas spiritualiter Sodoma & Ægyptus, vbi & Dominus noster crucifixus est. Hierosolyma suprà vocatur ciuitas sancta etiam post Domini nostri passionem: quomodo igitur hîc vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus? vt scribit Hieronymus ad Marcellam. Ierusalem ciuitas sancta, Roma ciuitas magna semper intelligitur in Apocalypsi, quæ Regibus terræ dominata est, quòd non potest Hierosolymæ conuenire. Porrò aduerbium (spiritualiter) Romam attingit. Nam vt Roma mysticè Babylon, sic spiritualiter Sodoma & Ægyptus. Sodoma propter superbiam & immundiciem,

Ægyptus

Ægyptus propter idololatriam,& in Sanctos crudelitatem.
Nam quis adeò cæcus est, cui Roma iamdiù non idolorum "
sacrarium, libidinum lupanar, superbiæ regina, Sanctorum "
laniena, regicidarum spelunca videatur? Verè igitur spiritua- "
liter Sodoma & Ægyptus. *At vbi Dominus noster crucifixus, ibi* "
duo Dei testes occiduntur ab Antichristo. At non Romæ, sed Hierosolymæ Dominus noster crucifixus est. Ergò non Romæ, sed Hierosolymæ duo Dei testes occidentur ab Antichristo. Negamus assumptionem. Romæ in magna ciuitate, id est, in imperio Romano, Dominus noster crucifixus est: *Primùm quia mandato & authoritate Romani imperij Christus ipse crucifixus*, vt Rhemenses confitentur Apoca. 17. & 18. ver. deinde quia Romæ sæpe Christus in membris crucifixus: postremò ne quidem intrà Ierusalem crucifixus, sed extrà, vt S. Paulus ad Heb. cap. 13. ver. 12. Accedat eodem, quòd Ierusalem ante Apocalypsim, quæ sub fine Domitiani extitit, vnà cum templo funditùs excisa, nunquam reædificanda fuit, vt esset sedes Antichristi: vt ex propheta Daniele superiùs euicimus. Qui desolationem templi & vrbis vsque ad finem mundi perseueraturam esse dicit, vt ex Christi verbis Hieronymus exponit. Neque verò me friuolæ responsiones Bellarmini valdè perturbant, *Quibus præsumit* (vt scribit) *Danielem aliquid quod non dicit, voluisse dicere*: quasi quod voluisset, dicere non posset. Fingit igitur Prophetam ita dicentem, *Vel templum non reædificandum donec paulò ante mundi finem: vel vt desolatum fuit ante quàm reædificetur, ita in eo iam reædificato desolationis abominationem, id est, Antichristum, vsque ad mundi finem permansuram: vel numquam plenè reædificatum iri, itaque in templo inchoato, non consummato Antichristum esse sessurum.* Omnino Ierusalem figura Ecclesiæ Christianæ: quæ postquam per prædicationem Euangelij inter gentes extructa est, & vrbis & templi Hierosolymitani finis fuit, vt vaticinatus est Christus, optimus Danielis interpres: qui prædixit abominationem desolationis, id est, alas abominabiles & desolantes, (intelligens aquilas legionesq; Romanas, vt Lucas exponit) vrbi temploque finale excidium illaturas, sicvt vtriusque desolatio vsque ad mundi finem permaneret, quemadmodum Matth. 24. 14.

Chri-

Luc.21.22. 23.24. Christus explanat, prædicens Hierosolymam à Romanis euersam, calcandam à gentibus, donec tempora gentium implerentur, id est, donec ipse ad iudicium veniret, quod proximis verbis describitur. Ita prolatis Ecclesiæ Christianæ finibus, vrbis & templi finis extremus fuit, teste Christo. Nam apparente veritate typus euanuit: adeò vt primitiua Ecclesia Hierosolymam in æternos cineres collapsam crediderit, &

Ad Marcel. Hieronymus opinionem quorundam de restitutione templi, Iudaicam fabulam appellarit. Ergo Hieronymi iudicio Bellarminus, qui de restitutione templi somniat, non Christianus Doctor, sed Iudaicus fabulator. Nisi peior censendus sit, qui cum Iuliano apostata Christo mendacium impegerit, dum vnà cum illo ad templum reædificandum veluti lapides comportarit. Ille in ludibrium Christi, hic in honorem Antichristi. Vt eundem de cœlis ignem operi disturbando metuere debeat Bellarminus, quem, sicut testatur historia, pertulit Iulianus. Vnum autem est, quod valdè vereor, ne in malam partem accipiat ipse Antichristus, quòd tantum orbis monarcham, vt ipse futurus est scilicet, in templo imperfecto collocarit. Scitè Cicero Capitolij, in quo Latialis stetit Iupiter, fastigium illud non solùm propter vsum & necessitatẽ, sed propter ornatum venustatemq; celebrauit: vt etiam si in cœlum extolleretur Capitolium, vbi imber esse non posset, nullam tamen habiturum fuisse videretur sine suo fastigio dignitatem. Bellarminus autem opera Antichristi, quamuis lapides & cæmentum congesserit ad templum Hierosolymitanum, in quo tantus Princeps sessitaret, tantum abfuit, vt Domini sui dignitati consuleret, vt ne necessitati quidem subueniret; reliquit enim templum sine lacunaribus, sine fastigio; & reliquit in terris, vbi crebræ pluuiæ, crebræ tempestates subinde ingruunt, vt magnum Principem exposuisse cœli inclementiæ in magno palatio suo ad ludibrium videatur.

Theodoret. lib.3. cap. 20. Sozom. lib.5. cap. vlt. Cic. de Ora. 3.

Sed, si placet, fabulam putatitij Principis in loco suppositio regnantis pertexamus. Addit enim multa *de regno & victorijs Antichristi*, de quibus in Scriptura altum silentium.

Scitum est somnium, quod ex Daniele malè intellecto natum

natum est. Qui de Antiocho Epiphane Antiochi magni filio, Seleuci Philopatoris fratre, & successore illius innominatæ bestiæ, cornu decimo literaliter & propriè vaticinatus est, sicut de nouem alijs quæ præcesserant, cap. 11. Quod Bellarminus ipse fassus est, & tamen inde conclusit.

1 *Antichristum ex vilissimo loco surgentem, fraude & dolo Iudæorum regnum obtenturum.*

2 *Pugnaturum cum tribus regibus, Ægypti, Lybiæ & Ethiopiæ, vsq; deuictis regna ipsorum possessurum.* Quod ne de ipso quidem Antiocho typo Antichristi verum fuit.

3 *Septem alios Reges sub iugum missurum, & monarchiam totius orbis adepturum.* O egregium victorem omnibus Pompeiis, Cæsaribus & Alexandris præferendum, qui tantum triennio & semisse perficiet.

4 *Innumerabili exercitu Christianos persequuturum. Et hæc esse Bella Gog & Magog.*

Hæccine putes oracula Scripturæ, an somnia Bellarmini? Fuerit in multis Antichristi typus Antiochus. Quid tum? Si nos ea, quæ Antiochi personæ propria fuerint, ad Antichristum omnia accommodemus, quorum respectu non fuit typus Antichristi, & ex illis non simile, sed idem inferemus; ex inferis reuocetur Antiochus, eiúsue anima transmigret in Antichristum oportet, vt hæc omnia exequatur. Et quamuis Antichristus vilissima bellua sit, vt Antiochus; tamen non iam ex vilissimo, sed ex honoratissimo loco surgat oportet, sit Antiochi magni filius, sit Seleuci Philopatoris frater, & successor in Regno Syriæ, vt disertè à Daniele dicitur Antiochus, c. 11. ver. 21. Et eius loco surget vilissimus. Immò magnus annus Platonis redeat necesse est, vt iterum Antöichus vas Romæ sit antequàm regnet, Demetrium nepotem suum, vt Rex Richardus Angliæ tertius, de medio tollat, tres expeditiones faciat in Ægyptum:

Atque iterum ad Troiam magnus mittatur Achilles.

Iterum bella gerat Antiochus, iterum in reditu suo Iudæos semper affligat, cæteraque omnia Antiochi gesta referat Antichristus, quæ Daniel Propheta ita describit ad viuum, vt Porphyrio, qui quo Spiritu scriberet, nesciebat, non tam

prophetiam, quàm historiam scripsisse videatur. De qua pôst plura. Nunc reliquos fabulæ concinnos actus persequamur.

Enochus tandem & Elias è cœlo redeant in terras oportet, duo scilicet illi testes Dei, qui prædicent Euangelium in persona sua, & cum Antichristo pugnantes ab eodem interficiantur; sed post tres dies & dimidium reuiuiscant; cæteraque, quæ ex illo 11. cap. Apocalyp. miserè premendo literam vi expresserunt, nullo vt loco magis iudaizare videantur. Quamuis eo loco nec Enoch nec Elias nominatur, nec Antichristus, vt quidam docti sentiunt, intelligitur; siquidem bestia, quæ facit aduersus
Vers 7. duos hosce Dei testes bellum, ascendisse dicitur de Abysso, quæ videtur esse prior bestia, quæ dicitur ascendisse de mari, cap. 13. vers. 1. cum secunda dicatur ascendisse de terra. Deinde atrium templi datum est calcandum gentibus 42. mensibus, ver. 2. quod tempus assignatum est persequutioni prioris bestiæ, cap. 13. vers. 5. Porrò calcandum gentibus, non Iudæis, quorum Princeps fingitur Antichristus. Iam qui duos testes duos præcisè homines senserunt, de personis nunquam adhuc inter se conuenire potuerunt. Alij Eliam & Mosem: alij Eliam & Elizeum: alij ne Eliam quidem, sed Ieremiam: alij cum Elia & Mose Iohannem theologum testem supernumerarium ponunt: de Enocho ferè omnes Patres silent. De duobus autem testamentis, quasi binarijs testibus, varijsque testamentorum duorum synceris interpretibus qui locum exponunt, faciliùs multò se expediunt, vt paulò post intelligetur. Qui amicti saccis in mœrore & squalore pœnitentiam gentibus prædicabant, à quibus mercedis loco atrocissimam mortem acceperunt. Durauit autem sæua prioris bestiæ persequutio, & testes Dei fidelissimos absorpsit annis 294. quos menses quadraginta duo iuxta Danielis hebdomadas planè conficiunt. De quibus paulò post plura. Nec tamen Deus passus est testes suos inultos mori, si prophetiæ historiam conferamus. Nam Deus illos sanguinarios Imperatores duorum testium vice vltus est, sic, vt ex longa siccitate, & ex nimio Solis ardore natis morbis acribus, & perperacutis gentes perustæ, pestes eiusmodi contraxerint, quæ sæpe totas vrbes depopulatæ sint, & totos exercitus deuastarint.

Ita forsitan dici poterunt duo testes cœlum clausisse ne pluere t, aperuisse etiam vt plueret, cum precibus Christianæ legionis pagani Imperatoris exercitus à Quadis circumclusus, propter aquæ inopiam, nimia siccitate iam iam periturus, è cœlo pluuiam largam obtinuit; dum intereà hostium exercitus fulminibus & fulguribus è cœlo percussus interijt. Vnde Christianorum fulminatrix legio dicta est. Et cum testes Dei indignissimè crudelissimeque habiti sceleratis gentibus ignem æternum minarentur, fortè etiam ignem è cœlo venturum prædicerent, quo nonnunquam vrbes & exercitus deflagrarint: annon ignem ex ore quodammodo expuisse dicantur hostibus Dei consumendis? Et cum hostes Dei sæuissimi, Imperatores mutuo se sæpe marte confoderint, & tantam terra marique stragem ediderint, vt campos & amnes in sanguinem conuertisse viderentur: nonne Deus ita videri potest iuxtà prophetiam causam suorum testium iustissimè vindicasse? præsertim cum alios ex eorum cineribus testes, quasi phœnices, excitarit, qui testimonium dicerent veritati: vt ita duo Dei testes quamuis non in indiuiduo, at in successione reuixisse videantur. Et quia non modò triumphans, sed etiam militans Ecclesia cœlum, cùm in Apocalypsi, tum alibi sæpe in Scriptura nominatur: ideò cum Dei templum Dei testes ex illis veluti ruinis ac parietinis refecissent, ita, vt loquitur Propheta, cœlos ascendere, atque in cœlo esse videbantur. Quòd siquis locum hunc de Antichristi persequutione, qui prioris bestiæ sæuitiam ad viuum expressit, deque Antichristianis, qui ducentis nonaginta quatuor annis ad minimum Ecclesiam hisce posterioribus sæculis atrocissimè persequuti sunt, exponendum intelligat, non repugnabo; cum gentes agerent sub nomine Christi, vt loquitur Tertullianus. Tantùm quid alij doctissimi viri probabiliter senserint, ostẽdo sine contrà dicentium prꝫiudicio. Verũ ab aduersarijs tribus verbis omnia, quæ dixi, refelluntur; sic enim clamant, Nondum venit Antichristus: & ad quæstionem, An sit Antichristus, omnia reuocant. Quam iam vltimo, si placet, loco disceptemus.

CAP. VIII.

In quo, An sit Antichristus, id est, an venerit, disceptatur.



AN sit Antichristus in Scriptura præmõstratus, satis constat: An sit in orbe monstrandus, nunc magis etiamnum constabit, cum vtrùm venerit discusserimus,

Cuius aduẽtus sex signa posuit Bellarminus.

- Duo precurrentia:
  1. Prædicationem Euangelij in toto orbe.
  2. Euersionem & desolationem Romani Imperij, vt ne nomen remaneat.
- Duo comitantia:
  3. Prædicationem Enochi & Eliæ.
  4. Grauissimam & publicam Ecclesiæ persecutionem, quæ publicum Dei cultum tollat.
- Duo consequentia:
  5. Durationem regni Antichristi triennalem & semestrem.
  6. Statim post dies quadraginta quinque mundi interitum

Ex primo signo sic disputat:

Si Euangelium nondum in toto orbe annuntiatum est, nondum venit Antichristus.

Verum primum. Verum igitur & secundum.

Propositionis consequentiam probat ex verbis Christi Matt. 24. v. 14. *Euangelium Regni annuntiabitur in toto orbe, vt sit testimonium omni nationi,* inquit Christus. Sed non dicit, Et tum veniet Antichrius; sed, Et tum veniet finis. Id est, *vel mundi consummatio*, vt Bellarminus autumat, vel excidium Hierosolymæ, vt nos euicimus. Sed fac illis verbis mundi finem intelligi: tamen nisi Bellarminus controuersum sumat pro concesso, Antichristum non ante mundi finem esse venturum, id quod nos constantèr pernegamus: hæc expositio Bellarminum iuuare non poterit. Sed quid si locus non de fine mundi, sed de excidio Hierosolymæ intelligendus sit, iuuabit illum multò minus. Hic igitur primùm oppono

Chry-

Chrysostomum Bellarmino, qui locum non de interitu mundi, sed de excidio Hierosolymitanæ vrbis & templi interpretatur. Quod contextus euincit. Nam Christus discipulis, quibus versu 2. dixerat futurum, vt vrbs & templum funditùs excinderentur, sic vt ne lapis quidem super lapidem relinqueretur, primùm de excidio Hierosolymæ, quam æternam fore credebant, ver. 3. percontantibus respondit: Dic nobis, quando erunt ista? id est, quando templum destruetur: deinde de fine mundi, ipsiusque ad iudicium aduentu sciscitantur. Quæstionis igitur duæ partes sunt, prima de excidio Hierosolymæ, secunda de mundi fine; quem Hierosolymæ superstitem fore non putabant. Primæ igitur primò respondet Christus à 4. vers. ad vigesimum tertium, Secundæ à vigesimo tertio ad versum quadragesimum secundum. Ac primò de calamitatibus vaticinatus est Christus, quæ excidium præcesserunt, vsque ad versum decimumquintum: versu decimoquinto excidium ipsum à Daniele prædictum exposuit. Quòd siquis abominationem desolationis stantem in loco sancto per analogiam pro Antichristi sessione in Ecclesia sumendam putet, non repugnabo: sed si propriè & ad literam exponat, non modò Chrysostomum, sed Lucam, vt dixi, & Christum ipsum habet repugnantem. Inter cæteras calamitates, quæ sunt Hierosolymæ excidium antegressæ, spirituales potissimùm prædixit duas, in pseudoprophetis seductionem, in populo defectionem. Præmonet igitur Christus discipulos, & solatur. Præmonet, vt caueant à pseudoprophetis: solatur duplici promissione, vna salutis æternæ, versu 13. Si ad finem perseuerent: altera prosperi successus, quem ipsorum ministerium in Euangelio per totum orbem disseminando esset habiturum priùs, quàm Hierosolyma funditùs esset excisa. Vt esset testimonium omni nationi, euersa Hierosolyma victuram tamen Ecclesiam, cuius terminos in omni natione, tam gentium quàm Iudæorum, Apostoli eorumque discipuli prædicando Euangelio ante vrbis excidiũ protulissent. Neque verò putandum est, Christum hasce prophetias tractatione confudisse, ne aleret errorem quem discipuli de Hierosolymæ ad mundi finem duratione conceperant.

rant. Itaque postquam ver.15.excidium descripsisset,adiunxit & consilium, & solatium. Consilium ver. 16.17.18.19.20. vt, qui in Iudæa sunt, fuga sibi maturè prospiciant, precenturque mulieres grauidæ, ne hyeme vel Sabbatho fugere cogantur. Solatium, quo promittit fore, vt propter electos Iudæos tempus obsidionis contrahatur: alioqui neminem Iudæum euasurum,vtChrysostomus exponit ver.22.Hæc expositio Chrysostomi collatione Lucæ cũ Matthæo luculentèr cõfirmatur. Nam vt Matt.24.15.Christus illa verba ex Daniele proponit, Quum videritis abominationem desolationis, (quã Daniel vocat abominabiles alas desolantes) stare in loco sancto, Lucas cap.21. 20. sic exponit: Quum videritis Hierosolymam obsessam exercitibus, quos Daniel abominabiles alas appellat, tum demum intelligite desolationem & vastitatem vrbi sanctæ,& templo sancto appropinquare. Monetque Iudæos vt has calamitates sibi peculiariter imminentes fuga deuitent, vers. 23.24. Cum autem Christus Matthæi versu 23. de fine mundi, suoque ad iudicium aduentu vaticinari incipiat, versu 34. vbi maxima vtriusque prophetiæ mixtura videri possit, ita distinctè loquitur, cum & excidij Hierosolymitani, & dissolutionis vniuersi signa præcurrentia separatim præmonstrasset: vt illius tempus definiat, huius indefinitum relinquat. De illo, Amen dico vobis, inquit, hæc generatio non præteribit, donec hæc omnia (digitum, vt videtur, ad Hierosolymã intendens, vt in Oliueti monte consedit) impleantur. De hoc verò, id est, de fine mundi, vt certitudinem rei notat, sic incertitudinem horæ & diei, quas neque Angelus, neque Filius hominis nouit, sed Pater tantùm. Ex quibus propositionis Bellarminianæ consequentia vanissima esse deprehenditur, *Quæ prædicationem Euangelij toto orbe dispersam, ex illis versibus ponit signum præcurrens aduentum Antichristi*, contra literalem prophetiæ sententiam non solùm à Chrysostomo, sed à Christo ipso, Luca interprete, clarissimè positam. Vides propositionis inconsequentiam: vide iam assumptionis falsitatem. (*At Euangelium nondum in vniuerso orbe annuntiatum est.*) At Paulus Coloss.1.ver.6.ait, Euangeliũ toto orbe annuntiatum fuisse suo tempore. Ideóque ante

1419

exci-

excidium Hierosolymæ, quod circà biennium post mortem Apostoli contigit: vt Eusebius scribit lib. 3. Et addit Apostolus, sic venisse Euangelium toti mundo, vt fructum ferret. *Certè*, inquit Bellarminus, *virtualitèr tum in toto orbe fuit Euangelium, sed non actualiter.* Non? Quomodo igitur tum fructum ferre potuisset, nisi actualitèr in toto orbe extitisset? Sed significantiùs ibidem Apostolus loquitur, vers. 23. Euangelium tum annuntiatum vniuersæ sub cœlo creaturæ fuisse. Cui credemus? Paulo, an Bellarmino? Apostolo an Cardinali? Exiuit sonus eorum in omnem terram, inquit Apostolus: id est, *Exibit*, vt exponit Bellaminus. At Chrysostomus ijsdem Apostoli testimonijs prophetiam Christi tum impletam probat, Euangelium toti orbi prædicatum ante excidium Hierosolymæ. *Ita per famam*, inquit Bellarminus, *potuit Euangelium ad gentes omnes peruenire, non per proprias prædicationes.* Non dicit Paulus rumorem Euangelij in toto orbe, sed fructum per prædicationem dissipatum, quæ sine prædicatoribus esse non potuit. Nec tamen toto orbe quiuis paruus & ignotus orbis angulus designatur, sed maxima pars orbis noti iam tum & habitabilis, vt Lucæ 2. 1. Nec per omnes nationes, singulæ nationes, sed omnia genera, id est, Iudæi, atque gentes. Nam hoc loco & alibi oppositio est inter omnes nationes, & Iudæos. Tum in Iudæa tantùm Euangelium audiebatur, in qua septum Ecclesiæ ad tempus cernebatur: post diruto interstitio, septoque sublato, inter gentes promiscuè personabat tanta prædicatorum multitudine, & tam mirabili prædicationis efficacia, signorumque virtute, vt facilè credendum sit sonum Euangelij ante annos quadraginta in omnem terram peruenire potuisse; totidem enim ad minimum intercesserant inter prophetiam expositam & impletam. Postremò quamuis prædicatum omnibus, non tamen receptum ab omnibus: ideò relictum vt testimonium omni nationi, vt oblatum omnibus, & reiectum à multis, eosdem inexcusabiles redderet. Parùm ne cernis & futilem Bellarminianæ propositionis consequentiam, & manifestam assumptionis falsitatem? Vnde sic argumentum retorqueo, Christo prophetâte, Paulo interpretante, astipulante Chrysostomo: Annuntiatum

Chrysost. hom. in Mat. 24.

tum est in toto orbe Euangelium ante excidium Hierosolymæ.

Ergo Bellarmino concedente, venit iam Antichristus. Ac mihi quidē acerrimo iudicio Caluinus videtur vniuersalem fidei prædicationem ponere præcedentem vniuersalem à fide defectionem, cuius caput ab Apostolo ponitur Antichristus. Non enim potuit esse vniuersalis à fide defectio priùs, quàm vniuersalis præcessisset fidei prædicatio: quam cùm interrupit, vt in oriente Mahumetus, sic in occidente Antichristus, verum fuit, interrupta successione excitari extrà ordinem à Deo quosdam viros Dei, Angelos Dei, qui sincera prædicatione Euangelij visibilem Ecclesiam ab eo miserè disiectam insturarent atque reficerent: deijcerentque murum occidentalis Babylonis, quemadmodum Hiericuntis: & protererent Antichristi gloriam, quasi Dagonis; vt clangore tubæ Euangelicæ cecidisse iam Babylon in hominum animis, & orbis iam non de Antichristi aduentu dubitare, sed de abitu deliberare videatur. Nam apud partem orbis Christiani maximam tumidus Antichristi titulus resedit: immensa potestas elanguit; spiritualis iudicio alienorum, temporalis suorum: indulgentiarum decreuit emporium, argenteus Euphrates exaruit, nummorumque maximi fluuij in illam Ecclesiam decurrentes penitùs exiccati, sed in suos alueos reducti; non sine summa erga Tyberinum Pontificem charitate, cui Lutherus, Caluinus cæterique præcones Euangelij tantam opum redundantiam perniciosam esse duxerunt. Vt Ateium Capitonem, & L. Arruntium scribit Tacitus, ad coercendas Tyberis exundationes, diuertere voluisse fluuios & lacus, per quos intumuit: vt Tyberis accolis fluuijs orbatus, quamuis minore cum gloria, tamen cum minore periculo flueret. Idem orbis Christianus cepisse cōsilium videtur ad moderandam Pontificis Tyberini exitialem redundantiam; vt vanum nobis scrupulum iniiciat Bellarminus de Antichristi introitu, de cuius interitu cogitamus. Primam hominis demonstrationem accepimus: secundam consideremus, quæ sic concluditur:

Annal. 1.

Si Romanum Imperium nondum funditus euersum sit, sic vt nomen

men amiserit Romani Imperij , nondum venit Antichristus.

Verum autem est primum.

Verum igitur est secundum.

Vel sic.

Si ante aduentum Antichristi Romanum Imperium diuidendum fuit in decem Reges, quorum nemo vocabitur Rex Romanorum, nondum venit Antichristus. Nam est adhuc Rex Romanorum.

Verum est autem antecedens.

Verum igitur & consequens.

Libet experiri vires & neruos omnes huius mirificæ demonstrationis, in qua tantopere triumphant: quamuis in explicatione prophetiæ satis ante refutata est, cuius assumptionem vndiquaque munire conantur. Hæc autem est assumptio: *At Romanum Imperium nondum funditus euersum est, sic vt Romani Imperij nomen amiserit.* Quod probant, *quia Romanum Imperium diuidendum in decem Reges, quorum nemo vocabitur Rex Romanorum.* Vtramque partem firmare contendunt ex 2. & 7. Danielis, & 17. Apocalyp. 2. *Danielis*, inquiunt, *describitur successio quatuor regnorum vsque ad finem mundi per quandam statuam habentē caput aureum, pectus argenteum, ventrem æneum, & tibias ferreas. Caput aureum significat*, inquiunt, *regnum Chaldæorum, pectus argenteum regnum Persarum; venter æneus regnum Alexandri & Græcorum, tibiæ ferreæ regnum Romanorum: duæ tibiæ occidentale & orientale Imperium Romanum. Iam vt duæ tibiæ habebant decem digitos*, inquiunt, *quæ non sunt tibiæ: sic Romanum Imperium diuidetur in decem Reges, quorum nemo est, vel dicitur Rex Romanorum. Eadem quatuor regna apud eundem Danielem cap. 7. designãtur per quatuor bestias, leonem, vrsum, pardum, & aliam innominatam habentem cornua decem, quorum nullum est vel dicitur bestia. Hæc autem bestia*, inquiunt, *significat Romanum Imperium, & decem cornua decem Reges, qui Imperium illud diuisuri sunt.* Quod probãt ex 17. Apocalyp. *vbi Iohannes describit bestiam cum septem capitibus, & decem cornibus, super quam sedebat Mulier, &c. Nam Angelus*, inquiunt, *sic interpretatur: Mulier est*

vrbs magna quæ sedet super septem colles, id est, Roma. Decem cornua sunt decem Reges qui vno tempore simul regnabunt & odient, sic enim loquuntur, *Fornicariam &c. Quibus vrbis* inquiunt, *Angelus apertè significat Imperium per illos decem Reges diuidendum & desolandum, sic vt nè nomen quidem retineat Romani Imperij. Quòd autem Antichristus non sit antè venturus, apertè conuincitur*, inquiunt, *ex Danielis cap. 7. vers. 24. Cornua decem ipsius regni decem Reges erunt, de quibus hactenus diximus*, inquiunt, *& alius consurget post eos, (nimirum Antichristus) & ipse potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit, & sermones contrà Excelsum loquetur, & Sanctos Altissimi conteret, & putabit quòd possit mutare tempora & leges, & tradentur in manu eius vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis. Et hoc probant ex Hieronymo, qui subdit; tum vndecimum Regem paruulum nasciturum, qui tres Reges de illis decem superaturus sit: immò Bellarminus procedit vlterius, & ex vndecimi cap. versu 21. Et eius loco stabit vilissimus, concludit Antichristum ex vilissimo loco surgentem fraude & dolo Iudæorum regnum adepturum, neque solum cum tribus regibus Ægypti, Lybiæ, & Æthiopiæ pugnaturum, ijsque deuictis regna ipsorum possessurum, sed septem etiam alios Reges sub iugum missurum, & Monarchiam totius orbis obtenturum triennio scilicet, annique dimidio; intereà innumerabili exercitu Christianos oppressurum: & hæc esse Bella Gog & Magog.* Ex quibus omnibus Danielis & Iohannis de Imperio Romano, de Antichristo, deque eius regni latitudine, ortu, fine, & duratione, prophetijs inter sese, vt ipse putat, concinnè concordantibus, concludit nondum aduenisse Antichristum. Quò maior necessitas nobis imposita est ab illo Danielis prophetiam accuratiùs explicandi, quemadmodum suprà Iohannis prophetiam exposuimus: sic argumento solidè satisfiet, dum prophetiæ historiam conferam, confusis ordinem, obscuris lucem inferam, testamentum testamento, librum libro, caput capiti, versum versui, componam, nec textui iungam perspicuo longum, nec obscuro breuem commentarium: nam ita nec inseram superflua, nec præcidam necessaria. Præsertim cum vaticinium sit ænigma, quod à Propheta obscurè descriptum pluribus, à Doctore paucis exponi

exponi dilucidè non poteſt, quodque vatem requirat interpretem, donec ab euentu explanetur. Quò nobis æquiores erunt Pontificij, præſertìm Bellarminus, qui duodecim in hac cauſa Patres reiecit, ſi nos eoſdem in hac parte Prophetiæ, præſertìm vnum Hieronymum cum honore dimittamus: cum Auguſtinus prophetias citiùs impleri dicat, quàm intelligi: & nudis authoritatibus omiſſis requirat interdum, vt res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione concertet. Irenæus autem prophetias priùs quàm habeāt efficaciam, ænigmata atque ambiguitates appellet: in quo Bellarminus nihilò plus nobis dabit, quàm ſibi ipſe ſumpſit: qui cum ab Irenæo pungi Papam ſuum & vri iudicaret, idem pro ſuo commodo reſpondebat. *Certius enim,* (inquit) *Irenæo & ſine periculo videtur, ſuſtinere adimpletionem prophetiæ, quàm ſuſpicari:* Et videntur Pontificij hanc modeſtiam ex Daniele didiciſſe, qui de alijs rebus, vt nos probabimus, de Antichriſto, vt Pontificij ſentiunt, vaticinatus, verba clauſa & ſignata vſque ad præſtitutum tempus eſſe dicebat. Quem primum ſi de Romano Imperio, deque Antichriſto vaticinatum eſſe fateamur: nihil ille vel cauſſam noſtram lædet, vel Pontificiam ſubleuabit. Nam ſi quarta beſtia Danielis ſit ſtatus Romani Imperij, & decem cornua decem Reges inter quos diſtrahetur, & vndecimum inde ortum cornu Antichriſtus: certè Papa qui ex occaſu & diſtractione Imperij eſt exortus, eſt Antichriſtus. Hîc autē, ſi placet, expendā ſingula quæ à Bellarmino afferuntur, & inquiram quemadmodū inter ſe, & cum textu congruant.

Irenæ. lib. 4. aduer. Hæres. cap. 43.
Lib. 5. pag. antepen.
Bell. lib. de Pont. 3. cap. 18.
Dan. 12. 9.

Ait Bellarminus *quartum Imperium,* quod ille Romanum intelligit, *ad finem vſque mundi duraturum.* Et tamen ait *Romanum Imperium funditus deſtruendum ante aduentum Antichriſti, qui poſt triennio & ſemiſſe regnabit.* Quomodo igitur verè dicit, ad mundi finem Romanum Imperium duraturum? Remitto magnum iſtum Chryſippum ad Ariſtotelis Analytica, ad quæ alios interdum ſine cauſa relegat, vt cum eadem ipſe relegerit, doceat nos quomodo duo contradictoria poſſint ſimul eſſe vera: *Romanum Imperium vſque ad mundi finem permanebit: Romanum Imperium vſque ad mundi finem non permanebit: Siquidem omnimodam deſolationem ſuſtineat neceſſe*

est ante aduentum Antichristi, qui triennio & semisse ante mundi finem dominabitur. Nunc quomodo Bellarmino cum Daniele conueniat, consideremus. Placet sanè multis ætatis nostræ doctissimis viris, qui Danielem exactissimè perrimati videntur, quartum Imperium (quod multi sine dubio non minùs eruditi pro Romana monarchia acceperunt) fuisse regnum Seleucidarum & Lagidarũ in Syria & Ægypto, quatenus Iudæam interiectam vtrinque pupugerunt: ideóque vt cæteris tribus formidolosius esse descriptum, quia Iudææ perniciosius. Decemque cornua fuisse decem Reges Syriæ & Ægypti, qui successiuè Iudæos oppresserunt: & Antiochum Epiphanem decimum fuisse & postremum, qui Iudæos præter cæteros immanissimè crudelissiméque vexarit. Ideóque typum Antichristi fuisse, qui Christianos non minùs afflixerit; ipsum autem Antichristum non fuisse, vt Bellarminus somniauit. Rationes eorum, si placet, è textu petitas afferamus aliquas.

1 Quarta bestia regnum fuit ante aduentum & regnum Messiæ finiendum, vt docet Propheta cap. 7. ver. 11. 26. 27. quod de Seleucidarum regno verum est, de Romano falsum.
2 Quarta bestia bellauit cum Iudæis, eosque grauitèr oppressit, Deique cultum impediuit, non modò ante aduentum Christi, sed ante purgationem templi, restitutionemque cultus Iudaici per Iudam Macchabæum, cap. 7. ver. 25. 26. 27. quod Seleucidarum regno conuenit, Romano non conuenit.
3 Quartæ bestiæ decem solummodò fuerunt cornua, decem Reges, vt nominatim post ostendam, qui Iudæam tyrannide perculerunt: quod de septem Seleucidis & tribus Lagidis est verum, sed, si de Romanis intelligatur, est falsum; qui postquam Iudææ dominatum sunt adepti, multò plures quàm decem extiterunt.
4 Porrò decem illi Reges sibi inuicem in eodem regno successerunt: quod septem Seleucidis & tribus Lagidis competit; decem autem illis post natis ex Imperio Romano regibus non competit, qui in diuersis prouincijs
5 eodem tempore regnarunt, vt fatetur aduersarius. Adde quòd pardus, cap. 7. significans Macedonicum Imperium, hirco adumbretur cap. 8. quod apparet ex eo, quoniam vt illic pardus

dicitur habuisse quatuor capita, sic Hirco, cum cornu eius magnum fractum esset, id est, Alexander, quatuor dicuntur cornua orta loco eius, id est, quatuor Principes, inter quos hirci Imperium est diuisum. Quod Romano Imperio non conuenit, Macedonico conuenit; nam Ptolomæus Lagi filius Ægyptum, Philippus frater Alexandri Macedoniam, Seleucus Nicanor Syriam & Babylonem, Antigonus Asiam minorem Alexandro mortuo, occupauit; quatuor Alexandri Principes, vt ipse Hieronymus obseruat. Quòd si quæratur, quomodo possint esse duæ tibiæ à Daniele prædictæ, quæ duplex Imperium Romanum, occidentale & orientale, Bellarmino iudice scitè referunt, ex quibus decem Reges, vt decem digiti, prodierunt: respondeo, Ex quatuor Alexandri Principibus, duos potentissimos, Seleucum Nicanorem, & Ptolomæum Lagidem fuisse, qui quatuor illa regna mutuis collisa bellis in potestatem suam redegerunt: quorum ab illo regnum Seleucidarum & Regum Syriæ in septentrione, ab hoc regnum Lagidarum & Regum Ægypti in austro descendit, qui pro Iudæa intermedia pugnauerunt, eamque pupugerunt. Duæ illæ tibiæ, quæ Iudæos miserè proculcarunt, ex quibus decem Reges, quasi decem digiti, exierunt, quos Daniel vndecimo capite describit. Nã tres Lagidæ à Ptolomæo, septem à Seleuco Seleucidæ sunt orti: ab eoque in fine regni Seleucidarum super Iudæos cornu paruulum est ortum, cap. 7 & 8. id est, rex impudens facie, hoc est, Antiochus Epiphanes, cornu decimum, cap. 11. propriè & ex Decem.
composito graphicè depictum. Primum quartæ & innomi- cornua.
natæ bestiæ cornu Ptolomæus Lagides, Rex austri, id est, 1
Ægypti, vers. quinto describitur: ibidem etiam Seleucus cap. 11.
Nicanor, ex Principibus Alexandri potentissimus, Rex Aquilonis, secundum cornu. Nam contrà Ptolomæum ille 2
præualuit, Iudæamque à Ptolomæo possessam ad tempus, ver. 5.
totamque Syriam tenuit, in eaque dominatus est. Cui successit Antiochus Soter tertium cornu: cuius filius Antiochus 3
Theos, quartum cornu, vt fœdus inter se & Ptolomæum Phi- 4
ladelphum confirmaret AEgypti Regem, Bernicem Phila- ver. 6.
delphi filiam duxit vxorem; vt illam prophetiæ partem impleret

 pleret

pleret de duobus pedibus vno ferreo, altero luteo, vt se misscerent in semine hominis, nec tamen coalescerent, Daniel 2. vers. 43. Prophetiam comprobauit euentus. Nam Antiochus Theos habuit vxorem iam viuam Laodicen, ex qua suscepit Seleucum Callinicum, quintum cornu, qui Bernicem
5. eiusque filium & seruos interemit: Antiochus Theos ipse ab vxore Laodice veneno sublatus est, & Ptolomæus Bernicis
Vers. 7. pater breui post nuptias dolore est mortuus. Sed eius loco
6. surrexit in Ægypto Ptolomæus Euergetes sextum cornu, ab ijsdem cum Bernice radicibus ortus, id est, frater eius, qui cum Seleuco Callinico bellum gessit sororis vlciscendæ cau-
8. sa, eumque superauit, & Rex iam Syriæ coronatus, cum spolijs & captiuis in Ægyptum est reuersus, & Callinico potentior multos annos Syriam, in eaque Iudæam tenuit.
9. Quamobrem duo filij Callinici, Seleucus Ceraunus, & Antiochus magnus, Syriam intrarunt, & graue bellum excitarunt: Ceraunus contrà Ptolomæum Euergetem. Quibus
10. mortuis, Antiochus magnus contrà Ptolomæum Philopatorem filium Euergetis maximas copias comparauit. De Antiocho magno Angelus vaticinatur, à decimo versu vsque ad vigesimum. Primò de prælijs eius cum Ptolomæo
11. 12. Philopatore, ijsque secundis interdum, quibus Syriam recu-
7. perauit: versu 10. Interdum aduersis, quibus rursus amisit: vnde Ptolomæus Philopator successu elatus septimum cornu fuit, & multa millia Iudæorum occidit, nec propterea
Vers. 12. semper præualebit. Post de Antiochi magni prælijs & victo-
13. 14. 15. rijs, quas de Ptolomæo Epiphane referet filio Philopatoris,
16. deque Iudææ depopulatione, vnde octauum cornu existit
8. Antiochus magnus. Qui Cleopatram filiam dedit in matrimonium Ptolomæo Epiphani, vt ferrum cum luto iterum frustrà misceret, iuxta vaticinium cap. 2. cum pacem & amicitiam ijs nuptijs obtenderet, reuerà autem Ptolomæi exitium intenderet, sed frustrà; quia sese Cleopatra cum marito
17. contrà Patrem coniunxit. Deinde de expeditionibus Anti-
18. ochi magni in insulas Græciæ, quas deuicit, deque bellis quæ gessit cum Romanis, quæ summam illi ignominiam inussserunt, deque ignominiosa morte, quam in Barbarorum tumultu

tu turpiter obijt propter ſacrilegium. Cuius loco ſuccedit 19.
Seleucus Philopator filius, nonum cornu, qui maximis tribu- 9.
tis imponendis populum exhauſit, & ærarium & tem- 20.
plum Hieroſolymitanum exinaniuit, nec bello, ſed dolo pe-
rijt: quē Heliodorus ab Antiocho Epiphane ſubornatus ve-
neno ſuſtulit. Iam eius loco, inquit Angelus, ſtabit viliſſimus, 21.
id eſt, Seleuco Philopatori viliſſimus homo ſuccedet, in reg- "
no Syriæ, viliſſimus ratione morum, non maiorum, Antio- "
chus Epiphanes filius Antiochi magni tertius, frater Seleuci
Philopatoris, Demetrij patruus, cornu decimum, cornu illud 10.
paruulum à Daniele cap. 7. & 11. capite reliquo plenè de-
ſcriptum. Nam Angelus primò de eius aduentu, deinde de
rebus geſtis, poſtremò de exitu, reliquo capite vaticinatur.
De aduentu, vt notet eum nec ſucceſſionis, nec electionis iu-
re legitimo ad regnum Syriæ acceſſiſſe: Erat enim Demetri-
us nepos hæres regni; ſed fraude & blanditijs ſurrepſiſſe,
quaſi tutorem & protectorem pueri Principis, & regni admi-
niſtratorem Demetrio puero & abſente, qui tum eius loco
quaſi vas Romam Miſſus eſt. Habes hiſtoriam prophetiæ
reſpondentem, cum ab alijs, tum à Ioſepho deſcriptam Anti-
quit. lib. 12. cap. 1. Antiochus igitur Epiphanes cornu deci-
mum, & paruulum, quòd ex paruis & inſperatis initijs reg-
num Syriæ vſurpaſſet, homo propter ſcelera viliſſimus &
contemptiſſimus, qui tria cornua in eodem Syrię regno præ-
cedentia dolo extirpaſſet & abieciſſet; patrem, fratrē, & nepo-
tē, vt ad regnum accederet. Et ſermones contrà Excelſum lo-
quutus eſſet, & Sanctos Altiſſimi toties cōtriuiſſet, vt tempo-
ra perſequendi populi Dei, populi Danielis, paruulo illi cor-
nui aſſignata, Antiochi Epiphanis perſequutioni præciſè con-
ueniant omnia. Quæ diuerſè numerantur ratione & initij &
finis. Liberationis enim ab Antiochi tyrannide quatuor gra-
dus notantur, quatuor diuerſis temporibus obtentæ. Vnus
cap. 7. ver. 25. Cum à Iuda Maccabæo Dei cultus renouatus,
ac templum reſtitutum eſt. Nam à prophanatione templi,
quæ cœpit 15. Caſleu, anno 145. ad hanc reſtitutionem fa-
ctam 25. Caſleu, anno 148. tres anni & decem dies inter-
ceſſerant; quod ſpacium Daniel tempus, & tempora, & par-
tem

tem temporis appellat, 7. ver. 25. Alter gradus, cum Iudæi victoriam adepti Antiochi copias è Iudæa expulissent, & cœptam restitutionem confirmassent; quod accidit post triennium & sesquiannum, vt Iosephus obseruat, ab eo tempore, quo quotidianum sacrificium cessauisset: quod spacium Daniel tempus & tempora & dimidium temporis appellat, 12. ver. 7. Tertium tempus est à prophanatione templi ad lethalem Antiochi morbum, quod 1290. diebus à Daniele comprehenditur, 12. ver. 11. Vltimus gradus & tempus à prophanatione ad mortem eius, quæ post quadraginta quinque dies contigit; & hij dies à Daniele 1335. exactè numerantur. Ex quibus omnibus apparet, Danielem quarta bestia non Romanum Imperium, sed regnũ Seleucidarum & Lagidarum adumbrasse: nec cornu decimo & paruulo Antichristum propriè, sed Antiochum Epiphanẽ descripsisse. Ac vide quàm malè conueniat Bellarmino cum Daniele. Daniel suũ cornu describit vt decimum, Bellarminus suum inducit vt vndecimum, quasi bestia vndecim cornuum extitisset. Daniel de decem loquitur Regibus qui successiuè Iudæos afflixerunt populum Danielis: Bellarminus de decem loquitur Regibus qui vnà cum vndecimo eadẽ tempestate, diuersis locis in orbe regnarẽt. Daniel de decem suis Regibus tres præcedentes eradicatos, spectante, ac, vt videtur, procurante decimo ponit; cæteros sex aut omnes, aut complures ante illum natum mortuos fuisse: Bellarminus fingit ab illo tres occisos alibi, & septem alios subiugatos, qui tum in rerum natura non fuerunt. Postremò Daniel suũ cornu, seu regẽ, fractũ statuit, turpi fuga infamem, tetra lue correptum, postquã Iudæos annis præscriptis vexauisset, miserè contabuisse. Bellarminus suum cornu fingit Ægyptijs, Lybijs, & Æthiopibus deuictis, & septem alijs Regibus subactis, triennio anniq́ue dimidio Monarchiam orbis consequutum. O victorem mirabilem, & omnibus non Antiochis modò, sed Alexandris & Cæsaribus celeriorem! Itaque iam expectamus Bellarminum oratorem Antichristi, qui illius bella & victorias magnificè decantet, vt Cicero Cæsaris: Nullius tantum est flumen ingenij, nulla dicendi aut scribendi tanta vis tantaq́ue copia, quæ, non dicam

De bello Iudaic. lib. 1. c. 1.

cam

cam exornare,ſed enarrare,Antichriſte,res tuas geſtas poſſit. Nec enim diſiunctiſſimas terras puto citiùs cuiuſquam paſſibus potuiſſe peragrari,quàm tuis nō dicā curſibus,ſed victorijs illuſtrabuntur. Nam tu, ô magne Antichriſte, innumerabili exercitu conſcripto, omnes in orbe Chriſtianos triennio anniq; dimidio ſub iugum mittes, & totius orbis monarchiam obtinebis. Et hoc eſt prælium Gog & Magog. Liceat igitur id mihi,quod apud Ciceronem ſequitur, addere: Quæ quidem ego niſi ita magna eſſe fatear, vt ea vix cuiuſquam mens aut cogitatio capere poſſit, amens ſim. Sed imaginaria victoria decet imaginarium Antichriſtum. Sic autem ex præmiſſis contrà Bellarminum argumentabor.

Antichriſtus ſi in hac prophetia reperitur, vbi ad literam deſcriptus Antiochus: eſt illic aut in ſua perſona, aut in ſuo ſimili, aut in identitate, vt ita dicam, aut in effigie.

Si Antichriſtus per omnia ſit Antiochus, certè, vt Antiochus eſt mortuus,id quod in fine capitis habetur,ita mortuus Antichriſtus. Ergo Antichriſtus mortuus antequàm natus. Ac quo genere mortis exceſſit Antiochus,2.Mac. cap. nono declaratur: E corpore contuſo vermes affatim exiſſe, quæ illum intus exederant, ſic, vt caro illius computruerit, ac præ dolore deciderit, vt exercitus fœtorem beſtiæ ferre non poſſet. Vermibus igitur exeſus Antichriſtus, & iam putridus puteat & fœteat neceſſe eſt, vt Antichriſtus ſit plane alter Antiochus.

Si Antichriſtus fraude & dolo idem regnum Iudæorum obtinebit, quod obtinuit Antiochus: ſi tria cornua,tres Reges humiliabit & eradicabit in eodem regno Syriæ proxime præcedentes,patrem, fratrem,& nepotem,id quod fecit Antiochus, vt dolo regnum paternum obtineret: Ergo tres etiam viui ſint oportet, poſtquam ſunt mortui, & ante reſurrectionem reſurgant oportet Antiochus pater, Seleucus frater, Demetrius nepos, quem regno exuat, illoſque dolo abijciat atque euellat Antichriſtus. Hæc eſt ſumma concluſionis meæ: Antichriſtus Antiochus aut in identitate, aut in effigie. Si in identitate, magnum miraculum. Si in effigie, claudum argumentum. Claudicat enim omnis ſimilitudo, vt

docent dialectici. Et symbolicum argumentum, vt docet Aquinas, non est argumentatiuum. Hic tamen, si placet, ad illustrationem potiùs, quàm ad probationem causæ, in quo sit dissimilis, in quo similis Antichristus Antiocho, breuiter obseruemus. Antiochus non ex vili conditione & origine, vt multi Pontifices, sed ex regia stirpe prognatus. Antichristus terræ filius, vt docet S. Iohannes. Antiochus igitur vilissimis moribus, sed clarissimis maioribus: porrò natione Syrus, religione incircumcisus, & sabbathi contemptor, Iudæorum oppressor, Iouis Olympij cultor à Propheta describitur. Quid Antichristus, vt à vobis delineatur? Annon licet animo vilis, tamen origine vilior, natione Iudæus, religione circumcisus, & sabbathi obseruator, Iudæorum Messias, idolorum hostis prædicatur? Vt suspensus in effigie Antichristus probabiliter se negare posset Antiochum. Vides quàm dissimilis: vide iam quàm similis Antiocho. Nunquam enim negabo Antiochum in multis esse typum Antichristi: simul illud addam, B. Paulum & Iohannem ex Danielis prophetijs transtulisse quædam in suas, quibus Antichristum illum exprimerent ad viuum atque effingerent. Antiochus aduersarius, hostis Dei, hostis Ecclesiæ, eleuans sese suprà vel contrà omnem Deum, exlex, cuius pro lege voluntas, cuius os loquutū magnifica, cuius manus Sanctos Altissimi conterens: talis ab Apostolis descriptus Antichristus. Antiochus vt patrios & falsos ritus, sic Iudaicos & veros abrogabat. Antichristus & gentilium idola subuertit, & Christianum verumque Dei cultum immutauit. Antiochus intus atheos, extrà idololatra: Nam Iouem Olympium in templo Hierosolymitano coluit, colique ab alijs iussit; quem illius patres ignorabant, qui Apollinem & Dianam colebant. Sic Antichristus occultus atheos, sed apertus idololatra. Deum Maozim in loco suo venerabitur Antiochus, quem vers. 38. descripserat: sic habet vulgata versio. Sic etiam Antichristus, *Qui diabolum vt deum roboris & potentiæ suæ authorem venerabitur, colet diabolum in Deum,* vt habet glossa vestra interlinearis. Et Bellarminus, *Colet diabolum more magorum, sed occultè. Et hic vocatur Deus Maozim, cuius ope Antichristus*

edet

edet miracula. Erit igitur Antichristus ipsius confessione idololatra, quod ab eo sæpe negatur. *At Antichristus aduersus omnes pugnabit Deos, vt ipse solus Deus habeatur*; vt nuper scripsit. *Quomodo igitur diabolum adorabit*, vt antè scripsit? Vides in multis quàm sit Antiocho similis Antichristus: do igitur à Daniele typicè descriptũ Antichristum, sed non propheticè: quem etiam Bellarminus ait *ad literam loqui de Antiocho*, cum hisce similitudinum notis Papam suum propiùs à nostris vrgeri pungique iudicaret. Quamuis alibi Hyeronymum citet illa verba versus vigesimi primi cap. 11. non de Antiocho, sed de Antichristo propriè explicantem. Itaque eodem loco Hieronymum & sequitur & relinquit. Neque hercle mirum. Cum se Hieronymus ipse relinquere videatur. Nam Hieronymus prima parte vndecimi capitis Seleucidas propriè describi, & versu vigesimo Seleucum Philopatorem propriè designari fatetur. Et stabit in loco eius vilissimus, id est, inquit, loco Antiochi magni Seleucus cognomento Philopator. Quid igitur habuit causæ, cur versum vigesimum primum, Et eius loco stabit vilissimus, non de Antiocho Epiphane propriè explicaret, Seleuci fratre & successore, sed de Antichristo, quem Daniel propheticè minimè designauit? Nutat igitur hîc Bellarminus, & loquitur è lintre. Ait, negat, literaliter de Antiocho loqui Angelum, & Hieronymus eiusmodi rationem adduxit contrà se, cui Hieronymus ipse respondere non possit. Verùm Bellarminus non satis habuit à seipso dissidere, nisi Danielem & Iohãnem inter se commisisset. Ait enim eadem decem cornua à Iohanne propriè describi, quæ Daniel ante descripsit. Daniel autẽ loquitur de decem cornibus fractis & extinctis priùs, quàm Messias in carne venisset: Iohannes loquitur de decẽ cornibus ijs, quę suo tempore nõdum regiam potestatem acceperant. Daniel loquitur de decẽ Regibus Seleucidarũ & Lagidarum, qui sibi inuicem in eodẽ regno successerunt. Iohannes loquitur de decem Regibus, inter quos Romanum Imperium diuidendum fuit, qui in diuersis prouincijs eodem tempore regnarunt. Daniel docet quid cornu paruulum, quod fuit decimũ, alijs tribus præcedentibus faceret, sine mentione reliquorum: Iohannes docet,

Bel. l. 2. c. 21. de Antichri.

Hieron. in 11. cap. Daniel.

quid decem cornua facient Antichristo; quod non est vnum ex decem cornibus, sed est vnum ex septem capitibus bestiæ. Danielis Rex est cornu decimũ, vnum hominem designans: Iohannis Rex vndecimum non tam cornu, quàm caput, nec vnum honinem, sed vnum statum significans. Decem cornua Danielis ex ruinis Macedonici imperij: decem cornua Iohannis ex distractione Romani imperij prodierunt. Ita nihil simile inter Danielis & Iohannis cornua, nisi quòd vtrinque decem extiterunt. Decem Danielis cornua, si chronologiam spectes, multis ante sæculis abiecta ceciderunt, quàm decem Iohannis cornua surrexerunt, id est, quàm distracto imperio Romano absolutam vnà cum bestia potestatem regiam acceperunt. Decem illa cornua, si cosmographiam consideres, in Syria & Babylone regnarunt: è decem hisce cornibus, in quibus certus numerus pro incerto positus à nostris euincitur, aliud Galliæ, aliud magnæ Britanniæ, aliud Hispaniæ, alia reliquis orbis regionibus & populis regio iure imperant. Decem illa cornua Iudæam interiectam post captiuitatem, ante Christum natum pupugerunt, decem hæc cornua à Christo in cœlis regnante conuersa, tandem bicornem Romæ bestiam simul pungent atque confodient. O peritum Chronologum, ô scientem cosmographum Bellarminum, qui vtriusque prophetiæ tempora & loca tam belle distinxerit. Vrbane & lepide Cicero poetam quendam aliorum iudicio perineptum, sed perliteratum suo, publicè perstrinxit, quòd fecisset Euripidem & Menandrum vno loco, & alio Socratem atque Epicurum inter se colloquentes; quorum ætates non annis, sed sæculis constaret esse disiunctas: cui multos esse dixit condiscipulos in theatro, qui simul literas minimè didicissent. Nec minùs festiue lusit quosdam scriptores, qui Numam Pythagoræ discipulũ fuisse aiebant, cum Pythagoras aliquot post Numam sęculis natus esset. Alius verò salsissime stulti cuiusdã Historiographi inscitia dixit sese ex Græco factum esse Babylonium, patriamque suam ab Hellesponto veluti dissectam cum ipsis mœnibus & turribus & populis translatam esse in Mesopotamiam. Quorum inscitiam Bellarminus peruenuste videtur exprimere, qui Re-

ges

ges Syriæ mortuos, cum multis Europæ Regibus post annum millesimum natis conuersantes quodammodo inducit, Europam in Asiã portans, & Lutetiam Londinum, cæterasq; sedes Regum & Principum qui à Romano imperio discesserunt, vnà cum populis Hierapolim & Babylonem subitò transmutauit. Vt vix me contineam quin exclamem, Næ iste perdoctus Historiographus tandem efficiet, vti

Et Ararim Parthus bibat, & Germania Tigrim.

Omnino facilis error est in confusione anni, vel annorum, sed fœdus error in confusione sæculi, immò sæculorum, quem magnus Doctor admisit. Sed scio quid respondeat, Malle se cum quibusdam Patribus errare, quàm nobiscum rectè sentire. Redeat iam igitur illa terribilis demonstratio ex praua Danielis interpretatione confecta,

Si Romanum Imperium nondum funditus euersum est, nondum venit Antichristus. Nam omnimoda desolatio Romani Imperij certum est signum præcedens aduentum Antichristi (vt ex Daniele constare dicit, qui nec de desolatione Romani imperij, nec de aduentu Antichristi verbum vllum fecit.)

At Romanum Imperium nondum sic funditus euersum est.

Nondum igitur venit Antichristus.

Omnimodam autem desolationem imperij Romani sic probat ex Daniele.

Si ante aduentum Antichristi Romanum Imperium diuidendum est in decem Reges, quorum nemo est vel dicitur Rex Romanorum, tum nondum venit Antichristus. Non enim adhuc venit omnimoda desolatio Imperij, quia nomen manet.

Verum est primum.

Verum igitur & postremum.

Assumptionem probat ex Daniele, ex prima visione de imaginis duabus tibijs; & secunda, de decem cornibus innominatæ bestiæ. Nam vt duæ tibiæ habent decem digitos, qui non sunt tibiæ, & vt decem cornua non sunt bestia: sic Romanum Imperium diuidetur in decem Reges, quorum nemo est Rex Romanorum. Acutissimè, vt sibi videtur. Sed duæ tibiæ Danielis non sunt occidentale & orientale Imperium Romanum, sed Ptolomæus Lagides & Seleucus Nicanor

canor Principes Alexandri, vt docui: nec decem cornua bestiæ sunt decem Reges ex Romani Imperij occasu surgentes, sed decem Seleucidæ ex duabus illis tibijs quasi digiti prodeuntes post euersum Imperium Macedonicum, ex quo quatuor cornua sunt primùm orta loco Alexandri, vt ostendi: quæ deinde ad binas tibias reciderunt. Annon assumptionem suam Bellarminus egregiè demonstrauit è Daniele? At demonstrauit, inquies, post ex Iohanne. Nam decem illa cornua Iohannis sunt decem Reges, inter quos Romanum Imperium est diuisum. Do. Neque enim ita iacturam causæ fecero. Sed non ponitur à Iohanne id, quod affinxit Bellarminus, *Quorum nemo est vel dicitur Rex Romanorum.* Quin contrarium potiùs à Iohanne ponitur, vt suprà vici. Quemadmodũ vetus Imperium Romanum è medio tollendũ fuit, vt docuit Paulus, quatenùs reuelationem dominationemque Antichristi impediret; sic nouum vt veteris simulachrum, restituendũ à bestia terrena, cap. 13. id est, ab Antichristo, quò meretrix Babylonia dorso eius insideret, cap. 17. Vnum è duobus marinæ bestiæ capitibus, id est, Imperium occidentale Romanum, emortuum in Augustulo, resuscitatum in Carolo per terrenam bestiam, id est, Antichristum, reuixit ☞ & conualuit: non igitur penitùs extinctum interijt. Imago prioris bestiæ vitam recepit & vocem. Non igitur prorsus ☞ perdidit dignitatem & nomen. Reuiguit imago Imperij veteris, remansit appellatio; res non perijt ipsa, sed transijt à ☞ summo Principe sæculari ad summum Principem spiritualem; vt docet Aquinas: sic *vt Antichristus fuerit status vltimus, qui Romanum teneret Imperium, sine nomine tamen Romani Imperatoris*, vt fassus est Bellarminus. Ergò maiestatem & potentiam Imperij veteris ad se transtulit Pontifex: Imperatori nomen modò & titulum reliquũ voluit Pontifex, vt sibi similis esset Imperator. Nominalis Pontifex, nominalis Imperator. Reuerà Pontifex Christi fidem oppugnat, nomen profitetur, & vicem gerere videtur. Nominalis igitur vicarius, realis aduersarius. Sic maiestas Imperij residet in Papa, titulus in Imperatore. Titularis igitur Imperator, realis Papæ subditus. Vocetur igitur Rex Romanorum, cui tamen

Pontifex ne pedem quidem terræ in Italia reliquit. Ita quoad rem & potestatem vetus Imperium Romanum ita diuisum est inter Reges & bestiam vt penitus deletum sit, nisi fortè non in terrarum, sed syllabarum numero consistat Imperium. Retorqueo igitur argumentum, vt iam primarij syllogismi assumptionem euertam, qua sumit pro concesso, nondum euersum esse Romanum Imperium.

Docuit prophetia S. Iohannis diuidendum Imperium Romanum & *desolandum*, vt loquitur Bellarminus, & tum venturum Antichristum.

Diuisum Imperium & desolatum iamdiu probat euentus.

Venit iam igitur Antichristus.

CAP. IX.

In quo quatuor aliæ Demonstrationes refelluntur, & quid feret Antichristus, exponitur.



DVas Bellarmini demonstrationes, quasi duas arundines apertè fregimus: quatuor alias, si placet, breuitèr dissipemus, ab alijs plenius refutatas. Seiunctas quiuis debiles sentiet, coniunctas dedi vt fierent ipsa copula firmiores, duas ex signis comitantibus, duas ex consequentibus non minus egregiè conclusas, quibus probet nondum aduenisse Antichristum. Ac *primum signum quod Antichristi comitatur aduentum, est Enochi & Eliæ non prædicatio solùm, sed etiam dimicatio aduersus Antichristum.* In quo Bellarminus multa delirat, similiter atque mulier quædam apud nos fanatica, quæ tantam sibi cum Angelo Gabriele familiaritatem fingit fuisse, vt ab eo multas acceperit literas ad multos varijs de causis perferendas, per Eliam, vt opinor, tabellarium. Nam alium eiusmodi virum etiam fanaticum habemus, missum ad mundum illuminandum: vt minus insanire videantur quàm Bellarminus, qui perindè ac si Enochum & Eliam in Paradiso nudiustertius conuenisset, aut ab illis saltem litteras accepisset, quam Iudaicam fabulam accepit ab alijs,

alijs, eam ita mordicùs tenet, & confidentèr narrat, vt credere videatur, vtrumque tot sæculis asseruatum in Paradiso quodam aëreo, viuentem in corpore mortali, vt rediens in terram ad oppugnandum Antichristum in fine sæculi ab eodem occidatur, occisusque post triduum resurgat ante generalem resurrectionem; eoque miraculo conuertat Iudæos, impellatque vt Antichristum Messiam (vt putabant) suum in Oliueti monte confodiant, Christumque tandem verum suum Messiam amplectantur. Ad eamque rem Bellarminus varia Scripturæ Patrumque testimonia detorsit, quæ serenissimus doctissimusque magnæ Britanniæ Rex Doctori iam imbelli & exoleto tam palàm extorsit, vt causa planè obtinuisse doctorum omnium iudicio videatur. Non est opus igitur, vt illa testimonia rursum excutiamus, ne actum agamus: quæ sunt à Rege suo natiuo & proprio sensui restituta tamen, vt ex illis argumentemur, bestiamque telo confixam regio prosequamur. Dabunt iam nobis omnes piè docti, duos hosce Prophetas propter eximiam sanctimoniam singulari à Deo

Hebr. 11. donatos priuilegio fuisse: cum alterum transtulisse dicatur, ne videret mortem, alterum ignito curru in cœlum assumpsisse. Liceat igitur ex Bellarmino quædam discendi gratia percontari, vt veritatem huius rei, nō modò ad refutationem fabulæ, sed ad consolationem Ecclesiæ expiscemur. Quæro igitur primùm vbi iam sint Enochus & Elias? Respondet Bellarminus, & quidem asseuerantèr, In Paradiso. Quid? num in illo Paradiso, in quo Adam initiò collocatus fuerat, quem Moses descripsit consitum à Deo in regione Eden, locum deliciarum refertissimum, irriguum magno quodam flumine, ex quo quatuor ingentia & nobilissima flumina profluxisse dicuntur? Ex quo Adamum eiectum memorat, posito ad eius aditum obstruendum terribili Cherubino, nequis ex Adami posteris illum locum ingrederetur? Vbi Armeni, póst hæretici in Florentino Concilio cōdemnati, Sanctorum animas ad diem iudicij post mortem remanere dixerunt? Ita, inquit Bellarminus, in eodem ipso Paradiso Enoch & Elias viui asseruantur. Magnum verò priuilegium, quòd cum cæteri Sancti cœlorum incolæ iam cum Deo viuant, ipsi duo

duo à cœlis atque à Deo tot iam sæculis exularint. Vt demus Paradisum esse cultissimum & amœnissimum sic vt olim fuit, in quo suauitate florum & fructuum, dulcedine fontium, pratorum viriditate, garritu auium, sylnestrique symphonia, opacitate arborum sese tot sæculis oblectare potuerint; nō fuisset tamen illis tanti totus Paradisus, vt eo vel vnius dieculæ damnum solari possent, qua cœlo caruissent. Nam quòd Bellarminus ex apocrypha Ecclesiastici Scriptura probat Enochum translatum esse in Paradisum, dixisset tamen aliquid, nisi etiam apochrypho textui Paradisus fuisset adiectus: nam quamuis sit in Latina versione vulgari, non est tamen in græco autographo. Sed quid intereà respondebit de Elia, quem disertè Scriptura canonica ponit assumptum in cœlum, non quasi in cœlum, sed in cœlum fuisse? Negare non potest id quod multi saniores Pontificij concedunt, Deum Scriptura decretum suum publicasse de Elia verbis dissertissimis, nisi fortè Deus opinione Bellarmini, cum Eliam in cœlum assumere statuisset, subitò mutata voluntate in Paradisum proiecerit? Cœlo iam igitur Elias caret ægriùs, quò semel à cœlo propiùs abfuit. Sed si Paradisus qui locus quondam fuit iucundissimus atque amœnissimus, iamdiu penitus sublatus est: quid tandem solatij reliquit Enocho & Eliæ, quo desiderium suum aliqua saltèm ex parte lenirent? Iam vt omittam cæteros Pontificios, Iesuita Pererius multis probat Paradisum aquis diluuij penitùs obrutum, tàm incultū iam esse atque insalubrem, vt quamuis locus non desierit esse, desierit tamen esse Paradisus. At exiesuatus Bellarminus, vt illum ab aquarum eluuione Enocho & Eliæ locum amœniorem & salubriorem conseruaret, in locum orbi Lunæ proximum euexit. At Iesuita Pererius tantò illum incommodiorem & insalubriorem esse conuincit, & prorsus inhabitabilem. Primò quidem ob viciniam Solis aliorumque syderum, tum ob elementum ignis eo loco proximè cœlo Lunæ subiectum: deinde propter agitationem & perpetuam volubilitatem illius loci rapidissima cœli vertigine continentèr circumacti. Vt pessimè Bellarminus bonis Patribus prospexisse videatur, qui Paradisum in loco Lunæ proximo collocaue-
 rit.

rit: & magnam incolis terræ iniuriam fecerit, vt ſcitè Pererius & feſtiuè notat, tanta Paradiſi maximæ ſine dubio prouinciæ altitudo ad orientem oppoſita, quibus Solis lumen auferret. Ludus eſt videre duos doctos Ieſuitas inter ſe de Paradiſi ſitu digladiantes, vt tanquam Madianitæ mutuo ſe marte iugularint. Sed ex hoc conflictu tamẽ veritas eluxit, Enochum & Eliam non eſſe iam in terreſtri Paradiſo. At in Paradiſo vult eſſe ſine controuerſia Bellarminus; ſequitur igitur eſſe in cœleſti. Quod tandem ipſe concedit, aitque eos eſſe in cœlo non æthereo, ſed aëreo tantùm. Aëreus Doctor, qui tantis Dei Prophetis aëream à Deo fœlicitatem datam ſomniet. Nam quòd religioni videatur habere cuiquam fateri cœli fores apertas prius fuiſſe, quàm Chriſto, ad eamque rem omnes ſuas copiolas ſanè conſcripſerit, atque in vnum contulerit, certè illas eruditiſſimus Elienſis ita contriuit omnes & contudit, vt è campo ſophiſtam fuderit penitùs & profligarit. Enochus & Elias membra Filij hominis: Filius aſcendit primus in cœlum virtute ſua; Enochus autem & Elias membra Chriſti aſcenderunt virtute Filij hominis; vt Chriſtus vtriuſque prodromus iure dicatur. Ex quo cum ſatis conſtet Enochum & Eliam iam in cœlo viuere: iterum quæram, vtrũ animabus tantùm, an corporibus etiam cœlum intrarint. Nam ſi tantùm animabus, vt quidam viri docti cenſuerunt, bis reſurgant oportet, ſi verum dicit Bellarminus: ſemel vt oppugnent Antichriſtum, iterum vt Iudæos conuertant ad Chriſtum. Sin corporibus etiam, id quod plures doctioreſque ex vtraque parte Theologi concludunt, ne priuilegium illis ſuum in ſolatium noſtrum conceſſum denegent, non anxiè quæram vtrum viſione Dei beatifica fruantur, cum in domum Dei, in qua docet Chriſtus manſiones eſſe multas, id eſt, in cœlum ingreſſos eſſe audiam. Satis ha-
» beo, quòd Deus ſolandæ in terris Eccleſiæ tria extare volu-
» erit exempla & ſpecimina glorificationis noſtræ, Enochum
» ante legem, Eliam ſub lege, Chriſtum ſub Euangelio: illos
» aliena, Chriſtum ſua virtute primùm cœlos introiſſe cor-
» poribus. Enochum in ſolamen coniugum, Eliam in ſola-
» men virginum, Chriſtum in ſolamen vtriuſque ſtatus, qui na-

tus

tus ex virgine & despõsata, vtrumq; decorauit ortu suo, virgi- "
nalem exemplo, coniugalẽ miraculo: sed imprimis vt integri- "
tati in Enocho, zelo in Elia, omni virtuti in vno Christo pa- "
tefactus in cœlum aditus nosceretur. Vnde quiuis fidelis in "
Christo principium, in Enocho & Elia præludium: in illo "
causam energeticam, in hisce tesseram charactericam resur- "
rectionis ascensionisq; in cœlum suæ cum sancta lætitia con-
templetur; indeque concludat contra Iudaizantem hæreticum, Enocho & Eliæ, quibus ipsis modò beandis aditum in cœlum datum legit, reditum in terram denegatum: Christo autem qui non pro seipso solùm, sed vt pro illis, sic pro nobis ascendit, soli redeundum in fine sæculi, vt suos secum in cœlum introducat. Nec dubitet quin qua virtute Christus, quos cum redierit in terram superstites offendet, in nictu oculi immutatos in cœlum transferet, eadem virtute Enochum & Eliam in ipsa translatione atque assumptione immutarit, vt corpori suo glorioso similia, cœloque idonea reddiderit illorum corpora, quemadmodum etiam & nostra reddet. Vnde tertium quæro, quomodo Bellarminus fingere possit illorum corpora esse mortalia & corruptibilia, quæ tot iam sæculis in cœlo immortalitate atque incorruptione lætentur? Non enim potest caro & sanguis hæreditatẽ cernere regni cœlestis, nec corruptio incorruptionem possidere, vt docet Apostolus. Cui contradicit Cardinalis. Translatus est Enoch, ne videret mortem, inquit Apostolus. Redibit, vt videat mortem, inquit Cardinalis. Ita semper in rupem impingit Bellarminus, vt ei metuendum sit ne à rupe frangatur. Quòd si Enoch & Elias in cœlo iam Dei domicilio corporibus viuant, vt cum Scriptura saniores Pontificij fatentur: sequitur igitur illorum corpora esse incorruptibilia & immortalia. Quartum igitur quæro, quomodo tum possint in fine sæculi interfici ab Antichristo? Quomodo mori, vt post triduum reuiuiscant? Nulla est veritatis species in inuento; nulla probabilitatis in cõmento. Et tamen duos hosce Paradisi cœlestis colonos, vt Hieronymus, ait æternitatis candidatos; non quòd iam petant, sed quòd iam habeant immortalitatem, vt Tertullianus, characteres &

primogenitos resurrectionis nostræ, vt Epiphanius; cœli antiquissimos incolas, quibus mutauit legem naturę dignitas gratiæ, vt Athanasius; iste delirus doctor Bellarminus *fingit* ,, *redituros in terram, vt Antichristi manu moriantur?* Mortalitas ,, absorbebitur à vita, sed immortalitas non absorbebitur à mor- ,, te. Non eam dabit Deus lætitiam Antichristo, vt de cœli incolis occisis triumphum agat. Sunt enim immortales. Si cœlestes, si immortales, quid hîc habent in terra negotij, vt pugnent cum Antichristo, quem Christus tribus modis, efficaci ministerio verbi, potentibus regum copijs, glorioso aduentus sui splendore destruere atque abolere decreuit? Quod si daremus illos cum Antichristo pugnaturos, non tamen inde sequeretur, Antichristum nondum aduenisse, quod ille contendit; sed hoc tantùm sequeretur, Antichristum nondum abijsse, quod nos concedimus. Et non est hæc tum egregia demonstratio? Cuius hæc summa denique:

Nondum Enochus & Elias è Paradiso redierunt.

Nondum igitur venit Antichristus.

Lycurgum ferunt, quò suam continuaret rempublicam, longo itinere simulato ciues suos iureiurando obstrinxisse, ne formam reipublicæ à se relictam immutarent, donec ipse rediret. Lycurgus nunquam redire constituit. Sperauit igitur suam rempublicam æternam fore. Quod Lycurgus dolo bono fecit, id Pontificij dolo malo faciunt, multa perpetuandæ hierarchiæ suæ causa simulantes, vt suos discipulos credulos quasi fascino quodam deuinciant, ne à se formatum Antichristum expectent, donec Enoch & Elias è Paradiso redierint. Certò sciunt illos nunquam è Paradiso redituros. Nunquam igitur suum Antichristum esse venturum.

Tertia demonstratio Bellarmin.

Et tamen signum aliud apponit Bellarminus, quod Antichristi comitatur aduentum, persequutionem grauissimam, & notissimam, & quæ publicum Dei cultum tollat. Quod sanè signum vero sensu quamuis Romano Pontifici apprimè conueniat, qui verum & purum Dei cultum grauissima & notissima persequutione, quantum in ipso fuit, publicè sustulit: tamen iste Rom. aduocatus miro translationis artificio ignitæ persequutionis infamiam remouet à Papa, qui intulit; affingit

gitEcclesiæ nostræ,quæ pertulit. Vt à Nerone scribit Tacitus,postquam vrbs ab ipso esset incensa,in Christianos tamen incendij culpam esse translatam. Piget in tam crudeli demonstratione diluenda diutiùs versari,qua malignè insectatur dolores nostros, vtvt ille Fimbria nostris illudit Scæuolis, quibus Antichristus graue vulnus inflixit, quòd non toto corpore telum bestiæ receperint. Quid? quòd non minùs elumbis sit,quàm crudelis demonstratio? ad quā tamen probandā cum maiori malitiáne dicam,an inscitia difficiles aliquot Scripturæ locos pro more suo violenter inflexerit. Nodos illos soluere, Scripturamque ab illius corruptela breuiter vindicare necessarium videtur. *Cum venerit Antichristus, persequutionem,* ait, *grauissimam & notissimam omnium, quæ vnquam fuerunt, futuram, & eiusmodi, qua publicus Dei cultus penitus cessaturus sit. Nondum autem adhuc eiusmodi persequutionem fuisse, nec publicum Dei cultum penitus cessauisse. Nondum igitur aduenisse Antichristum.* Quasi diceret, grauem sub Papa persequutionem fuisse, si persequutionem, sed non grauissimam: notam, sed non notissimam: grauiorem notioremque fuisse persequutionem Ecclesiæ Primitiuæ, quàm nostræ, de qua tamen nos tantopere querimur; quam etiam castigationem appellat. Quid est hoc aliud, quàm miserijs nostris crudeliter illudere, & cineribus insultare, cum tot myriadas hominum innocentium Pontifex flamma ferroque consumpserit, persequutionem Pontificiam eleuare comparatione persequutionis imperatoriæ? eamque non persequutionem, sed castigationem nominare? quam si Principes nostri Dei vicem vlciscerentur, vt duce Burbonio Caroli Quinti exercitus, capta Roma, fecisse memoratur, dum sanguine sanguinem elueret, & nequam illis Cardinalibus peccatores testiculos amputaret, quemadmodum lugubriter sanè deflet in epistolis suis Sadoletus; desineret fortasse sarcasmis suis Bellarminus iustas querelas nostras irridere, quas nobis illius inhumanitas non minùs quam suorum immanitas expressit. Sed redeamus ad argumentum: *Propositionis suæ tria membra confirmat. Primùm persequutionē Antichristi fore grauissimam omnium, quæ vnquam fuerunt, probat ex Matth. 24. ex verbis illis Christi, Et erit tum*

tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modò neq; fiet. Quem locum non de persequutione Antichristi, sed de calamitatibus Iudæorum in vrbis excidio intelligendum esse cùm loci contextus, tum Lucæ testimonium apertissimè conuincit. *Et ex 20. Apocalypsis legimus*, inquit, *Sathanam tunc soluendum, qui vsque ad illud tempus fuerat ligatus.* Quem locum etiam non esse referendum ad Antichristi aduentum liquet ex antecedentibus, & consequentibus. Anteuertit hanc solutionem Sathanæ aduentus Antichristi, quem ex antecedentibus non modò natum & adultum, sed confirmata & corroborata iam ætate dominatum iam diu constat sub figura bestiæ ante descriptum cap. 13. ita furentem, vt homines imaginem bestiæ adorare nolentes occiderit: eiusque Synagogam sub typo meretricis ante depictam aureo fornicationis suæ poculo inebriantem Principes terræ; ipsam autem ebriam factam Sanctorum sanguine. Addo etiam ex consequentibus: nam Angelus, à quo Sathanas mille annis ligatus dicitur, deinde post illorum annorum finem solutus ad modicum tempus, vers. 2. & 3. cuius modici temporis etiam 12. capite mentio facta est, commemorat se vidisse animas eorum, qui pro Christi testimonio sunt occisi, eo quòd nec imaginem bestiæ colere, nec eius characterem suscipere voluissent, ver. 4. & 5. Sed ad dilucidiorem huius loci intelligentiam præsertim obscurissimi, paucæ distinctiones ex textu præmittendæ sunt, vt huius demonstrationis vanitas omnium oculis appareat. Bis ligatus Sathanas intelligitur, bis solutus. Ligatus semel à Christo, ne cuiusquã fidelis perderet animam: solutus tamen vt affligeret carnem. Ligatus in perpetuum, ne spiritualibus technis Ecclesiæ salutem euerteret: sed solutus ad terminum, vt corporalibus plagis patientiam exerceret. Hîc distinguo terminum, à quo ligatus, à termino, quo bis solutus. Semel à decollatione Baptistæ ad regnum Constantini: iterum à regno Constantini ad imperium Ottomanni primi, & Pontificatum Bonifacij octaui. Solutus est à morte Baptistæ trecentis propè annis, vt fureret in Romanis Imperatoribus aduersus Ecclesiam primitiuam, ad Imperium Constantini, quo ligatus est iterum

Expositio loci de solutione Sathanæ & ligatione.

ad annos mille Angeli catena, versu 2. cap. 20. solutus iterum, vt sæuiret (versu 3.) ad tempus modicum, vt ante, annis etiam propè trecentis in Imperatoribus Turcicis & Romanis Pontificibus vsq; ab Ottomanno primo, & à Bonifacio 8, quorũ ille foris, hic domi simul anno à Christi morte 1300, à Constantini morte 1000, aduersus Ecclesiam ille ex oriente, hic ex occidente admodum sæuire cœpit. Sunt qui numerent initium mille annorum ab anno Christi 73. quo Hierosolymis excisis, Ecclesiam iam in gentes propagatam Sathanas, vt est 12. cap. conatus est extinguere, semen illud mulieris, quæ in solitudinem profugisset ad modicum tempus, id est, ad tempus, tempora, & dimidium temporis, quod spacium supra quadraginta duobus mensibus, & mille ducentis sexaginta diebus aptissimè respondet, vt docti docent, qui iuxta supputationem Danielis annos ducentos & nonaginta quatuor conficiunt. Quibus Draco, vt dicitur, iratus mulieri semen illius reliquum extinguere cogitarat. Iam 20 capite vbi eadem historia continuata existimatur, Angelus dicitur vinxisse Sathanam catena ad annos mille, qui anno millesimo septuagesimo tertio finiti sunt, quo tempore soluisse intelligitur Sathanam in Gregorio septimo, in quo vir iam Antichristus furere aduersus imperium videbatur. Sed illi rectius videntur hunc locum interpretari, qui Sathanam ad annos mille vinctum, ad flumen Euphratis solutum existimant in externo hoste Ecclesiæ Ottomanno primo Turcarum Imperatore, eiúsque posteris tantùm, immanissimis Christiani nominis hostibus, in quibus vaticinium illud de Gog & Magog impletum esse arbitrantur. Nisi illi potius audiendi sint, qui nec de Turca tantùm, nec de Papa tantùm, sed de vtroque locum intelligant, numerantes, vt dixi, secundam Sathanæ solutionem à regno Constantini, quo mille annos ligatus, ad regnum Ottomanni, & Pontificatum Bonifacij: quo solutus, post sanguinarium illud Lateranensis Concilij decretum de comburendis Dei seruis, vt ab illis vocantur, hæreticis, quod ab eo tempore multas hominum innocentium Myriadas lenta morte cruciatos crudelissimè deuorauit atque consumpsit. Qui locum referunt ad Antichristum

christum tantùm, pungunt Bellarmini Dominum. Qui referunt ad Turcam tantùm, tollunt Bellarmini demonstrationem. Qui referunt ad vtrumque, cum vtrumque præstant, tum duas quasi scenas, vnam Constantinopoli, alteram Romæ verè constituunt, quarum in illa nigrum, in hac album diabolum ferocientem cerneremus. Nam quòd foris Saracenos, intus Antichristum, intra millenos annos Ecclesiæ sæpe graues plagas intulisse constat: maximasque turbas intra Ecclesiæ viscera, acerbissimosque rerum ciuilium motus Sathana duce, Papa authore extitisse: primùm externorum hostium impressionem, nec adeò generalem, nec adeò diuturnam fuisse dico, nec internorum persequutionem quamuis religionis specie sæpe, non tamen religionis causa tam sæpe, quàm Imperij cupiditate excitatam: vt Ecclesia pacem externam intermissam potiùs senserit, quàm amissam, & Sathanæ tum catena paulùm laxata potiùs ab Angelo, quàm planè soluta videretur. Qui delicias & amores suos Antichristum auxit & fouit externa magis pace, quàm bello: orbi blandiendo, potiùs, quàm minando: ligatus magis, quàm solutus. Ita præ continuis illis Turcarum incursionibus, & perpetuis Paparum persequutionibus, quibus annis hisce trecentis orientalis & occidentalis Ecclesia tota miserrimè dissipata est, videri potest quasi pax externa quædam, & respiratio concessa ad mille annos Ecclesiæ, sed eiusmodi vt exclamare possit cum Ecclesia apud Isaiã: Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Quibus ligatus Sathanas externam interdum Ecclesiæ pacem concedens internam eripere tentauit, id curans sedulò vt Antichristo suo nundinas animarum quæstuosissimas redderet, dum velut hasta in templo posita peccata quamplurimò venderet, maximosque institori suo thesauros inde corraderet & corrogaret, delicias affunderet, potentiam compararet; quod ille quidem sine longa pace nunquam efficere potuisset. Ligatus tum igitur Sathanas, non ne fureret omninò in Ecclesiam, sed vt mitiùs & pro suo commodo fureret, vt luderet potius in catena, quàm fureret, nec tam sicarium ageret, quàm præstigiatorẽ, & homines inficeret potiùs, quàm interficeret: nec tam cruentaret homicidijs, quàm mendacijs

cijs dementaret, & comædum potiùs ageret, quàm tragædum, & ludicris orbem deliniret magis, quàm tristibus permisceret, nisi cum Imperium primogenito suo parare contenderet, vt tragicomædiam tum prorsùs egisse videatur.

Ita ligatus Sathanas Antichristo suo plus sanè profuit, quàm solutus. Immò verò quod ligatus acquisiuit, solutus propemodum amisit. Nam quos Antichristus superstitione occœcatos, & pacis artibus delinitos perdiu tenuit, eos bellis attritos, & innocentium persequutionibus offensos sic irritauit, vt aduersus illum tandem insurgerent, oppressamque Euangelij causam fortissimè vindicarent. Nunc loco de solutione Sathanæ breuiter exposito, redeamus ad argumentum Bellarmini, qui sub Antichristo grauissimam omnium persequutionem fore contendit ex hoc loco, qui si Turcam tantùm attingit, tollit Bellarminianæ demonstrationis fundamentum: si Antichristum etiam premit, regerit in authorem suum argumentum. Nam grauissima qua de loquitur persequutio iam venit. Venit iam igitur Antichristus. Adde quod Papam propiùs vrget, quàm putarat! Nam

Persequutor internus Ecclesię grauissimus, est Antichristus,
Papa est persequutor internus Ecclesiæ grauissimus.
Papa igitur Antichristus.

At oportet Antichristi persequutionem etiam esse notissimam, inquit. *Non est autem Papæ persequutio notissima.* Quamobrem? *Quia tum omnes impij aperto marte Ecclesiam oppugnarent: neque solùm infideles & manifesti peccatores, sed hypocritæ falsiq; fratres Papæ sese adiungerent, seséque aperientes Ecclesiam palàm inuaderent. Nam eiusmodi persecutio Antichristo conuenit, at Papæ non conuenit.* Quamobrem? *Quia nunc tam multi hypocritæ falsiq; fratres,* inquit, *sunt in Ecclesia. Romanam intelligens.* Concedo. Etenim est veritatis plena defensio: Papa magnus hypocrita gignat filios oportet sui similes magnos hypocritas & dissimulatores. Sed illud vereor, vt illi possim concedere, quòd hypocritas & synceros Christianos, quos quasi paleam & triticum non ante diem aduentus sui Christus separandos esse dicit, eosdem sub aduentum Antichristi Bellarminus separandos esse contendat. Vnde sic disputo.

Cum omnes hypocritæ patefient, veniet Antichriſtus.
Cum venerit Chriſtus, omnes hypocritæ patefient.
Ergo cum venerit Chriſtus, veniet Antichriſtus.

Ita non iam animal trimum, ſed animal ephemeron Antichriſtus: niſi fortè poſt aduentum Chriſti, finemque mundi aduenturum ſentiat Antichriſtum. Nam quod addit in extremo, eiuſmodi perſecutionem futuram ſub Antichriſto, vt ceſſent omnes publicæ religionis ceremoniæ & ſacrificia, merum ſanè delirium eſt. Oblitus eſt videlicet, quod ab Apoſtolo ponitur, Antichriſtum futurum inſignem hypocritam, nec externum aduerſarium, ſed domeſticum, qui ſimulatione pietatis & ſanctitatis parùm cautos alliciet atque decipiet, vt Acoſta, Viega, Pererius, Ribera, quatuor principes Ieſuitæ clariſſimè oſtendunt; atque ita futilem hanc Bellarmini demonſtrationem penitùs elidunt. Quam tamen ſi placet expendamus.

Publicus Dei cultus, & quotidianum Chriſtianorum ſacrificium, ſub Antichriſti perſequutione ceſſabit eo tempore quo veniet Antichriſtus.
Nondum Dei cultus & Chriſtianorum ſacrificium ceſſauit.
Nondum igitur venit Antichriſtus.

Propoſitionem probat ex Danielis 12. verſ. 11. Ab eo tempore quo quotidianum ſacrificium de medio tolletur, ſunt dies 1290. Vbi Daniel, ſi credimus Bellarmino, loquitur de Antichriſto: refragante Daniele, qui ſeipſũ exponit 8.c.v.11. & 11.c.v.31. per Antiochum Epiphanẽ & eius exercitus quotidianum Dei cultum ſublatum iri disertè affirmans, loquens non de quotidiano ſacrificio Chriſtianorum, ſed de quotidiano ſacrificio Iudæorum. Mos Iudæorum fuit offerre Deo ſacrificium matutinum & veſpertinum, quod vocarunt ἐνδελεχισμὸν, quod ſacrificium ſublatum eſt per Antiochum, vt Ioſephus & author 1. lib. Maccabæorum & Chryſoſtomus planè teſtantur. Percontanti Danieli, quando finis horum malorum futurus eſſet, reſpondet Deus, Ab eo tempore, quo quotidianũ ſacrificium ſublatum eſt, & abominatio deſolationis collocata, de qua loquutus eſt cap. 11. ver. 31. dies futuros mille ducentos nonaginta ad eiuſdem reſtitutionem, &

Iudæorum liberationem ab Antiochi tyrannide. Huius autem restitutionis & liberationis varios gradus diuersis temporibus à Daniele notatos ostendi fuisse. Nam à cultu Dei interrupto ad primam eius restitutionem per Iudam Maccabæum, dicit Propheta fuisse tres annos & decem dies; quod spacium 7.cap. ver. 25. tempus & tempora & partem temporis appellat. Ad victoriam autem Iudæ Maccabæi, qua Antiochi copias è Iudæa expulit, itaque primam restitutionem stabiliuit, dicit Daniel fuisse triennium & semissem: quod spaciũ cap. 12.7. tempus & tempora & dimidium temporis vocat. Ad tempus autem quo Dei manu percussus Antiochus promisit se Iudaicam religionem restituturum, intelligit fuisse dies mille ducentos nonaginta: ad tempus mortis eius mille trecentos triginta quinq; : quibus in numeris omnibus prophetiæ Danielis historia Iosephi & Maccabæorum optimè congruit. Quò magis miror Bellarminum adeò cœcum in prophetia, adeò rudem in historia fuisse, vt publicum Dei cultum & sacrificium Iudæorum sublatum per grauissimam persequutionem Antiochi triennio anniqúe dimidio, somniet esse publicum Dei cultum & sacrificium Christianorum sublatum per persequutionem Antichristi, scilicet triennio anniqúe dimidio in fine sæculi. Assumptionem experientia confirmat, quasi testante publicum Dei cultum nunquam penitùs sublatum fuisse per Papam, nunquam Christianorum sacrificium cessauisse. Intelligit autem Missam, cæterosque publicos Ecclesiæ Romanæ degenerantis cultus voluntarios, quos nec cultum Dei, nec sacrificium Christianorum esse Symbolum demonstrabit. Ita propositio ducitur ex Scripturæ contrario sensu: assumptio nititur petitione principij. Et non est hæc egregia demonstratio?

Iam duo signa consequentia:
- 1. Duratio regni Antichristi triennio anniqúe dimidio:
- 2. Deinde totius mundi post 45. dies dissolutio:

Annon æquè præclaram demonstrationem conficiunt? Regnum Antichristi iusto triennio & semisse definit. Quod to-

tum tempus non sufficeret congregandis Iudæis suis toto orbe dispersis: nedum templo etiam extruendo, quod ita funditus excisum est, vt ne lapis quidem super lapidem reliquus sit. Cuius prima ædificatio, summa pace, summoque rerum
2. Chron. 2. 2. omnium apparatu, cōquisitis operarijs, quorum centū quinquaginta millia numerat Scriptura, non nisi septennio tamē à Salomone perfecta est. Secunda verò instauratio hostis idendidē imminentis incursione, vel metu impedita sic est, vt sæpe.

——Penderent opera interrupta, minaq;
Murorum ingentes, æquatáque machina cœlo.

Ioh. 2. Nec nisi quadragesimo sexto anno completa est: & triennium tamen ac semissem Bellarminus tanto operi constituit. Rectè Antichristum magum fingit, qui spiritus potuit ex orco forsitan euocare, quos quasi viridarios ventorum alis vectos circumcirca dimitteret ad Iudæos suos ex tam diuersis regionibus quàm citissimè colligendos, & posteà quasi Merlin fabros conduceret ad lapides comportandos, & arte mirabili compaginandos. Sed eodem etiam triennio & dimidio, vt Christianos omnes sub iugum mittat, decem Reges subigat, & monarchiam orbis acquirat, eiusmodi fabula est, quam Turcæ rideant, & Christiani execrentur. Scribat ista suis idiotis, quos docuit fidem non in notitia, sed in assensu cœco sitam esse, vt recipiant sine disquisitione, quicquid illis Ecclesiæ nomine quamuis incredibile tradatur. Ac vide tandem quid iste magus effecerit. Bellarminum ipsum induxit saltantem in circulo. Sic enim facit pro se disputantem.

Antichristus præcisè regnabit triennio annique dimidio.
Papa spiritualiter regnauit in Ecclesia supra mille quingentos annos; neque quisquam alius fuit sumptus pro Antichristo qui triennio annique dimidio præcisè regnauerit.
Papa igitur non est Antichristus.
Ac proinde Antichristus nondum venit.

Ita resolui potest syllogismus.

Si neque Papa est Antichristus, neque alius quisquam qui tamdiu præcisè regnauerit, nondum venit Antichristus.
Verum est antecedens.
Verum igitur consequens.

Hic

Hic vides Bellarminum circulari disputatione principalem quæstionem afferentem, vt probet id quod est in quæstione. *Nondum venit Antichristus*. Quare? *Quia Papa non est Antichristus*, Papa non est Antichristus. Quamobrem? *Quia nondum venit Antichristus*. Eccum in gyro saltantem Cardinalem. Propositionem syllogismi sui stabilire conatur ex Daniele & Iohanne perperàm intellectis, Antichristum videlicet tres annos cum dimidio precisè regnaturum. Danielis cap. 7. versu 25. vici tempus, & tempora, & partem temporis, id est, triennium & decem dies, fuisse spacium illud, quo templi prophanatio & diuini cultus interruptio primùm facta est per Antiochum, vt Iosephus vaticinij optimus interpres numerauit. Non Archimedes meliùs potuit describere. Tantum enim temporis fluxit à prophanatione templi ad purgationem primam restitutionemque factam per Iudam Maccabæum. Ab illa autem purgatione ad exactionem exercituum è Iudæa, tempus, & tempora, & dimidium temporis numerantur cap. 12. Quibus duobus anni mille trecenti 8. cap. ver. 14. commemorati continentur, cum restitutio cœpta stabilita meliùs & constituta est: à quo tempore si numeres ad morbum Antiochi, fiunt dies mille ducenti nonaginta, c. 12. 11. Si ad mortem Antiochi, mille trecenti & triginta quinq; à Propheta numerantur cap. 12. ver. 12. Iam si placet, egregiam Bellarmini de duratione regni Antichristi demonstrationem conferamus, & quàm bellè Bellarmino non solùm cum Daniele, sed cum Bellarmino conueniat, intelligimus. Primùm, quæ literaliter & propriè intelligenda sunt de tyrannide Antiochi, qui tot ante Antichristum sæculis perijt, literaliter & propriè sumit pro regno Antichristi, qui in mundi fine, Bellarmino teste, regnabit. Sed Hieronymum semper allegat, qui locum illum 8. cap. de annis bis mille trecentis ad Antichristum refert, qui sexennium & amplius efficiunt. Quomodo igitur annos mille ducentos & sexaginta, qui triennium & semissem præcisè conficiunt, Antichristum modò regnaturũ esse contendunt? Dies 1300. & dies 1200. ac sexaginta quomodo congruunt? Iam quòd ex duodecimo cap. regnum Antichristi exactè definiant tempore, temporibus, & dimidio

midio temporis, id eſt, triennio cum dimidio, dicant mihi quomodo reconcilient dies illos mille ducentos nonaginta, quibus ab eodem Daniele regnum Antichriſti circumſcriptum eſſe defendunt? Dies mille ducenti & ſexaginta cum diebus mille ducentis & nonaginta præciſè, quomodo concordant? Nouam medius fidius Arithmeticam excogitent neceſſe eſt, nouamque Dialecticam, vt numeros iſto reconcilient. Nam quod addit Bellarminus, *Danielem poſtquam dixerat cap. 12. Antichriſti regnum duraturum diebus mille ducentis & nonaginta, ſubiunxiſſe Beatum eſſe, qui expectat & peruenit vſque ad dies mille trecentos & triginta quinque, hoc eſt, vſque ad quadraginta quinque dies, ad mortem Antichriſti*, vt ipſe exponit, *quia tum Dominus* vt putat, *veniet ad iudicium, &c.* malè affecti cerebri delirium eſt, vt ſtatim clariùs luce conſtabit. Nam iudicium illud cuius Daniel mentionem facit, non eſt extremum mundi iudicium, quo Chriſtus omnes in fine ſæculi iudicabit; ſed temporale iudicium, quod ſedit, vt beſtiam illam Antiochum loquentem grandia conficeret atque conſu-
Dan.7.ver.11. meret, cum tamen alijs poteſtas eſſet conceſſa Beſtijs poſt ad tempus & tempora permanendi. At Bellarminus ſtatim poſt hoſce dies quadraginta quinque mundi diſſolutionem futuram ſomniat. Vt ſextum illius & vltimum ſignum breuiter expendamus. Vult, credo, videri Bellarminus eſſe Deo à conſilijs, qui plus nouit quàm Angeli, vel ipſe Filius hominis: niſi quòd non tam de die & hora, quàm de anno aut aliquo eiuſmodi tempore conſummationis mundi nuper nos facere voluerit certiores. Niſi quòd poſt quadraginta quinq; dies à cæde Antichriſti nuper ſcribat, Scripturam non dicere diem iudicij non eſſe longiùs prorogandum. Ergo quos dies Chriſtus breues futuros promiſit propter electos, longiores Bellarminus, bonus Theologus ſcilicet, fore ſignificat. Quos contrahendos Chriſtus propter electorum ſolatium dicit, eos Bellarminus innuit propter dolorem prorogandos. Abeant verò tales Theologi in malam rem, malumq; cruciatum, qui quos fontes cõſolationis Chriſtus electis aperuit, eoſdem penitus occludunt. Quis autem fons conſolationis vberior quàm promiſſio Chriſti, diem iudicij propter electorum liberationem

berationem accelerandum? Et tamen iste mundanus Cardinalis significat propter electorum afflictionem differendum. Ignorabunt, inquit, qui post quadraginta quinque dies vixerint, an dies ille diutiùs differendus sit. Bene scit sibi esse in præsenti sæculo: lautè & delicatè cum illo suo Ioue Latiali victitat: num adeò bene sibi futurum sit in venturo sæculo non sciunt. Itaque de præsenti sæculo prorogando cogitant. Credo si Deus Cardinalem ad suas illas cœlestes epulas inuitaret, dies ab eo plures quamuis senex, aut etiam annos aliquot auferret, quibus cutem illam senilem curaret suam, & cum prophano illo Martiale tacitè responeret. Martial. lib. 9.

Quærito qui malit fieri conuiua Tonantis,
Me meus in terris Iupiter ecce tenet.

Hic sibi cœlum defixerunt: Itaque diem illum iudicij quàm longissimè abesse cupiunt, quo sibi tot scelerum in Christum, in Reges & populos Christianos sciunt rationem esse reddendam. Sed veniamus ad eius argumentum. Quo docet ne expectemus Antichristum antè quàm abierit: nec eius aduentum putemus ante mundi exitum futurum. Sic igitur argumentatur.

Nondum venit mundi finis.
Nondum igitur venit Antichristus.

Hoc erit illis perpetuum argumentum, nam quamdiù mundus durat, ita semper arguent pro Antichristo: Quod quia Bellarminus absurdum putauit, quæstionem mutauit, & concludit, Antichristum non longè abhinc aduenisse.

Nam si longè abhinc aduenisset Antichristus, longè abhinc mundi finis fuisset.
Falsum est consequens.
Falsum igitur antecedens.

Propositionem probat ex Apostolo. Antichristum paulò ante mundi finem venturum, & immediatè ante secundum aduentum Christi. Et tum exlex ille reuelabitur, quem Dominus Iesus consumet spiritu oris sui, & fulgore aduentus sui abolebit. Distinguit autem Apostolus inter Antichristi aduentum & interitum: inter Antichristi essentiam, & apparentiam, siue reuelationem. Deinde inter eius reuelationem,

onem, & destructionem magna distantia. Latuit tempore Iohannis & Pauli, vt suprà docui. Fuit igitur. Apparuit post remotionem Imperij, id enim fuit quod obstabat ne appareret. Quod non nisi multa post sæcula contigit. Deinde distinguit Apostolus inter consumptionem Antichristi, & finalem inteitum. Postquam est reuelatus, eum consumendum paulatìm dicit spiritu oris Domini, sed fulgore aduentus Domini funditùs abolendum. Hîc prophanos Bellamini sales libet attingere. Valdè debilem, inquit, oportet esse spiritum oris Christi, si Antichristum suprà mille annos regnantem conficere non potuit. Vnde distinguit inter verbum Domini & potestatem. Quasi verò potestas non insit in verbo minuendi atterendique Antichristum, cuius vim & potentiam bestia sensit in suo casu, sentiet in interitu. Nam nunc res est in fieri, Christus nunc verbo suo debilitat Antichristum, post aduentu suo interficiet. Debilitando videlicet interficiet, vt ridiculam illam Cardinalis distinctionem eludamus, qui sic distinguit; Non dicit debilitabit, sed interficiet. Nosque ludit, quòd nunc verbo Domini dicimus Antichristum interficiendum, nunc contrà verbum Domini ab Antichristo interficiendum. Non pudet Christianum, & senem, & Theologum, non enim dicam Cardinalem, quem nihil pudet, in re tam seria ludere? Vt Deus ipse, sic verbum Dei æternum est: verbi igitur Ministros, Dei testes interficere potuit Antichristus, verbum ipsum nunquam interficere potuit: quod etiam cum ipse computruit, permanebit. Immò verò vt verbum Dei viuum est, sic verbi Ministri, Dei testes ab Antichristo interfecti, verbi virtute reuiuiscent, si non in indiuiduo, at in successione, vt Antichristum istum homicidam interficiāt. Non igitur debilis Christi spiritus, sed debile Cardinalis ingenium, qui gradus, & media quibus in abolendo Antichristo Christus vtitur, nondum intelligit. At Iohannes vltima hora dicit venturum Antichristum, inquit. At horam vltimam totum tempus à Christi ascensu ad secundum aduentum intelligit; quod quia breuissimum, respectu gloriæ Sanctorum, quamuis longissimum respectu patientiæ, Deus horam appellat. Quod testimonium ita retorqueo.

Cum

Cum ille Antichristus venit vltima hora est, inquit Iohannes.

At Antichristi iam venerunt, (intelligens corpus cum capite illo Antichristo, quem alibi iam tum ingressum affirmat.)

Ergo nunc hora vltima est.

Quod si tum fuit hora aduentus illius Antichristi, non igitur ad triennium & semissem ante mundi finem restringendus.

At ex Daniele probat Antichristum postquam tres annos cum dimidio regnauit, quadraginta quinque dies ante diem iudicij destruendum. Nam cum dies mille ducentos nonaginta permansisset, addit, Beatus est, qui dies mille trecentos triginta quinque viderit. Hic locus propriè, vt docui, est intelligendus de Antiocho: eiusque morte, & Iudæorum liberatione. Sed fac intelligi locum de Antichristi regno, deque mundi fine: primùm inde sequitur Antichristi regnum præcisè duraturū annos non mille ducentos sexaginta, qui triennium cum dimidio conficiunt, sed annos mille ducentos nonaginta: sequitur porrò ex eo, Antichristum 45. dies ante finem mundi destruendum, quem Apostolus dicit aduentu Christi abolendum. Tertiò sequitur, & tempus aduentus Christi fore distinctè notum hominibus, quem Christus ignotum Angelis esse asseuerat. Quod si hæ consequentiæ sunt absurdæ, certè & absurdum est antecedens, ex quo consequuntur. Cap. 12, 12.

Habes, Paule Quinte, sex Bellarmini demonstrationes minimè demonstrantes nondum aduenisse Antichristum. Nunc cum omnes de Antichristo quæstiones, an sit, quid sit, qualis sit, quale regnum & satellitium habeat, quid agat & gerat; nomen, quo appellatus; stigma, quod impressurus; sedem, qua dominatus; tempus, quo reuelatus, disceptarim: post etiam qualis non sit, ostenderim: non est opus, vt tibi, quis sit, multis exponam, cum ipsum intus in pectore & in sinu tuo totum Antichristum gerere videare. Audisti, quid fecit: audi, quid feret. Tantum enim abest, vt eius aduentum vocemus in dubium, vt expectemus interitum

prænuntiatum ab Angelis apud Iohannem. Vidi, inquit, Angelum volantem in medio cœli, habentem Euangelium æternum, vt Euangelizaret ſedentibus ſupèr terram, & ſuper omnem gentem & tribum & linguam & populum, dicentem magna voce, Timete Dominum, & date illi honorẽ, quia venit hora iudicij eius; & adorate eum, qui fecit cœlum & terram & mare, & omnia quæ in eis ſunt. Hæc angelica concio quid aliud eſt, quàm ſumma omnium concionum, quas Lutherus, Caluinus, & cæteri præcones Euangelij in omnibus orbis chriſtiani partibus habuerunt, vt populum ad fidem Chriſti, ad timorem Dei, eiuſque ſolius adorationem traducerent?

Solus is qui fecit cœlũ & terrã, adorandus; ſoli ei ſeruiẽdũ.

Deus ſolus creauit cœlum & terram.

Deus igitur ſolus adorandus, Deoque ſoli ſeruiendum.

Hic Angelicus ſyllogiſmus à noſtris velut aries admotus, omnes idolorũ munitiones extructas ab Antichriſto fregit, euertit, atque ex hominum animis eiecit. Et ſecutus eſt alius Angelus, dicens: Cecidit, cecidit Babylõ ciuitas illa magna, quia à vino iræ fornicationis ſuæ potauit omnes gentes. Hîc primùm ſpiritualis ruina Babylonis, non materialis intelligenda eſt: quæ verbi prædicatione labefactata & concuſſa, ſtantibus adhuc mœnibus, cecidit in hominum animis, planeque proſtrata eſt, Quis enim paulò cordatior eſt, cui Romanæ & Eccleſiæ & Curiæ non pateat impietas? non diluceſcat iniquitas? cui non fornicationum mater, ſpoliorum vorago, ſuperbiæ Regina, ſcelerum officina, turpitudinum ſentina videatur? Centum abhinc annis & ſexaginta quidam non hæreticus, vt Lutheranus vocatur, ſed Romano-catholicus ita de Papa ſcripſit. Vt citatur catalogo teſtium veritatis. Tom. 535.

Ima tenet Iupiter,
Cœlum habet Pluto:
Et accedit dignitas
Animali bruto,
Tanquam gemma ſtercori,
Aut pictura luto.

Quòd ſi tum exoſus eſt habitus, cum tenebræ illius tegerent fœditatem:

fœditatem: quantò nunc odiosior videtur omnibus, postquam illam lux Euangelij detexerit, atque oculis omnium denudarit? Tertius Angelus sequutus est illos, dicens voce magna: Si quis adorauerit bestiam & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, hic bibet de vino iræ, quod mixtum est mero in calice iræ ipsius. Et cruciabitur igne & sulphure in conspectu Angelorum, & ante conspectũ Agni. Et fumus tormenti eorum ascendit in sæcula sæculorum. Hîc Angelus non modò Romæ & bestiæ, sed Romæ amatoribus, & adoratoribus bestiæ sempiternum minatur interitum, seu fronte palàm, seu manu clàm bestiæ characterem gerant. Hîc ego quemuis virum Dei, Angelum Dei, ipse postremissimus Christi seruus admoneo, vt nec otij ad segnitiem, nec argenti ad auaritiam, nec deliciarum ad libidinem, nec honoris ad superbiam alendam studium sectetur: sed animarum, quæ iam ad bestiam defecerint, recuperandarum; quæ sanæ permanserint, conseruandarum, sine intermissione gerant curam: quibus Angelus Dei bestiæ charactere compunctis tam grauia, nunquamque finienda tormenta denuntiat. Non est dubium, quin simùl ac quisquam vestrûm negotium Dei & Sanctorum seriò suscipiat, multas sit passurus iniurias non solùm ab apertis inimicis, sed, quod est grauius, à falsis fratribus: illis Antichristi causam agentibus, hijs suam Christi nomine velantibus; vt ab hisce nihil nisi molestiam & angorem, ab illis mortem & perniciem expectare possit. Sed audiat vocem illam, quam Iohannes audiuit è cœlo dicentem, Scribe: Beati mortui qui in Domino moriuntur, à modò vtique dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis, & opera illorum sequuntur illos. Quòd si beati sint mortui, qui viuunt & moriuntur in Domino, id est, in fide Domini: quãtò beatiores qui viuunt & moriũtur pro Domino, pro fide Domini? Tres habemus testes huius beatitudinis; vocem è cœlo, Scripturam in Ecclesia, Spiritum in conscientia, testantes breuem esse miseriæ sensum, beatitudinis sempiternum: vitam morbo debitam, soluẽdam officio, nec magnoperè interesse vtrum quis in lecto, an in campo moriatur, modò in Christo & pro Christo moriatur: momen-
 taneam

taneam nobis datam esse vitam, sed gratiam benè redditæ vitæ immortalem; cumque sit omnibus definita mors, optandum esse Dei seruis, vt vita, quæ debetur necessitati, pietati donata potiùs, quàm reseruata naturæ videatur: præsertim contrà insidiosum & sanguinarium Antichristum, eiusque satellites, qui nunc, si vnquam, maximè ringuntur, & grunniunt, & Sanctis Dei ferrum flammamque minitãtur. Illi igitur impij cum cadent, pœnas impietatis atque improbitatis suæ grauissimas apud inferos luent: hij verò Christi sanguine abluti in victoria, statim à morte sedem in cœlo suam & requiem consequentur. Nam post in sexta phiala, quam sextus Angelus effudit in magnum illud flumen Euphratem, mentio fit magni prælij, ad quod tres immundi spiritus ranarum similitudine prodeuntes ex ore Draconis, ex ore Bestiæ, & ex ore Pseudoprophetæ, Reges terræ congregant ad diem magnum omnipotentis Dei: & ad locum, qui vocatur Hebraicè Armageddon, congregabit illos (Deus). Quibus verbis malitia Sathanæ, Antichristi, & Antichristianæ synagogæ luculentèr exprimitur, & ranarum Iesuitarum, quæ coaxantes è cauernulis Reges terræ solicitant ad bellũ contrà Christum, & Ecclesiam gerendum; sed quo successu dies & locus ipse declarat. Dies enim est, quo Dei omnipotentis dextera clade Antichristi magna & gloriosa futura est. Locus vocatur Harmageddon, Hebraicè, mons furum & latronum, vt Aquinas: vel maledictus exercitus accinctus ad prælium, vel exercitus vastitatis, qui vastitatem & inferet & feret. Nisi fortè melius sit, vt quidam legunt, Charmageddon, id est, deuotum excidio agmen, vel Gnarmageddõ, quod significat astutiam excidij; vt sensus sit, Principes in eum locum adducendos esse fraude dæmonis & Antichristi, vbi excidio pereant. Quanquam alius alitèr, & quidem optimè, sumit nomen non pro appellatiuo, sed proprio. Erat autem Mageddo ciuitas in terra Canaan montana, quoniamque vt *har* Hebræis mons est, ipsaque in monte sita erat, Harmageddon dicitur. Nobilitatus Cananæorum cædibus locus, vbi Iabin & Sisera contrà populum Dei pugnãtes, Dei manu fracti & prostrati, regnante Debora, pro qua stellæ

dimicare

dimicare dictæ sunt. Vt pro nostra Elisabetha contra classem inuincibilem venti & fluctus depugnarunt, cui conuenit illud Claudiani:

O nimium dilecta Deo, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Ergò locus huius pugnæ Harmageddon, vt similes hostes Ecclesiæ cum Iabin & Sisera à Deo congregati similem nunc exitum expectent. Quem septimus Angelus, qui phialam suam effudit in aërem, clarissimè demonstrauit. Exiuit enim vox magna è cœlo à throno dicens, Factum est, & facta sunt fulgura & voces & tonitrua, & terræmotus magnus, qualis nunquam fuit, ex quo homines fuerunt super terram. Et facta est ciuitas magna in tres partes, & ciuitates gentium ceciderunt, & Babylon magna venit in memoriam coram Deo, dare illi calicem vini indignationis iræ eius. Et omnis insula fugit, & montes non sunt inuenti, & grando magna sicut talentum descendit de cœlo in homines, & blasphemarunt Deum homines propter plagam illam grandinis.

Quid mirũ offenso creatore, offensam creaturã vniuersam? Nã quemadmodũ stellæ manentes in ordine & cursu suo de cœlo pro Debora cõtrà Siserã pugnauerunt: ita nunc fulgura, & tonitrua, & terræmotus mirabiles, & grando immensa & talentaris pro Ecclesia contrà Babylonem magnam, irato Deo, dimicabunt. Vt quemadmodum tum victoria ad aquas Megeddo, ita etiam & hæc non humanis viribus, sed armis cœlestibus tribuenda sit. Similiter etiam cap. 20. Iohannes post mille annos soluto Sathana, Gog & Magog ab eo congregatis ad bellum, castra Sanctorum obsessa scribit, vrbemque dilectam: sed ignem à Deo proiectum è cœlo addit, qui hostes deuoraret. Quo loco non intelligit eosdem hostes Iohannes, quos descripsit Ezechiel, Seleucidas populos Syriæ & Asiæ minoris. Nam Gog significat Asiam minorem, à Gyge nomen sumens Rege ipsius. Magog est Hierapolis, sedes idololatriæ in Syria princeps per Scythas extructa, ab ijsque sic nominata. Ita apud Ezechielem Gog Asiam minorem, Magog Syriam significat. Iam quia Seleucidæ Iudæorum infensissimi crudelissimique hostes extitissent, à quibus

poſt captiuitatem ſuam ante aduentum Meſſiæ grauiſſimas calamitates pertuliſſent, igitur apud Iudæos vſitato prouerbio ſæui hoſtes Eccleſiæ Gog & Magog appellantur. Quod Iohannes tranſtulit ad hoſtes Chriſtianæ Eccleſiæ depingendos, quos Sathanas extremis temporibus, duce Antichriſto, ad bellum excitet contrà Sanctos. Non igitur eoſdem, quos depinxit Ezechiel, ſed ſimiles hoſtes Eccleſiæ, ideoque Gog & Magog appellatos, ignibus à Deo de cœlo miſſis extinctos atque conſumptos, vt non terrenis, ſed cœleſtibus copijs confecta victoria Antichriſtianis animos demeret, ſanctis admoueret. Intereà namq; vnus ex ſeptem Angelis ca.17. cū Iohanne colloquutus eſt, dicens, Veni, & ego tibi oſtendā damnationē magnę meretricis, quę ſedet ſuper aquas multas, i. populos, nationes & linguas, qua cum Reges terræ fornicati ſunt, & populi inebriati vino fornicationis eius. Qui poſtquam diu beſtiæ aduerſus Agnum militarint, tandē ab Agno deuicti, qui eſt Rex regum & Dominus dominantium, copias ſuas contrà beſtiam coniungent, Babyloniamque meretricem nudam iam & deſertam ab omnibus comedent, atque igne conſument. Ac vide quo ordine victoria procedet. Antichriſtus primò ſpiritu oris Domini, id eſt, Miniſterio verbi conſumitur: ſplendore aduentus Domini aboletur. Sic Paulus. Sic Iohannes. Poſt prædicationem æterni Euangelij per ſecundum Angelum, ſequitur ſpiritualis ruina Babylonis denuntiata per tertium, ca.14. Cecidit cecidit Babylon. Tandem per ſeptimum Angelum decreto Dei de Antichriſti interitu publicato, ſequitur per vnum ex ſeptem Angelis oſtenſa damnatio, & externa per Principes effecta ruina Babylonis. Illa Prophetia completa eſt, hæc complenda: fidem faciant completa complendis. Sequitur ad extremum extrema damnatio, & æterna deſtructio meretricis, cap. 18. per alium Angelum cœlitùs publicata: Cecidit, cecidit Babylon ciuitas magna, ſedes & metropolis Antichriſti; facta eſt nunc habitatio dæmonum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & volucris immundæ. Subiungitur ab eodem admonitio cœleſtis ad eos, qui in Babylone etiamnum manent: Exite de illa popule mi, ne particeps delictorum, eius particeps plagarum exiſtas.

existas. Hîc Papistas omnes, bonos præsertim & ingenuos, & salutis suæ studiosos Angelus appellat. Si non moueant illos verba Dei, facta moueant. Si non audiant homines, audiant Angelos. Si non metuant temporarias pœnas, æternas pertimescant; decedant è Babylone quamprimùm. Ne sicut societate scelerum, sic societate pœnarum cum ea coniuncti reperiantur. Quas Angelus proximis versibus graphicè describit. Donec tandem vltimus Angelus fortis sustulit lapidem quasi molarem magnum, & misit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna: & vltrà iam non inuenietur. Vbi & amatorum eius acerbissimi luctus, & Sanctorum summa lætitia post triumphusque describitur. In hoc igitur prælio, de quo Angeli vaticinantur, nihil est causæ, cur vel Antichristiani tollant animos, vel despondeant Christiani: nam si duces vtriusque partis contendere velimus, isthinc Agnus, illinc Antichristus: isthinc inuictus Leo, illinc imbellis bestia pugnabit. Si subsidiarios milites è terra, ex hac parte fortissimi Principes à Christo conuersi, cum desertis à Christo & exoletis sacerdotibus congredientur. Si subsidiarios è cœlo, quos Euangelij contestes habuimus Angelos, eosdem habebimus cõmilitones. Ita cohortes Angelicæ cum humanis copijs decertabunt. Si authores belli, Deus ex hac parte cũ dęmone, potentia & ęternitas cum infirmitate & putredine dimicabunt. Si causas belli, veritas, & purus vnius & viui Dei cultus, scripta religio, sana fides, cœlestis magnanimitas, cum fraude, cum idololatria, cum superstitione, cum perfidia, cum timiditate confligent. Quòd si Deus suos milites aliquot sinat in causa cadere, vt surgant, ad ipsumque perueniant: num & causam suam cadere, & veritatem ac virtutem sinet ab errore & scelere superari? Nunquam profectò faciet. Nihil igitur habent Christiani causæ cur metuant, nihil Papa, cur insolescat.

Nam Papa solus omnes Antichristi notas recipit.
Papa igitur solus Antichristus.

CAP. X.

Totius operis scopus & conclusio.



Bsolui Speculum, Paule Quinte, tibi propositum ad agnitionem, tuis ad cautionem, quo totus repræsentatur Antichristus velut in prologo. In quo veræ illius & germanæ notæ, reiectis falsis & commenticijs, omnes continentur. Quæ seiunctim singulæ, & coniunctim vniuersę Papam demonstrant esse magnum illū Antichristum. Vnde consequitur Papismum esse Antichristianismum. Quid sit, & quis sit Antichristus, apparet ex prologo: quid agat, & quid doceat ex dialogo, diuiso in libros tres. Primo velut in scena exhibetur vobis pragmaticus: reliquis duobus dogmaticus Antichristus. Ille per duellem agit, hic sophistam. Ille dignitatem oppugnat Imperij, hic veritatem Euangelij. Ille fidelitatem subditorum corrumpit, hic verò fidem Christianorum. Primus igitur liber Christianæ fidelitatis erga Reges & obedientiæ fundamenta proponit contrà Christianam rebellionem Catholicæ religionis habitu contectam. Reliqui duo Christianæ doctrinæ & fidei columnas erigunt contrà Antichristianam hæresim compositam ex duodecim nouis articulis fidei, à Pio quarto in symboli formam redactis; quod ideò symbolum Papæ nomino. Sanctè profiteor me fidelem Christi & Regis esse seruum. Non id sumo homo obscurus atque infimus Reges vt moneam à magno Rege iam semel admonitos: à nullo igitur ampliùs nisi à Christo Regum Rege admonendos. Existat igitur cogitatione nostra parumper Iesus Christus, qui quamuis abest corpore, tamen adest Spiritu, & cum omnium Christianorum, tum præcipuè Principum animis interest & inest, atque adeò etima præest, cuius amanda benignitas, tremenda Maiestas etiam Regibus: nam Regum timendorum in proprios greges, Reges in ipsos Imperium est Dei, & Dei, vt nos Scriptura docet, in carne manifesti, qui cum illis Spiritu præsens sic agere videtur & queri.

Prosopopœia — Non me latet, quem nihil latet (ô Reges & Principes Christiani)

Christiani) Pontificem Romanum, meum, vt se vocat, vicarium; vt se gerit, aduersarium, & hæreseos magistrum in Ecclesia, & perduellionis architectum in repub. multis iam sæculis extitisse. Nam à quo primùm tempore vniuersalis Episcopus est factus, nihil aliud egit, quàm vt meum peruerteret Euangelium, vt vestrum dissiparet Imperium. Nec mirum, ex corruptione Euangelij dissolutionem Imperij consequutam. Nam cum duplicem Imperij columnam, authoritatem in magistratibus & fidelitatem in subditis Euangelio meo constituerim: mirum quantum deprauato Euangelio in hominum animis vtraque Imperij columna conciderit. In quo sanè Pontificis summa perfidiæ culpa fuit, socordiæ vestra, quòd cum ego cunctos Episcopos vestræ potestati iudicioque subiecerim, eousq; vos passi sitis vnum Episcopum euolare, vt non modò vestram, sed meam etiam Maiestatem lædere auderet. Quare vt dignitas Imperij pristina vel amissa recuperari, vel recuperata retineri perpetuò possit, author vobis sum, vt veritas Euangelij Pontificia tyrannide perculsa & oppressa iamdiù, regia tandē authoritate recreata vindicetur. Quid enim potest esse æquius, quàm vt vos habeā gloriæ meæ vindices, quos Ministros potentiæ fecerim? Quòd si antehac quæstio fuit, vtrum iste Pontifex esset Antichristus ille à dilectis discipulis meis Iohanne & Paulo propheticè descriptus, nunc quæstio non est, postquam vaticinium exposuerit & comprobarit euentus. Siquidem partes interpretationis omnes de personarum successione, de Regis regnique genio & ingenio, de bestiæ rebus gestis, de impressione stigmatis, de numero nominis, de situ sedis, de tempore reuelationis, de poculo meretricis, de genere mercis, de ruina Babylonis, denique de aduentu & exitu, de ortu & interitu Antichristi, primis extremæ, vtrisq; mediæ tanto consensu concentuque respondeant, & complenda ex completis inferant, vt rem clariorem facere vix possem, si Papam Romanum nominassem. Et rectè quidem Antichristianismus ab Apostolo meo definitur, non iniquitas, sed iniquitatis mysterium. Quòd si qualis esset Antichristus, talis appareret, minùs hercle vobis esse putarem laborandum. Nunc cum ementita

Christi ad Reges & Principes Christianos.

mentita pietate, & sanctimonia simulata se insinuauerit, iniquitate mystica quot myriadas hominum minimè malorum decepit, fefellit, induxit? Detracta iam igitur persona huic mystico Antichristo, nemo iam ampliùs nisi sciens & volens potest decipi. Ne veteres igitur Romani Pontificis artes & præstigiæ iam detectæ vobis toties expertis ampliùs imponant, præcauete. Simulat ille sese etiamnum esse principem fœderis, & tamen fœdus meum immutauit. Obtendit sese Testamenti mei custodem esse, & tamen non modò rasit Testamentũ meum, sed aliud de suo supposuit. Vocat se fundamentum Ecclesiæ, & meum sibi peculiare nomen arrogat, & tamen cuniculis actis Ecclesiam meam subuertit ac subruit. Crucis meæ zelum singularem prætexit, & tamen crucis virtutem penitùs exinaniuit. Duplex Dei fœdus sacra Scriptura commemorat, legale & Euangelicum. Legale, quod conditionem operis habet annexam, Fac hoc, & viues: Euangelicũ, quod conditionẽ fidei requirit, Crede, & saluus eris. Sed requirit fidem non vt opus, sed vt instrumentum, quo Spiritus promissionem recipere possitis. Itaque rectè illud conditionale, hoc gratuitum appellatur. Vbi non est fœdus, ibi non est fides. Vbi non est fides, ibi non est salus. Humana fides humano fœdere nititur, diuina diuino. Diuina fides duplex, vt duplici fœderi respondeat: vna legalis, quæ promissiones minasque legis veras credit esse. Altera Euangelica, quæ & iustificans rectè dicitur, quæ promissiones Euangelij in meipso fundatas, non modò veras in genere credit, sed in indiuiduo cuique credenti applicat ad vitam æternam. Iam salus vobis expectanda non ex formula fœderis vtraque, sed alterutra. Legalis formula fœderis est, vt dixi, Fac hoc & viues. Euangelici, Crede, & saluus eris. Si igitur ex legali fœdere salutem expectes, totus oportet, & totum, & toto tempore facias, quod mandatur. Non facis. Morieris igitur. Si salutem expectes ex Euangelico, certò credas oportet, quod promittitur. Hæ sunt vtriusque fœderis distinctæ formulæ in procuranda salute minimè confundendæ: quas tamen Papa confudit, Fac & Crede: & ita tertium fœdus induxerit, quod sacra Scriptura non agnoscit. Ita scilicet princeps

ceps fœderis fœdus diuinum abrogauit. Non est negandum fidem & opera in homine iustificato coniungi oportere: sed in fœdere duas hasce cōfundi formulas, Fac & Crede, ad hominem iustificandum, id verò constanter pernegandum est, vt meus docuit Apostolus Paulus. Nam vt lex nullam patitur minimam trangressionem, ita nec Euangelium minimam admittit satisfactionem vestram. Iam quid euidentius quàm ab hoc hypocritico aduersario, qui se fidelem Testamenti mei custodem iactitat, Testamentum meum rasum fuisse multis locis, vel, quod grauius est, aliud eius loco suppositum? Vt cum Dominicani nouum Euangelium procuderunt sciente & conniuente Papa: vt cum nuper Paulus Quintus Conformitates sancti Francisci scilicet, æmuli mei Iesu typici, vt vocatur, recudi iussit. Planè Testamentarius, qui deleto Testamento meo falsum de suo subiecerit. Humanum Testamentum, quod mors testatoris ratum fecit, nec additionem admittit, nec detractionem, inquit Apostolus. Nedum diuinum, quod sanguine & morte mea confirmatum est. At meum Testamentum duplex, inquiunt, nuncupatiuum prius, scriptum posterius. Posterius autem antiquauit prius, vt docet Apostolus. Sed intelligo quid pungat illos. Legata scripto non satis è re putarunt sua: igitur nuncupatiuum non ex meis concionibus, sed ex suis decretalibus affinxerunt. Quantò rectiùs Rabbini quidā veteres, qui Mosis Pentateuchum propter absolutam omnium partium symmetriam corpori comparant humano? Cui si membrum aliquod addas, vt manui digitum, deformitatem; si detrahas, vt ori maxillarem, debilitatem induxeris. Si partem aliquam claudas, vt os, quod natura aperuit; aut aperias, vt latus, quod natura clausit, vitæ periculum struxeris. Ita si Papa scripto Dei Testamento membra addat heterogenea, Dei librum deprauat, vt cum addit apochryphos, & decretales Epistolas: si demat homogenea, hominis animam defraudat, vt cum secundum è decalogo præceptum eradit, & poculum è cœna tollit: si aperire cupiat clausa, contumeliam infert Deo: si claudere studeat reuelata, iniuriam homini. Surgent Rabbini in iudicio, & Pontificem ac Pontificios condemnabunt, qui to-

tum Dei Testamentum scriptum imperfectionis insimulent: cum illi Mosis Pentateuchum corpus esse perfectissimum iudicarint. Qui demant, addant, mutent quiduis pro arbitrio, radant quod displicet lima sua, quod placet substituant: curiosè reserent arcana, sic vt clero suo planè vilescant; inuidiosè claudant reuelata, ne populo Dei innotescant. Contumeliosi in Deum, cuius vltimam voluntatem vel corruperunt, vel penitùs sustulerunt. Iniuriosi in filios Dei, quibus legata cœlestia vel palàm eripuerunt, vel furtim surripuerunt. Hic doctos & ingenuos Papistas omnes appello. Non hîc parua res agitur, sed vna nimirum omnium maxima: agitur Dei Testamentum. Aguntur igitur legata omnium filiorum Dei, quæ nisi saluo Testamento constare non possunt. In hoc ergo ius suum contrà omnes & homines, & dæmones filij Dei tueri debent. Magistri vestri Romam Babylonem esse concedunt, contextus & euentus conuincunt esse Pontificiam, cui Iohannes meus certam perniciem denuntiat. Exite igitur quamprimùm. Itanè dicet aliquis vestrûm, è Catholica Ecclesia? Semper hic errat: diceret à Catholica meretrice, si Iohannem audiret. Valere igitur iubeatis illam, quæ vos valere non sinet. Quæso vos, vt salui esse velitis. Salui autem esse non potestis, nisi Testamentum nouum, quo salus hominum comprehenditur, ab Antichristianis corruptelis saluum atque integrum conseruetur. Noui autem Testamenti partes duæ sunt, remissio peccatorum, & peccatoris sanctificatio, quæ in vera mentis illuminatione, & cordis reformatione consistit. Testamenti formula est, Ego ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus. Vnde tria legata pendent, remissio culpæ vestræ, imputatio iustitiæ meæ, donatio æternæ vitæ. Remissio culpæ gratuita est, perfecta est, æterna est. Gratuita est: Ego deleo peccata vestra propter meipsum, non propter vos, sed propter meipsum. Ego sum ille Agnus occisus, qui solus tollo peccata vestra. Adeóne igitur insanitis, vt ab Agno occiso ad aureum vitulùm demigretis? vt hominis peccatum ab homine peccati remitti posse credatis? Non est penes illum gratiæ dispensatio, nedum peccati condonatio, quæ vt

gratuita

gratuita eſt, ſic abſoluta eſt. Non enim alia remitto peccata, & alia retineo; non remitto culpam, & retineo pœnam, ſed omnes iniquitates veſtras purgo, pœnaſque condono. Mihi ſeria confeſſio veſtra, vobis perfecta venia mea. Quid? quòd etiam æterna eſt? Pepegi vobiſcum æternum Teſtamentum, me nunquam vos relicturum, vt vobis benefaciam, ſed indam timorem meum cordibus veſtris vt à me nunquam diſcedatis. Remiſſionem culpæ neceſſariò ſequitur imputatio iuſtitiæ, imputationem iuſtitiæ donatio vitæ, & quidem æternæ: nam qui credit in filium Dei, nunquam veniet in condemnationem, ſed tranſiuit iam à morte ad vitam; & à me iam iuſtificatus, à me iam glorificatus, vt mea gratia ſeruatus, mecum in cœleſtibus conſidere, realemque cœli poſſeſſionem ſe habere certò ſibi perſuadeat. Sanctificatio veſtri pars noui Teſtamenti altera, veſtræ glorificationis initium, vt coronatio complementum. Quid enim aliud eſt gratia, quàm gloria inchoata? Quid aliud gloria, quàm gratia conſummata? Vita igitur æterna, quæ in hoc ſæculo inchoatur, & in futuro perficitur, non differt genere, ſed gradu. Eſt igitur veſtri ſanctificatio in hoc ſæculo inchoata, ſic vt hæreant peccatorum reliquiæ vel in ſanctiſſimis, ſed infucata: remanſit in Paulo regenerato natiua corruptio, ſed exarmata: remanſit, non ad exitium, ſed ad exercitium. Remiſſa eſt, ſed non finita. Solutus eſt reatus, ſed manſit actus. Sanctificatio igitur non eſt perfecta, ſed vera, quæ mentes veſtras illuminet in veram notitiam, & voluntates reformet in ſynceram obedientiam Euangelij, itaque totum hominem & internum & externum in effigiem mei Spiritus mei virtute transformet: quam in Euangelio tanquam in ſpeculo contuentes, à gloria in gloriam, id eſt, à gloria ſanctificationis veſtræ ad gloriam coronationis procedere poſſitis. Atque hoc loco, videte mihi cum Papa quàm malè conueniat. Ego veniam propono gratuitam, ille mercenariam. Ego categoricam & abſolutam, ille imperfectam & hypotheticam. Ego æternam, ille reuocandam. Ego ſanctificationem peccatoris in hac vita ſynceram requiro, ſed inchoatam: ille perfectam fingit, ſed fucatam. Iam Ieſus Chriſtus veſter, vt in gratu-

ito fœdere; & in nouo Testamento proponitur, vnicum Ecclesiæ ponitur à Prophetis & Apostolis fundamentum, cui bona opera vt aurum, argentum, & gemmas, tanquam superficiem aureo & gemmeo fundamento consentaneam superstrui docent oportere: bona autem opera ipsum esse fundamentum negant, quia opera vestra quantumuis speciosissima, nequeunt pondus & molem regni cœlorum sustinere. Solum Christum, solum Christum fide apprehensum potentissimum velut Atlantem faciunt, qui fulcire cœlum suis humeris, suaque virtute possit; factum à Deo vobis sapientiã, iustitiam, sanctificationem, redemptionem, ideò totius operis fundamentum. Non quòd ab eo salus inchoetur, perficiatur autem à vobis; est enim vnus totius ædificij magnus lapis, vt imus in fundamento, ita summus in angulo; vt salutis basis & initium, sic fastigium & complementum. Quod Papa vester non solùm deformauit ligno, fœno, & palcis superstruendis, id est, doctrinis admodum ineptis & insulsis, à fundamento dissentaneis, sed doctrinis impijs & pestiferis & fundamentum euertentibus, initium, materiam, formam instrumentum, finem salutis sceleratissimè sustulit. Nam cum Scriptura sancta gratuitam Dei misericordiam causam iustitiæ efficientem: meritoriam, obedientiam meam & actiuam & passiuam: formalem, eiusdem per Spiritum sanctum imputationem: instrumentalem, fidem ex verbo Dei conceptam, & in gratuita promissione fundatam: finalem, diuinæ & iustitiæ & misericordiæ gloriam constituerit: cum impiè Pontifex omnia salutis fundamenta conuellit, tum omnia vobis obstruxit solatij lumina. Dum vitam æternam vobis, quam ego μισθὸν, id est, mercedem ex gratia propono, is stipem ex opere constituit; quam ego donum, ille debitum; quam ego patrimonium, ille stipendium; quam ego datum adoptioni, ille obedientiæ persolutum. Non obedienti modò dicit; quod verum est, sed propter obedientiam quod est falsissimum: scilicet vt ille mea dona venderet, eodemque modo & mihi gloriam & vobis pacem eriperet. Ex quibus omnibus emergit, Romanum Antichristum, quidcunque prætexat, esse diuini fœderis violatorem, Testamenti corruptorem, fun-

damenti

damenti euersorem, Sathanæ plenum, id vnum agentem, vt importet meis ruinam Ecclesiis, damnationem animabus. Quid mirum igitur, si vestris inferat corporibus exitium, Imperijs vastitatem? dum suos subinde emissarios sacerdotes in vestra regna summittit, qui tanquam canes famosis libellis lacerent regium nomen & famam, vt Reges in odium & contemptum adducant. Qui tanquam vulpes regios subditos à fidelitate obsequij regibus & mandato meo debiti, & iuramento suo præstiti, miris præstigijs abalienent. Et tanquam lupi, postquam regium nomen falsa infamia asperserint, & regios subditos à fidelitate obedientiaque abduxerint, regium sanguinem effundant, quibuscunque possint modis, siue apertis rebellionibus, siue cõiurationibus occultis, idq; factum non modò licitum, sed meritoriũ esse defendant.

Caninum dentem conuitiando produnt, vulpinam fraudẽ æquiuocando, lupinam rabiem coniurando: Id agunt, vt fallant imperitos, arrodant integros, deuorent innocentes. Fidem prætendunt, sed docent periurium. Dicunt se homines reconciliare Christo, sed reconciliant Antichristo. Intereà quos Papæ adiungunt, Regi detrahunt. Ita enim astruunt spiritualem obedientiam, vt ciuilem destruant. Annon hoc planè vulpinum est? Adoriuntur infirmiores, vt superent firmiores. Quemadmodum serpens seduxit Euam, vt Eua seduceret Adamum: sic istæ serpentes aggrediuntur vxores priùs, vt vxores inducant maritos: fæminas captant, vt irretiant iuuenes, in quibus plus vigoris & caloris insit ad quoduis facinus perpetrandum. Ita scholam habent plenam & fæminis masculinis, & masculis fæmininis. Annon hæc serpentina calliditas vobis videtur? Iam quàm infandis conuitijs canes isti ex monte Tarpeio Principes & viuos & mortuos, excellentias gloriasque terræ lacerarint, testes sunt infames libelli quos in Elisabetham Angliæ Reginam, & Iacobum magnæ Britanniæ Regem nuper emiserunt. Quid mirum si pios Doctores maledictis incessant, qui tantùm queunt scribere, cùm magnos Principes insectentur qui possunt proscribere? Sed neque mirũ id videri debet, quòd regio nomini non parcant, cum non parcant sanguini.

Non

Non enim canes modò, ſed lupi ſunt, vt non modò ex puluerea dicerem Ieſuitica coniuratione inita, ſed ex crudeliſſima Henrici 3. & 4. Galliæ Regum morte perfecta manifeſtum eſt. Miſeret me veterni, miſeret ſeruitij, ô Reges & Principes, veſtri, qui tales ſatores diſſidij, doctores periurij, authores regicidij feratis. Cauete canes, capite vulpes, arcete lupos, vt vos Spiritus admonuit meus, quibus conuitium iocus, deceptio ludus, rebellio & coniuratio cibus eſt. Ne patientia veſtra mihi vobiſque amplius damno ſit, prouidete. Expergiſcimini tandem aliquando, & gloriam meam vnà cum veſtra ſalute defendite, ſuſcipite cauſam Euangelij, exutoque Antichriſto induite Chriſtum Ieſum, non falſum & fictitium, vt ab Apoſtata pingitur; ſed verum & genuinum, v ab Apoſtolo prædicatur. Nolite amplius pro rebus vmbras pro ſubſtantijs ſpectra complecti, nec vana præferre ſolidis nec fragilia ſempiternis. Vana quidem & fragilis eſt extern ſpecies Chriſti, quæ ludit oculos; ſolida & æterna veritas eſt, quæ paſcit animas: non forma, ſed virtus crucis ſalutem parit. Neque verò nitor ille & ſplendor Antichriſti, qui vos ſpoliat viuos, nec iuuat mortuos, perſtringat oculos, vt vos à Chriſto veſtro detineat, à quo ſolo cum ſolatium in vita, tum requiem à morte veram expectare poſſitis. Quò maior quorundam inſania, qui ſic depereunt Antichriſtum, vt Chriſti tantùm nomine retento fidem negligant, nec ſalutarem crucis virtutem, nec internam Spiritus energiam ſentire, nec cœleſtem Euangelij lucem, nec ſpiritualem regni mei gloriam humi ſtrati ſuſpicere poſſint: perinde ac ſi humilis atque abiecta conditio mea, cui nullus externus decor, nulla ſpecies inerat expetenda, vt meus propheta prædixit Eſaias, vultum à me veſtrum atque animum auertiſſet: aut illos ego grauiſſimos animæ dolores, acerbiſſimoſque corporis cruciatus cauſa mea pertuliſſem, ac non propter veſtras trangreſſiones vulneratus, propter veſtras iniquitates fractus fuiſſem, vt caſtigatio pacis veſtræ reſideret ſuper me, & ſalus ad vos è plagis atque vulneribus manaret meis. Ita profectò ſe res habet: humilitas conditionis, quam ſubiui; infirmitas carnis quam aſſumpſi; ignominia crucis quam ſuſtinui cauſa

veſtra;

vestra, contempta res iudicio carnis & vilis apparet. Sed si cœlestis illa maiestas, si potentia, si gloria, quæ per humilitatis, infirmitatis, atque ignominiæ meæ velum quasi transparent oculo fidei, animis vestris cernerentur: quemadmodū & Agnus occisus, & inuictus Leo à Iohanne describor, vt in infirmo homine potens Deus vobis appaream; quantum amorem simul & timorem, si cœlum, si gehennam creditis, infinitæ misericordiæ cum infinita iustitia potentiaque coniunctio in animis vestris excitaret? Magnis peccatoribus, cuiusmodi ferè Reges sunt, magna opus est gratia, cuius prædicatio vobis tam erit grata, quàm fuit necessaria, vbi pungentem intus aculeum accusantis conscientiæ sentire cœperitis: quò possitis ad cœlum peruenire per viam pœnitentiæ, qui per viam innocentiæ non potestis. Sed qui vim morbi sui non intelligunt, vim remedij non requirunt. Vnde dum vulnus peccati non sentiunt, non expetunt gratiæ medicinam. Quibus denuntio me solum aut patronum benignissimum futurum, aut seuerissimum iudicem: vt meam dexteram aut salutarem apprehendant, aut vindicem expectent. Omnes homines, quicquid aut habēt, aut sunt, id mihi totum iure debēt: præsertim Reges & Principes, quos singulari gratia mea paucos suprà tot myriadas hominū euexerim, atq; in solio meo collocarim. Quorsū verò? quorsū? Vt desidiæ luxuriæq; se dedant, draconi seruiant, euehant, ornent Antichristū? Minimè verò, minimè. Sed vt Ecclesiæ inuigilent, Agno militent, proterant & delumbent bestiam. Quòd si Senatus ille Sanctorum in cœlis procidat ante Agnum sedentem in throno, & adoret viuentem in sæcula, & coronas suas ante thronum abijciat, dicens, Dignus es, Domine, qui gloriam accipias & honorem, quia tu creasti omnia, & occisus, Deo nos per sanguinem tuum redemisti: si chorus ille innumerabilium Angelorum symphoniacus Agni occisi virtutem, sapientiam, & fortitudinem magna voce decantet, atque honore debito prosequatur: quid vos tandem, quorum adhuc sub purpura puluis & cinis latet, quique arescentes modò geritis coronas, redemptoris & Regis vestri causa facere debetis? Nam cum pias illas animas duris militiæ meæ labori-

bus periculiſque perfunctas, in veram promiſſæ deſponſæque beatitudinis poſſeſſionem perduxerim: certè vos adhuc in ipſo pugnæ velut ardore ac deſcrimine verſantes cum neceſſitas auxilij mei, tum expectatio præmij debet ad flagrantius tuendi mei nominis ſtudium commouere. Hic mihi grauis & iuſta cauſa querimoniæ data eſt, quòd mutuæ ſuſpiciones & diſcordiæ veſtræ Antichriſtum per ſe quidem debilem & contemnendum, potentem & tremendum effecerint. Hinc idolum Lateranenſe aureum caput tumentis tituli aſſumpſit: hinc argentea brachia nummariæ iuriſdictionis dilatauit: hinc æneum ventrem coniurationis proditioniſque diſtendit: hinc ferreas violentiæ ſuperbiæque ſuæ tibias mouit domoque extulit, quibus non coronas modò veſtras, ſed ceruices etiam conculcauit. Narro vobis: diſcordia regum auxit Antichriſtum, concordia minuet. Num è re veſtra putatis admittere ſpeculatores, qui veſtra conſilia explorent? incendiarios, qui ſemina diſſidij iaciant inter vicinos Reges, eoſque inter ſe committant? harpyas quæ veſtras pecunias rapiant? hirudines quæ ſanguinem exugant? ſubdolos perduelles, qui fictis verbis iugula petant? Qui cum vos in ſinu rideant, quòd vobis plumbum relinquant, & aurum auferant, tum id vnum agunt potiſſimùm, vt diſtrahant animos veſtros, & ad bellum contrà fratres gerendum inflamment, quò veſtris diſcordijs magnus latialis Iupiter, crudeli gaudio in miſerijs veſtris ac cruore tripudiet. Vos ipſos appello: nonne tales ſemper eſtis experti Papæ nuntios, datarios, Ieſuitas? Sit diſcordiarum finis aliquando: iam iſta mala tollentur omnia: iam iſta ſerpens, que iamdiù malo publico diſſidijs veſtris intumuit, compreſſa atque illiſa morietur. Me igitur authore quamprimùm fida ſtabilique concordia inter vos conſtituta, ſinguli veſtrûm in regnis ſuis, in quibus ego Reges vicarios reliqui meos, purum Dei cultum inſtaurent, ſanam fidem renouent, bonos mores reſtituant, repurgent vera Eccleſiæ ſacramenta, reuocent veterem diſciplinam introductã à collegio Apoſtolorum, in Nicæno Concilio confirmatam. Porrò, vt quod ſinguli fecerint vniuerſi comprobent, publicum Concilium publico conſilio cogant, in

quo

quo, ſublato periculi metu, & partium ſtudio, cauſa Chriſti veſtri contrà Antichriſtum tutò & liberè diſceptetur.

Hic Reges & Principes Pontificios ſeparatim admoneo, vt à duobus conſiliarijs caueant, quorum alterum Sirenem, alterum Erynnem nomino. Sirene ſuadet illis vt indulgeant genio, laborem fugiant, periculum metuant, res conſtitutas ne moueant, pacem cum vetere amico ſuo & colluſore Pontifice ne violent; nec malum quod vident remedio maius adhuc emendare conentur. Non enim poſſunt, inquit, Papam exuere, ſi velint. Non poſſunt? Quid non poteſt brachium Regis brachio Dei roboratum? ex quo fides oritur: ex fide magnanimitas Regum; quarum illa pellet cœcam ſuperſtitionem, hæc degenerem ignauiam & formidinem. Illa faciet vt videant, hæc vt ſuperent humana quæuis obſtacula, quò tam facilè queant exuere Papam quàm togam veterem & grauem. Probroſum eſt Regibus Pontificijs, dicere, quòd malum vident remedio maius, & quod adhuc emendare non poſſunt: quòd Papam non poſſunt eijcere, ſi velint. Potuerunt Germaniæ Principes, potuerunt Daniæ, Scotiæ, Sueuiæ Reges, potuerunt; vt bonam Galliæ, Heluetiæ, Poloniæ, Boemiæ & Pannoniæ partem taceam. Angliæ Reges, pater, & filius puer, & filia, etiam tum cum omnes vicinos alienos haberent, clerum ſeditioſum, populum ſuperſtitioſum: perrupit tamen non modò viri, ſed pueri & fæminæ pia magnanimitas humana impedimenta omnia. Pudeat igitur pontificios Principes & iuuenes & viros id facere non poſſe quod puer, quod mulier potuit. At ſirene forſitan inſuſurrabit, non eſſe irritandum Paulũ Quintũ plenũ Gregorijs, Alexandris, Bonifacijs, Iulijs. O magnam ſtultitiã timoris, id mali, quod metuas, ita cauere, vt cũ amouere potueris, vltrò accerſas atque attrahas. At nolunt aliqui Papã exuere, ſi poſſint. Malum putant neceſſariũ, reges frænandis ſuis ſubditis, ſubditi moderãdis ſuis regibus. Quibus Chriſtus durior & rigidior videtur, vt qui nunquã cum ſcelere diſpenſet, nihil remittat, niſi ſeriò pœnitẽti. Opus igitur illis facili & indulgente Antichriſto, qui cũ adulterio inceſtuque diſpenſet, & nuptias diuina lege prohibitas approbet atque confirmet.

Vt iam mores hominum ſunt, danda peccandi copia. Ita ſcelera Papam faciunt neceſſarium. Infœlix neceſſitas, quæ damnationem homini facit neceſſariam. Perditè diligit iniquitatem ſuam, qui vt eam teneat, perdit animam. Valdè carè æſtimat vitam breuem, qui, vt eam pro libidine traducat, amittit æternam. Intereà quos tam dura neceſſitate conſtringit Antichriſtus, quàm onéroſum illis iugum imponit? Vt quos in futurum catenis caliginis deſtinauit, in præſens aureis catenis vincire videatur. Quas Deo duce, ſocijs Proteſtantibus Regibus facilè depelletis. At diſpar illorum religio nobis ſuſpecta eſt. At iſta diſparitas eſt veſtra ſecuritas. Nam audent cum talia Pontifices iam, quando tot Principes ab illa peſtilentiæ ſella diſceſſerint: quid facerent, ſi nulli omnino diſceſſiſſent? Quòd ſi Frederici, Henrici, Caroli, Gregorios, Alexandros, & Clementes, in media Papiſmi nocte facilè mulctarũt: ſi Philippus pulcher, & Ludouicus duodecimus Bonifacios & Iulios tum pro ſuis meritis acceperunt: quantò faciliùs eorum poſteri Proteſtantibus regibus in tanta Euangelij luce coniuncti Paulum Quintum coercebunt? Præſertìm cum Hiſpaniæ Rex Philippum ſecundum patrem ſuum, ſatellitem Romanæ ſedis, indignè habitum à Papa propter detentam Siciliam & Neapolim non meminiſſe non poſſit. Et Galliæ Rex non modò Henricum Tertium, ſed & Quartum patrem ſuum ab eiuſdem emiſſario nuper crudeliſſimè interfectum recordetur. Quare Pontificijs regibus non ſuſpicionem contrà vicinos Reges, ſed bilem contrà Pontificem pia generoſitas regum Proteſtantiũ commouere deberet, vt iunctis copijs idoli caput comminuerent, brachia decurtarent, vngues reſecarent, ventrem aperirent, tibias & pedes abſcinderent, quibus patrum ſuorum coronas indigniſſimè deiectas eſſe meminiſſent. Quàm malè ſirenes ſuadeant, accepiſtis: quantò peiùs Erynnes conſulant vobis, accipite. Quarum lethalem muſicam ab animis atque auribus veſtris, ſi ſapitis, repelletis, ſuadentium, vt bellum pro Antichriſto contrà fratres & conſanguineos veſtros gerendum putetis. Nihil enim illis aliud propoſitum eſt, quàm vtrorumque theſauris exhauſtis, & viribus diminutis

nutis & mutuo marte consumptis, vt antehac sæpissimè contigit, ruente throno Regum Cathedram extruant Sacerdotum: quibus volupe est, vt veprem illam suam efferant, quæ flammam lucis inferat, & Cedros Libani consumat. Iam vobis antè denuntio caueatis à bello, quod sacræ vobis Erynnes gerendum contrà Ecclesiam meam clamitant. Nam in campo contrà vos Christum estis habituri. Non me præterit Romæ nuper, vt antea sæpe, conciliabulum quoddam Sacerdotum à Romano Pontifice deformandæ minuendæque gloriæ meæ causa, mandato Sathanæ coactum conuenisse. Cepisse consilium, quo Reges & Principes Pontificij fœderibus inter se coniungantur contrà Reges & Principes Protestantes, imprimis contrà Iacobum magnæ Britanniæ Regem, qui Pontificem Antichristum, &, vt ille infert, Pontificios Reges & Principes Antichristi membra esse concluserit: causam igitur communem tuendam armis communibus: summisisse etiam Sacerdotes suos, qui suos filios, vt vocat, ad bellum contrà seruos meos suscipiendum commouerent. Quò maior necessitas reformatæ Ecclesiæ Regibus imposita est ab Antichristo, vt prophetiam simul impleant, & Dei bellum gerant, suasque copias contrà bicornem bestiam atque arma coniungant. Nam Reges adhuc Pontificios sapientiores futuros arbitror, quàm vt sæuum atque igneum bestiæ consilium exequantur. Sciunt illi non impunè tulisse priorem bestiam, cuius decem cornua coronata dicuntur, quòd seruorum meorum innocentem sanguinem fuderit. Nam quæ me iam natum Principem salutis vestræ potestas Imperij condemnauit, crucique affixit, eadem nascentem Ecclesiam meam decem persequutionibus extinguere conata est. Quarum authores quomodo Sanctorum vicem vltus fuerim, Imperatores aliquos mutua morte confoderim, populos eorum diuturna peste consumpserim, totas vrbes diluuijs & terræmotibus deuastarim, totos exercitus fulminibus & fulguribus è cœlo iactis percusserim ac dissiparim, ipsorum historiæ declarant. Quot mihi fuerunt creaturæ, tot fuerunt Phialæ furentis iracundiæ, quas in meos meorumque hostes effuderim. Dicet aliquis vestrûm: At illi pagani

qui occidebant, Christiani qui occidebantur: nos Catholici, qui punimus, illi hæretici, qui puniuntur. Tam illi hæretici, quàm vos Catholici. Vos Catholici? Vtinam Christiani: non verba, sed res oportet præstet isthuc mihi. Nomen Christi geritis, fateor: sed gentes agitis sub nomine Christi. Illi hæretici? Certè, vt ego hæreticus, qui ad Scripturas omnia reuocaui. At Antichristus etiam Scripturas allegat. Sanè, vt diabolus peruersè intellectas. Qui quemadmodum Iudæos impulit, vt me propheticis adumbratum ac promissum Scripturis omnibus verum suum Messiam occiderent: ita multos nomine Catholicos, reuerà hæreticos hæreticissimos, Antichristi mancipia, commouit, vt & libros, & seruos meos comburerent, &, quantum in ipsis fuit, fidem & Ecclesiam meam renascentem partim vi partim fraude delerent. Cuius causam sæpe exerta manu cœlitùs vindicaui. Vnum insigne exemplum apponam. Postquam duos illos seruos meos Hussium & Hieronymum Constantiense Concilium condemnasset ad rogum, duas Erynnes Papa legauit in Germaniam, Cardinalem Vintoniensem, & Cardinalem S. Angeli; qui cum Sigismundum Imperatorem à bello Turcis inferendo reuocassent, ipsum contrà Euangelij mei nouos professores Boemos accenderent, & tres alios magnos Germaniæ Principes in campum cum maximis copijs euocarent. Vultis totius rei, pugnæq; exitum audire? Boemi aciem instruunt, signa dant; vix dum congredi cœperunt, cum Imperator & Principes pannico terrore perculsi, Furijs illis nequicquam ad arma clamantibus fœdè fugerent, & quinquies Boemiam ingressi, quinquies fusi fugatique discederent. Nec ita multo post tres Papæ huius authores tragædiæ, duæque Erynnes Cardinales, non sine summo dedecore & mœrore perierunt. In quibus omnibus, qui Dei manum non videt, cæcus est: qui non timet, impius. Prætereo illam inuincibilem scilicet classem Hispanicam, Sacerdotum sollicitatione collectam, quæ dispersa ventis, absorpta fluctibus, Dei manu palàm contusa dissilijt. Quid? Num vos Dei dexteram contractam putatis? aut supersedisse Deum tuendis suis seruis arbitramini? Infinita sunt exempla diuinæ potentiæ, quæ cum prioribus

prioribus sæculis, tum nostro sæpe in tuenda Ecclesia contrà potentissimos hostes ostendit sese atque extulit; Ventura probentur præteritis. Quòd si vel primi illi, vel secundi tyranni impietatem suam impunè tulissent, esset fortasse cur in suo scelere cum facibus illis suis lætaretur Antichristus: esset, cur impunitatem sibi promitterent Reges terræ, qui potentiam suam ad bicornis bestiæ regnum constituendum atque amplificandum contulerint. Nunc cum primùm decem illa prioris bestiæ cornua coronata & cruenta confregerim & contriuerim: & postea secundæ bestiæ fumosa mancipia terra marique dissiparim: quid de Antichristo fiet, in sexto sigillo declaratum est. Sed quid intereà sperent Antichristi satellites, qui ab hisce facibus accensi vires ei suas ad nocendum commodarint? Moneo vos igitur, (ô Reges & Principes Pontificij) primùm vt è Babylone quamprimùm exeatis: deinde vt ad me conuersi Antichristum coniunctis cùm Ecclesia copijs debelletis, saltem ne hasce sirenes & Erynnes audiatis, quæ perniciem vestris animabus & corporibus important. Certè quidem Pontifex Romanus & magnus Antichristus sunt termini conuertibiles. Certum igitur stat decretum Dei, Pontificem ab ijsdem, à quibus adoratus est Regibus, comburendum. Non potestis & mihi seruire & Pontifici, quocum à vobis pacta pax, videte ne non tam pax dicenda sit, quàm pactio seruitutis. A qua si Reges & Principes Pontificios non abduxero, tum vos, ô Reges & Principes Protestantes, commonebo, vt infidæ cum Pontifice paci sanctum bellum præferatis, & pia putetis arma, quibus nulla nisi in armis posita spes est; cauentes ne falsæ pacis opinione decepti de improuiso opprimamini. Omnino pacem vobis cum vicinis Regibus, illisque vobiscum esse cupio: sed pacem cum Romano Antichristo esse nolo. Quamobrem? Quia impia est. Quia perniciosa est. Quia esse non potest. Impia est. Traditionibus humanis cum Scripturis sanctis, arbitrio libero cum Dei gratia, iustitiæ inhærenti cum imputata iustitia, satisfactionibus humanis cum meo sanguine in salutis negotio procurando quæ potest esse pia pax? quæ consensio? quæ concordia? Inuocationi mortuorum

tuorum cum inuocatione viui Dei, Missæ Papali cum cœna Dominica, fidei Christianæ cum Antichristiana perfidia, quæ potest esse sancta societas? quæ coniunctio? Constat de impietate. Audite de pernicie. Dulce quidem nomen est pacis, & pulchra opinio vnitatis. Sed quis verè Christianus dubitet eius modò pacis vinculum esse tutũ, quod veritate & vnitate Spiritus continetur? Vnde consequitur, in pace cum mendacio facta vobis dulcem inclusam esse perniciem. Satis de periculo. Addo, ne coagmentari quidem posse pacem inter semen mulieris & semen serpentis: inter Agnum & Antichristum: inter quos Deus æternas posuit inimicitias. Citiùs igni cum aqua pax, quàm Christo vestro cum Antichristo intercedet. Quare moneo Reges & Principes Protestantes, quam reformationem Ecclesiæ me duce inchoarunt, me duce perficiant. Ad eam rem primò vt domestica dissidia, præsertim in articulis doctrinæ Euangelicæ, sedato & Christiano colloquio componant. Verendum enim, ne intestina diuisio hostẽ reducat externum. Deinde vt communi hosti communi consilio & auxilio resistant: periculum enim est, ne, si resistant singuli, vincantur vniuersi. Tertiò quò melius defendãt Christum suum, simul inuadant Antichristum. Maior enim est animus inferenti periculum, quàm propulsanti. Postremò, si prophetiam adhuc implere non possint, vt belluam saltem è suis finibus totam exterminent. Nefas enim est, vt vnà cum Christo vestro habitet Antichristus. Ad extremum vtrisque suadeo, vt in huius tantæ rei deliberatione primùm piæ sapientiæ vestræ politica prudentia ne prȩponderet: alterum, vt æternæ Dei veritati mala hominum consuetudo ne præiudicet. Tertium, vt tam nobilem vobisque dignam actionem meticulosa dubitatio ne procrastinet. Vltimum, vt pacis cum Antichristo insidiosa conditio, libertatis recuperandæ studia ne restinguat. Ita vnusquisque vestrûm regno & ditione sua contentus de vicino inuadendo non cogitabit: de dæmone, eiusque filio natu maximo Romano Antichristo, id est, non de vno impio, sed de totius impietatis regno delendo atque extinguendo cogitabit. Non deest vnicuique vestrûm causa & iusta & sua: nec iam pulchra deest occasio. Induciæ inter

Cæſarem & Turcam pactæ præclaram vobis opportunitatem præbent inſolentis Epiſcopi corrigendi: pòſt Turcam faciliùs iunctis viribus depelletis. Interea, dum nec cauſa vobis contrà beſtiam, nec opportunitas deeſt, ne voluntas deſit, prouidete.

Hæc ſi vobis Chriſtus ſeruator, ô clariſſimi Reges & Principes, tacitè loquatur, atque intimè ſuadeat; nonne vobis perſuadere debeat, etiamſi pœnam inferre non poſſet? Præſertim cum Pontificem & diuini Teſtamenti & regalis Imperij hoſtem eſſe capitalem demonſtrarit. Eam iam telam texit Pontifex, ea iam Romæ conſilia concoquit, vt regia & Pontificia maieſtas diu ſimul ſtare non poſſit. Augent noſtra peccata Pontificem: qui ſi ad eam magnitudinem ſurgat quam animo deſignauit, cadant Reges neceſſe eſt. Id meus, ſi ſpectare dignemini, vobis confirmabit Dialogus, in quo prodit primùm velut in ſcenam Pragmaticus Antichriſtus.

Deo gloria.

Carolus et Turcam [illegible]
habent in Neapoli [illegible] conjuncti, [illegible] Turcam [illegible]
in aliis viribus depulsis. Interea dum [illegible] con-
tra bellum, nec opportunitas deest, ne voluntas desit, pro-
[illegible]

[illegible] vobis Christus [illegible] Reges & Prin-
cipes, tacite loquatur, atque intime insideat, nonne vobis
persuadere debeat, [illegible] non posset:
Praesertim cum Pontificem & [illegible]
Imperii, hostem esse [illegible]
[illegible] Pontifex, [illegible]
Pontificia majestas [illegible]
peccata Pontificem: qui si [illegible]
ipsum animo [illegible]
Si spectare [illegible]
quo praesit [illegible]
[illegible]

Dixi.

PRAGMATICVS ANTICHRISTVS,

Aut

HILDEBRANDVS REDIVIVVS.

Siue

De Christiana subditorum obedientia Regibus debita, contrà antichristianam rebellionem Catholicæ religionis habitu contectam, Dialogus primus.

Interloquutores sex,

1. MICHAEL CALANDER,
2. GVILIELMVS ARGENTINVS: *duo nobiles Catholici laici, vt vocantur, alter mollior, alter rigidior.*
3. GREGORIVS VELBACELLVS *sacerdos senex*, CALANDRI *confessarius*;
4. ROBERTVS SATVRNINVS *vmbra* ARGENTINI, *Iesuita: alter moderatior, alter violentior & virulentior.*
5. ANTONIVS PATRIOTTA *Theologiæ reformatæ professor: &*
6. CAROLVS REGIVS *iuris municipalis: vterque religionis nostræ, patriæ, Regis defensor.*



POstquam Paulus Quintus duo Breuia misisset in Angliam, quibus Catholicos filios, vt vocat, à iuramento fidelitatis atque obedientiæ suscipiendo prohiberet: dici memini confecto Paschæ Termino, duos è laicis viros nobiles & magnos sanè Romano-Catholicos, MICHAELEM CALANDRVM & GVILIELMVM

Occasio Dialogi.

ARGENTINVM, ex vrbe quasi consilij capiendi causa in suburbanam villam secessisse. Profectus vnà cum custode suo GREGORIVS VELBACELLVS senex, Sacerdos primarius, quem iam ætas & vsus moderatiorem mitioremque fecerant, dicebatur; vt diuturnam incarcerationis suæ molestiam verna ruris amœnitate leniret. Sequutus paulò post cursitor quidam Iesuita, natu minor, vir igneo spiritu ferebatur, ROBERTVS SATVRNINVS. Qui quò celaret Sacerdotem, caluitiem caliendro tegens, aulicum veste simulabat. Diuerterunt fortè id temporis ad CALANDRVM hominem perhumanum certè & hospitalem, ANTONIVS PATRIOTTA, & CAROLVS REGIVS, alter Theologiæ reformatæ, alter iuris municipalis professor eximius: vterque Papismi aduersarius, ita tamen vt Papistam amore complecti, modò virum bonum, & fidelem patriæ ciuem, Regisque subditum, & posse se ostenderent, & debere iudicarent. Nam eo consilio venerunt vt persuaderent CALANDRO amico suo, vt iuramentum primatus, si posset: si non posset, sacramentum fidelitatis saltem susciperet; ne, si recusaret, iustissimam Regi optimo suspicionem daret animi ab eo prorsus abalienati: & ita luctuosissimam antiquæ familiæ suæ ruinam accerseret.

Hic CALANDRVM scrupulo quodam conscientiæ, quem Breuia Papæ superstitioso seni, vt videbatur, infixerant, parumper obmutuisse PATRIOTTA, nec siccis oculis tandem respondisse narrabat; Mittamus ista tristia paulisper, ANTONI & CAROLE: vosque de via fessos deducamus in cubiculum, vbi reficere vos paulùm, ac requiescere possitis antè cœnam.

Ac ne fortè ignoretis, quos apud me qualésque conuiuas habituri sitis, audeo vobis dicere, quos mihi quidem semper fidelissimos sum expertus, acres disputatores fuisse, non periculosos delatores, nec Catholicos vnquam accusationibus pupugisse, sed argumentis: aderit vobiscum in cœna ARGENTINNS familiaris, & VELBACELLVS confessarius meus, qui iuramentum fidelitatis cum ipse præstitit, tum alijs etiam, vt præstent, persuadere conatur. Ac mihi quidem penè

persuasit,

persuasit, nisi quòd maiorē in breuibus sanctissimus Pater opposuerit authoritatem suam. Conuiuam verò tertium, vmbrā ARGENTINI mei, planè celabo, nisi priùs à vobis cauero, nullum ei vos, periculum indicio vestro creaturos; quod certè à meo periculo seiunctum esse non potest. Cuius partes sunt contrà obedientiam subditorum, quam, vt ipse putat, hæretici Reges iniquè exigunt, disputare, & pro Papali authoritate Reges eiusmodi deponendi, subditósque eorum à fidelitatis sacramento absoluendi, maximè firma, quæ possit, obijcere. Quòd si vos obiecta verè diluere, atque infirmare possitis, mihi quidem, credo item & ARGENTINO meo facilè persuadebitis, vt Regi nostro iuramentum fidelitatis obedientiæque præstemus.

Tum PATRIOTTA, Equidem, inquit, modò nihil moliatur contrà Regem & patriam, & disputet tanquam in schola inuestigandæ veritatis, non tanquam in turba seditionis serendæ gratia, do tibi fidem meam me non sumpturum partes indicis, vt perdam hospitis, nec deserturum officium amici, dum seruem subditi. Hic REGIVS, vt qui periculum legis meliùs nosset, hæsit aliquantisper: tamen institutum suum persequens, Vt ouem perditam Regi lucrifaciam, mutuabor, inquit, tantum à lege, vt Iesuitam audiam disserentem.

Et hac vobis conditione, subridens CALANDER inquit, tertium nomino conuiuam, habitu Aulicum, professione Iesuitam, Patrem ROBERTVM SATVRNINVM.

Atque ita conuiuas omnes conuenisse in Triclinio PATRIOTTA, & postquam humaniter, vt mos est, consalutassent, lautos accubuisse dicebat: ac, ne mutum planè conuiuium videretur, Sacerdotes prudenter sanè dissimulasse tristitiam animi coacta quadam hilaritate sermonis. Peracta autem cœna omnes in xistum esse deductos, ibique partim inambulantes, partim sedentes, sermonem de rebus propositis ad multam noctem produxisse.

Hic CALANDER exorsus, Cum mihi semper, inquit, VELBACELLE & SATVRNINE, gratus aduentus vester fuit, tum nunquam certè gratior, quàm hoc difficillimo

tempore. Quo de iuramento fidelitatis, deque potestate Pontificis Reges hæreticos abdicandi, subditosque ab obedientia illis, vt putatur, debita liberandi, controuersia non modò inter Catholicos & hæreticos, sed inter Catholicos & Catholicos intercedit aque ingrauescit. Vt inter vos duos accidit, quorum alter dissuadet mihi, ne iurem; alter suadet, vt iurem. Ita nos Catholici laici à vobis, sacerdotes, distracti quodammodo & quasi discerpti, & in hac causa inter Pontificem & Regem planè diuisi, quid nobis agendum sit, penitùs ignoramus. Quarè cum vos hac de re dissidentes cuperem contrarias inter vos conferre rationes, vt ex magnorum ingeniorum quasi conflictu collisuque aliquæ veritatis velut excussæ scintillæ conscientijs nostris satisfacerent: ecce subitò interuenerunt duo viri doctissimi, ANTONIVS PATRIOTTA, & CAROLVS REGIVS, nobis omnibus in toto religionis negotio, vt verum fatear, acres aduersarij, sed sine malitia; vobis forsitan ignoti, sed mihi certè amicissimi: vt minimè vobis timendum sit, nequid emanet, si causa proposita liberè, modò ne licenter, disputetis.

Tum SATVRNINVS, Fides tua data nobis, CALANDER, facit, nihil vt ab hisce generosis amicis tuis periculi metuam. Itaque personam illam atque habitum, quem necessitas non voluntas imposuit, ficti aulici depono, veri induo Iesuitæ. Quanquam non me præterit superiore proximo Termino, sanctum sacerdotem Reginæ lege damnatum, crudelitur excrucitatū fuisse. O legem Draconis, cruentis scriptam literis!

Bona verba, quæso, inquit PATRIOTTA: non enim illum sacerdotem Reginæ lex, sed Pontificis Breue suspendit. Nam cum essent duo sacerdotes in eodem crimine condemnati, vtrique Rex vitam obtulit, si sacramentum fidelitatis suscipere vellet. Alter suscepit, alter recusauit. Alter igitur Regis misericordia viuit, alter Pontificis interdicto perijt. Dicito iam mihi, vtrùm illum Reginæ lex, an Pontificis Breue suspendit. O Breue Hypponacteum, cuius singuli versus velut singuli iambi, sacerdotem suum ad suspendium adegerunt! At Romano-catholicis Anglis, dilectis salutem filijs, & Apostolicam benedictionem fronte sua præferebat. At intus

Geruisius.

maledictionem

maledictionem & exitium continebat omnium vestrûm. Scilicet labra calicis Pontifex vester melle illinebat, vt quod erat intus veneni ebiberetur iucundiùs. Quem sanè vobis, CALANDER & ARGENTINE, cæterisque laicis Papistis, amarissimum calicem miscuit Papa, procurauit Iesuita: explorator Papæ, dum Anglopapistarum potentiam maiorem significaret fore, quàm Protestantium, dummodò ad domesticas copias adiungi procuret externas. In quo sanè Papam fefellit, vt exploratores Burgundicos scribit Cominæus diei obscuritate & caligine deceptos, Ducem Burgundiæ decepisse, Gallorum copias plures propioresque esse narrantes, cum spinas veprium in agro longiusculas pro pilis & lanceis accepissent. Ita Iesuitarum falsi nuntij Pontificem induxerunt, vt præcox sanè consilium caperet Breuium ad vos mittendorum. Quibus, vt antea pius Quintus, cornutum sanè dilemma contexuit, quo filios suos vtrinque ferit, eoque adigit, vt aciem subeant vel Regineæ legis, si Regi non obsequantur; vel Papalis anathematis, si obsequantur. Compellit enim eos (quorum calamitates scilicet pro Catholica fide retinenda iugiter susceptas miserabilitèr deplorauit) vel ad infernum, vel ad patibulum. Nam vel damnari vobis, si Papæ creditis; vel suspendi necesse est: damnari, nisi pareatis interdicto; suspendi, si pareatis. Hæccine salus Pauli Quinti, quam dilectis filijs præmisit? Hæccine Apostolica benedictio est? Siccine misericors Pater beare solet suos filios, qui tantas, vt scribit, hactenus pro retinenda fide Catholica calamitates pertulerunt? Præclaram verò retulit pietati vestræ gratiam, qui Papistas suos in causa mala falso gehennæ metu ad certam crucem compulerit.

Nuntijs Iesuitæ falsis Pontificem deceperunt.

Cominæus lib. 1. cap. 11.

Cornutum dilemma Pontificis.

Neque falsis modò nuntijs ad Pontificem missis, sed multò magis pestiferæ doctrinæ vestræ, SATVRNINE, calamitates suas debent Romano-catholici: quid enim aliud Reginæ mitissimæ extorquere potuisset inuitæ legem illam, quam modò, vt sanguinariam, criminatus es? Nam Iesuitæ vestri post introitum Bullæ Pij Quinti, Angliam subingressi, vt Campianus, Parsonius, alijque complures, vt Bullam illam exequerentur perpetuò laborabant: & tanquam decimumtertium

Iesuitæ falsa doctrina Pontificios afflixerunt.

tertium articulum fidei proponebant: Nullam iam amplius excommunicatæ atque abdicatæ Reginæ deferendam esse obedientiam: vnde Aquilonaris statim est rebellio consequuta. Vestra igitur seditiosa doctrina seueram legem peperit. Vestra schola siquidem Romano-catholicismum fecit perduellionis Catechismum: vestra primùm logica Papistam & proditorem terminos posuit conuertibiles. Vestra igitur Societas fuit Romano-catholici fundi calamitas.

Seditiosa doctrina Iesuitarum legem seueram peperit, cum in praxim erupisset.

Nam anteà quidem Papistæ vestri, satis quietè vndecim annos vixerant: donec Pius Quintus senex nimis credulus, vt dicebatur à suis, falsis quorundã insusurrationibus inductus Anglocatholicorum, vt vocabant, vires tantas esse narrantium, vt Reginæ copijs possent obsistere, bulla sua scilicet Reginam excommunicasset, regnoque abdicasset, & subditos illius à fidelitatis sacramento absoluisset, & absolutos incitasset, vt contrà non Reginam arma capesserent. Sed citò deprehendit errorem senex, & data dispensatione correxit, vt Papistæ ad redimendam vexationem (sic enim loquitur) externam Elisabethæ Reg. ostenderent obedientiam, sed duabus restrictam conditionibus: vna, rebus sic stantibus; altera, donec publica bullæ executio fieri posset: hoc est dicere, donec tantam essent potentiam nacti, vt Reginam armis opprimere possent. Hinc inter casus conscientiæ à vobis in Angliam inuectos, articulus ille quinquagesimus quintus ortus est. Vbi Catholicus interrogatus, Credis Rom. Pontificem potuisse Reginam exauthorare, docetur, non obstante quouis mortis metu, respondere, Credo. Quæstio enim hæc, inquit, ad fidem spectat, & exigit confessionem fidei. En fides vestra Catholica, cui præsens iuramentum aduersari dicitur à Papa, præcipuum caput Iesuitismi, quem Papismi medullam possumus dicere. Et succenses iam SATVRNINE, suspensos esse paucos Iesuitas tanquam proditores, qui proditionem articulum fidei fecerint? Nec iustam Regi causam putas esse, vt vos capite plectat, qui tanta peritia subditorum conscientias fascinastis, vt etiam pium, iustum, & honoratum, quod cum suo Principe gerant, bellum existiment?

Rebellio apud Iesuitas articulus fidei.

Alanus.

Sed

Sed quid si non modò nuntij, & magistri, sed etiam auctores & actores perduellionis extiterunt? Et non modò deponendi Regem, & absoluendi subditos, sed extirpandi Regem & regnum, delendique gentem Anglicanam, & eradicandi homines ex terra, (neque nocentes solùm, sed etiam innocentes, iuxta veterem illam praxim tyrannorum, Pereant amici dummodò inimici intercidant;) teterrimam post homines natos coniurationem inierunt? & Catholicos cum hæreticis, vt vobis videmur, nobiles cum plebeis, patres cum filijs Martyres esse voluerunt? Quid enim aliud fuit illud incendium excogitatum à vobis, quàm martyrium Regis & regni?

Iesuitæ authores & actores perduellionis.

Cicero pro Deiotaro.

Martyrium Regni Anglicani.

Tum SATVRNINVS, Iniuriam Iesuitis facis, inquit, quos Catsbeanæ coniurationis authores insimulas, quòd quæ sub sigillo confessionis tantùm audierant, celanda existimarint de illo martyrio Regni, vt loqueris, (quod nemini nocuit) inuento solùm, non peracto. Fecit igitur Garnettus, princeps Iesuita, Iesuitis iniuriam, inquit PATRIOTTA: qui cum ipse Catsbei malum spiritum aluisset, quem caput & cor totius coniurationis esse voluit, germanum Catilinam, promptum discipulum, (qui ex Bulla Clementis octaui, qua Papa Regem, vt scripsit, hæreticum, nondum ingressum exclusit regno, scelerata consequentia conclusit, Ingressum quouis modo expellendum,) ex hac nefaria propositione vestra, quæ iam disceptanda proponitur, pestilentissimum illud inauditæ perfidiæ venenum exuxit. Sed cum illum Garnettus quasi satellitem coniurationis esse voluisset, alios ei tamen de tribu sua, immò de sinu consiliarios apponebat.

Vt apparet ex ipsius confessionibus sua manuscriptis.

Ac ne Iesuitarum illa tum viua quadrillio Romani Pontificis spiritu singulariter afflata, ad laicum proditorem mortuum crimen omne deriuet, intelligat sese à Garnetto suo iamiam moriente, voluntaria confessione, scripto indicatam. Grenwellum enim cum Catsbeo à se scripsit auditos non modò vt confitentes, sed vt consultantes: Grenwellum cum Gerrardo non solùm authores, sed etiam actores fuisse, qui etiam fuga conscientiam facti declararunt: Baldwinū & Parsonium conscios, quorū ille Fauxum, illam facem inflāmasset

Garnettus, Grenwellus, Gerrardus, Parsonius. Proditor indicio proditur ipse suo.

in Belgio: hic de facinore certior ab eo factus, tanquam de peregrinatione ad fontem sanctæ Winefredæ ad diem dictum ex Italia Lugdunum vsque aduolasset in Galliam, quasi coruus ad cadauer, vt tanquam alter Nero flammam cum improba voluptate omnes patriæ suæ partes furiosissimè lambentem propiùs aspiceret. At non perfectum est, inquies, hoc quod vocas Regis regnique martyrium. Quid tum? Quasi nesciamus Antichristum multos morti tradere, plures destinare. Sitire plus sanguinis, quàm fundere. Fuimus igitur omnes martyres intentione vestra, quamuis non executione. Quòd erat inuentum scelus, id malitiæ vestræ tribuimus; quòd non erat perfectum, diuinæ misericordiæ. Quæ Regis omnium qui sunt, fuerunt, erunt, clementissimi cor numquam sanè suspiciosum impulerit, vt ex illis neglectis propè literis genus ipsum periculi, & puluerem tormẽtarium penè dicam subolfaceret, & ita instrumentum fieret salutis publicæ. Vnde duplex oritur obligatio, vna quæ Regem Deo: altera, quæ nos Regi arctiùs in perpetuum deuinciat. Non deest Regi & senatui prudentissimo & fidelissimo consilium & cura: sed contrà tam cœcas coniurationes cum nulla humana consilia, nullæ curæ satis valeant, cùm gratiæ Deo pro liberatione præterita, cuius iam penè obliti sumus; tum preces pro futura perpetuò fundendæ sunt, vt Imperatorem & imperium Britannicum, sicut adhuc fecit, ab horum occulto semper scelere defendat. Auxilium enim ibi diuinum incipit, vbi humanum desinit, vt ait Philo. Intereà, cum nobis prouidentia diuina non desit, nos ne desimus diuinæ prouidentiæ, caueamus.

Eat iam SATVRNINVS, & legem Reginæ Elisabethæ cruentam vocet, quæ tales damnet sacerdotes, qui perduellionis exploratores, magistri, & architecti extiterunt. Et iam vel ipsi Romano-catholici iudicent, CALANDER & ARGENTINE, num in hac causa eiusmodi authores debeant adhibere, qui, quem non modò nobis, sed vobis etiam amarissimum, vt dixi, calicem, religionis nomine velut inauratum, sed proditionis veneno plenissimum miscuit Papa, quotidiè procurant & porrigunt, & laicis largè propinant.

Importunè

Importunè quidem certè. In quo similiter faciunt atque ij, qui vt alios inebrient, seipsos prius inebriare consuerunt. Nam qualis est ista mentis ebrietas, vel fascinatio potius, duas res coniunctissimas edicto Dei, disiunctissimas comminisci interdicto hominis? Et cum Ecclesiastes ex fide atque obedientia ergà Deum deducat tanquam effectum ex causa propria necessarium, fidelitatem atque obedientiam ergà Regem quamuis malum: duo præcipua Christiani hominis officia tam cohærentia, tam cognata, in contrariorum è regione aduersorum categoria ponere? quasi posito vno tollatur alterum. Vt Pontificium Breue præ se fert, mala logica, sed peiore theologia concludens, Iuramentum fidelitatis erga Regem præstari non posse salua fide erga Deum.

Ecclef. cap. 5. & cap. 8. vers. 1.

Caput præcipuum Breuis Pontificij.

Intereà simplices Laici obstupescunt, cum vrgentur à vestris, SATVRNINE, vt iuramentum obedientiæ si non sumpserint, constanter recusent; si sumpserint, celeritèr retractent. Vnde fiet, vt qui recusant, occultæ perduellionis; qui retractant, etiam manifesti periurij conscientia de nouo implicentur.

Aliud cornutum dilemma Pontificis.

Non sum nescius vobis [a] sacrilegium videri disputare de facto Papæ, [b] hæresim de potestate dubitare, [c] blasphemiam in Spiritum sanctum contrà Papæ canones & decreta quicquam aut facere aut dicere: [d] etiamsi innumerabiles populos cateruatim secum traheret in gehennnam, vt loquitur Bonifacius. Adeò sacra quædam phrenesis multorum animos occupauit, vt quicquid ab eo prodierit, id quamuis contrà mandata Christi, contrà exempla primitiuæ Ecclesiæ, contrà iustitiam sensumque communem venire manifestò conuincatur, tamen diuini oraculi instar arbitrentur.

a Distinct. 19. q. Sic omnes.
b Extrauag. Ioh. 22. Cum inter nonnullos
c Causa 25. qu. 1. violatores, ibid. glos. Blasphemare.
d Distinct. 4. Si Papa.

Sed ne naufragium fortunæ, ne vitæ vestræ, CALANDER & ARGENTINE, faciatis: author vobis sum, vt omni præiudicij seruitute deposita, quid vobis agendum sit, etiam atque etiam consideretis.

Tum SATVRNINVS, At leuior est, inquit, fortunæ & vitæ iactura, quàm animæ, quæ diuinæ legis desertione facienda est. Lex autem tum diuina deseritur, cum summi Sacerdotis, cuius labia legem, Malachia teste, custodiunt,

voluntas negligitur.

Certè, inquit PATRIOTTA, quamdiu summi sacerdotis labia custodiunt legem, sic, vt vox sacerdotis cum legis voce consentiat. Sin lex semel à sacerdote defecerit, quod fieri posse prædixit Ieremias, vt aliud lex, aliud sacerdos iubeat; tunc dubio non iam apocryphæ summi sacerdotis voluntati, sed canonicæ legis authoritati est obsequendum. Vt Catholicus doctor Syluester admonuit; Si Papa quicquã imperet sub pœna excommunicationis, quod sapiat peccatum, ex cuius executione præsumitur scandalum animarum vel corporum in ciuitate, non esse Papæ obediendum.

Summa Syluest. verbo Obedientia. nu. 50.

Tum CALANDER commotus surrexit, & vehementèr optare se dixit, vt summus Pontifex suum ipsius dilemma dissolueret, & Regis clementiam collaudauit, qui iuramentum obedientiæ distinctionis ergò adhibuisset, vt Catholicos subditos fidos à perfidis verè discerneret. Et simul illud addidit, noua se tum ex PATRIOTTA primùm audire de Iesuitis, quos si constet ex confessione Garnetti voluntaria authores pulvereæ coniurationis fuisse, nunquam se posthac Iesuitam intrà suos parietes recepturum. Sed quoniam (inquit) idcircò conuenimus, vt obedientiæ fidelis Principi qualicunque debitæ rationes nosceremus, & potestatis Pontificiæ in hæreticis Regibus deponendis, subditisque à sua fidelitate atque obedientia absoluendis firmamenta quæreremus; dum vtraque disceptatur à vobis vtrinque (doctissimi viri) nos indocti laici audientiam vobis pollicemur.

Subiectum totius dialogi

Tum PATRIOTTA, Primùm obedientiæ fidelis, inquit, Regibus æquè malis ac bonis, paganis ac Christianis, hæreticis atque Catholicis, à subditis omnibus præstandæ duo fundamenta ponam; vnum, perpetuum & immutabile præceptum Christi: alterum, exempla primorum Christianorum, ac potissimùm Romanorum Pontificum per annos à Christo plus quàm octingentos. Vtrunque videamus contrà caput illud Breue Pontificij, quo non probat, sed asseuerat, Iuramentum fidelitatis atque obedientiæ Regi (Iacobo) salua fide Catholica, & salute animarum vestrarum præstari non posse, &c.

Duo fundamenta Christianæ obedientiæ Regi qualicunque debitæ, perpetuum præceptũ Christi, & praxis veterũ Christianorũ. Breue.

Cur

Cur igitur Christus, Reddite, inquit, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: quæ sunt Dei, Deo? Quibus verbis quid voluit aliud, quàm vt Christiani ciuilem Imperatori, spiritualem Deo obedientiam redderent? Cur præceptum confirmauit exemplo, cum obedientiam & suam & Petri pensione tributi obsignauit? Christus igitur edixit, vt crudelissimo Imperatori pagano Tiberio Christiani fidelitèr obedirent, immò etiam ipse, quod est maius, obediuit: Papa, ne clementissimo Principi Christiano Iacobo Papistæ fidelitèr obediant, interdicet? & iuramentum fidelitatis salua fide & salute præstari nō posse dicere audebit, quam Christus author fidei ac salutis & præcepit & præstitit? Non ignoro Papam & Bellarminum sumere pro concesso & probato, Regem esse hæreticum. Sed si Rex vtrunque posset coram doctis & æquis iudicibus viua voce conuenire, ausim oppignorari vitam meam, Regem coram illis fortiùs & neruosiùs conuicturum Papam esse Antichristum, quàm Papa cum suo satellite probaret, Regem esse hæreticum. Sed detur illis ad tempus quod mendicè petunt: num Christus, quam fidelem obedientiam infideli, id est, Imperatori à fide prorsus alieno, dandam putauit: eam hæretico, id est, Regi in fide decepto denegandam iudicaret? Minimè verò, minimè. Si rectè igitur Christus, errat suppositītius Christi vicarius. Lucæ 20.

Quòd si fidelitas atque obedientia Regi, vt putatis, hæretico præstari salua fide Catholica non potest: cur diuus Petrus cum fidem Catholicam cap. 1. posuisset, obedientiam Regi debitam 2. cap. præcepit, Subiecti estote Regi tanquam præcellenti, Neroni videlicet illi monstro generis humani? Quo docuit personæ à Deo ad regendum ordinatæ impietatem, nec subditorum obedientiam debere destruere, nec Principis authoritatem. Si bene Petrus: malè igitur successor Petri. Si Petrus spiritu Christi loquutus est: successor Petri loquutus est spiritu Antichristi. Omnes autem Petrus tam Sacerdotes, quàm Laicos mandati religione deuinxit, cum denuò subiecit, Deum timete, Regem honorate. Quasi diceret, timore Dei vacuos, quicunque Regi honorem denegarent. Ideoque Salomon Prouerb. 21. vtrun-

que officium vno verbo complectitur: Mi fili, time Deum & Regem.

Hic SATVRNINVS, At vetus, inquit, Ignatius in epistola ad Smyrnienses ita loquitur, Colite Deum, proximè Episcopum, posteà Regem.

Durum est, SATVRNINE, inquit PATRIOTTA, Ignatium facere Salomonis correctorem, quasi officij ergà summum sacerdotem sui fuisset oblitus. Salomon inquit, Honora Deum & Regem. At ego inquam, Honora Deum primò, proximè Episcopum, posteà Regem. Certè verus Ignatius nunquam tam insolenter loqui voluisset; Salomon dicit, at Ego dico, vt sacerdotem Regi anteferret. Sed non erat difficile vobis Episcopum medium constituere inter Deum & Regem. Quibus nihil est antiquius, quàm vestrum Pontificem facere Regum omnium correctorem, ad eamque rem nothum aliquem & spurium Ignatium ambitionis vestræ patronum inducere.

At Petrus ipse Principem, inquit SATVRNINVS, humanam creaturam appellat. Certè, respondet PATRIOTTA, ratione naturæ; sed respectu ordinationis, non minùs est diuinæ creationis, quàm sacerdos. Reges enim per Deum regnant, vt sacerdotes docent. Naturam ab homine acceperunt: potestatem à Deo. Non est potestas nisi à Deo, inquit Apostolus. Vt sunt homines, immediatè sunt à parentibus: vt sunt Principes, à Deo. Ideò magistratus minister Dei dicitur, & ordinatio Dei nominatur. Immò quod maius est, Reges dij vocantur, quasi Dei sunt in terra vicarij, honore diuini nominis ornantur. Vocantur quidem sacerdotes viri Dei, & Angeli Dei: sed Reges dij vocantur. Non igitur Princeps humana creatura dicitur à Petro, quoniam est ab homine institutus: sed quia principatus per hominem & propter hominem administratur. Subiecti huic, inquit Petrus, estote propter Dominum. Interdum textus habet Tanquam Domino, id est, tanquam Christi Vicario in regno suo, vt Lucium Regem Eleutherius Pontifex Romanus appellauit. Interdum In Domino, id est, in rebus licitis, quamuis etiã in illicitis genus quoddã obedi-

entiæ

entiæ debetur, ſed actiua obedientia in licitis, vt facias quod mandatur: paſſiua autem in illicitis, vt feras, quod infligitur. Sed propter Dominum, ait Petrus, vt Reges quamuis tyranni, vt tum Nero fuit, Dei vicem & imaginem gerentes in terris, tanquam flagella Dei, tamen omnium fide atque obedientia propter Deum honorentur. Vt etiam Ethnicus potuit dicere, Bonos à nobis Imperatores expetendos, ſed qualeſcunque tolerandos. Addit Apoſtolus, propter laudem bonorum, & pœnam improborum. Vnde quidam Presbyterij magiſter, falſam expreſſit & periculoſam conſequentiã, veſtræ planè gemellam: Vt quia Rex eſt poteſtas ordinata à Deo ad laudem bonorum, & improborum pœnam; ſi regnet ad pœnam bonorum, & laudem improborum, non eſſe iam poteſtatem à Deo ordinatam: & ſi non ſit à Deo, non iam Regi ampliùs obſequendum, immò verò etiam reſiſtendum. O ſceleratam conſequentiam ignotam Petro & Paulo, qui quamuis tyrannidem atque immanitatem leonis, vt Neronem Paulus appellat, viderent atque ſentirent: tamen abuſu poteſtatis poteſtatem ipſam aboleri minimè cenſebant, ſed Chriſtianis omnibus obedientiæ neceſſitatem imponebant, docentes fore, vt ſi Neroni reſiſterent, Deo tantæ poteſtatis authori repugnarent. Quo igitur ore Pontifex iuramentum fidelitatis atque obedientiæ Regi Chriſtiano & moderatiſſimo, quamuis, vt vos putatis, hæretico præſtandæ, prohibeat vt illicitum, & condemnet vt contrarium fidei & ſaluti: cum Petrus fidelem obedientiam Neroni pagano, atque immaniſſimo tyranno, & præcipiat vt piam, & perſoluat vt debitam?

Duplex obedientia Regi debita, actiua in licitis, paſſiua in illicitis.

Quòd ſi fidelitas atque obedientia Regi hæretico à Catholicis præſtari ſalua fide Catholica non poteſt: cur diuus Paulus cum fidem Catholicam Romanam fuſè anteà tradidiſſet, decimotertio cap. deduxit ex ea præceptum, vt omnis anima ſuperiori poteſtati ſeſe ſubijceret? Qui loquitur de omni, nullam excipit, vt obſeruat Chryſoſtomus. Et Bernardus ad Senonẽſium Archiepiſcopũ, Omnis anima ſubdita ſit, ergo tua. Quis te ab hoc generali mandato eximit? Exceptio mera deluſio eſt. Subiectio verò tria requirit; reuerentiam

in animis, honorem in verbis, obedientiam in factis. Et attende, quòd animæ ſubiectionem requirit in ſubdito. Initio cap. duodecimi, loquens de obedientia Deo debita, requirit ſubiectionem corporis. Initio decimitertij, loquens de obedientia Principi debita, requirit ſubiectionem animæ. Quid? Annon ſubiecit etiam animam Deo, & corpus Principi? Certè. Sed ideò iſta diſtinguit, quia ſic ferè ſe homines excuſant, animam ſe Deo deuouere, cum diabolo corpus proſtituunt: & corpus ſe præſtare magiſtratui, cum animæ reuerentiam denegant. Ergo ſubiecta ſit anima poteſtati, vt inquit Apoſtolus. Vnde aliæ ſubiectionis partes duæ neceſſariò conſequuntur. Rationes attexit Paulus Apoſtolus edicto: quas Paulus Pontifex non adiungit intendicto. Nam omnis poteſtas eſt, inquit, à Deo. Loquitur nō tam de Principe, quàm de principatu, non tam de perſona, quàm de poteſtate. Vt oſtenderet primùm ſeſe ius dominationis reſpicere potiùs, quàm domini qualitatem. Deinde ſi poteſtas Regis à Deo eſt, non eſt igitur à Papa, vt quidam Papæ aſſentatores diſputant. Non eſt à populo, vt quidam populi adulatores hodiè ratiocinantur. Credo, vt ei poteſtatem relinquant deſtruendæ monarchiæ, cui datam ſomniant conſtruendæ. Qui tantum Papæ tribuunt, ſobrio Regem tyranno ſubijciunt: qui multitudini, furioſo, & vt ſcitè ac verè ſcripſit poeta, belluæ multorum capitum. Non igitur Rex aut Papæ aut populo rationem reddere tenetur, ſed Deo, à quo poteſtatem immediatè omnem acceperit. Vnde duo ſtatim infert Apoſtolus, vnum; qui reſiſtit Dei poteſtati, eum Dei ordinationi reſiſtere, ſibique iudicium accerſere: alterum cum Princeps ſit miniſter Dei, & gladium gerat, quo protegat bonos, & puniat malos, omnes ſubiectos eſſe non propter iram oportere, ſed propter conſcientiam. Ne quis Petrum & Paulum temporis cauſa debuiſſe ſubiectionem arbitretur, illiſq; vires potiùs ad reſiſtendum Neroni, quàm animum defuiſſe. Concludam breui. Catholica fides veteris Romanæ Eccleſiæ, vt à Paulo tradebatur Apoſtolo, fidelem Regi ſubiectionem pagano ſceleratiſſimo atque obedientiam omnium inferebat. Catholica fides Romanæ Eccleſiæ

modernæ

modernæ, vt à Paulo Pontifice traditur, fidelitatem Regi Christiano, etiam inuidorum confessione clementissimo, obedientiamque velut rem heterogeneam tollit ac perimit. Vtri igitur credemus, Paulo Apostolo, an Paulo Pontifici? edicto pio, an impio interdicto? Neque verò hæc præcepta Christi, Petri, & Pauli de ciuili obedientia Imperatoribus, Regibus, & ciuilibus magistratibus quibuscunq; exhibenda pro temporum ratione mutabilia, sed perpetua & æterna censeri debent.

Iactum est primum obedientiæ nostræ fundamentum, expressum, & perpetuum mandatum Christi. Sequitur alterum, praxis Christianorum.

Hic SATVRNINVS, Anteà quàm pergas, inquit, assentior subiectionem, reuerentiam, honorem, fidelitatem, obedientiam Regi præstandam esse tamdiu, dum Rex est Rex: sed si Rex semel esse desierit, non iam ampliùs ei præstari oportere. Desinit autem esse Rex, quamprimùm legitimè à Christi Vicario denuntiatur excommunicatus, ex quo statim de regno suo habendus est de iure depositus, subditique eius ab obedientiæ sacramento absoluti. Et quamuis tu sæua quidem, & atrocia cùm sanctissimo Patri nostro, tum sanctis Sacerdotibus, ac potissimùm Iesuitis proditionis crimina obiecisti: tamen si rem istam paulisper mecum consideres, totus iste verborum fumus in nihilum euanescet. Nam & Papam primò de iure habuisse & habere istam potestatem assero: deinde de facto, quam primùm potentiam nactus est, exercuisse defendo. Nec inde sequitur esse eum, qui hoc defendit, vt tu concludis, proditorem:

Nisi fortè Thomam Aquinatem gloriosissimum Sanctum, & doctorem Angelicum proditorem audeas dicere, qui scribit; Postquàm Princeps est denuntiatus apostata, omnes inferiores & subditos absolui à præstito iuramento, & obedientia illi debita: & Franciscum Toletanum clarissimum nostri temporis professorem ei proditionis socium placeat adiungere, qui sic scribit in Thomam; Nota, inquit, quòd eadem est ratio de excommunicato: quia cùm primùm quis est denuntiatus excommunicatus, omnes subiti absoluuntur

ab eius obedientia: & celeberrimum Lateranense Concilium generale suprà trecentos annos celebratum, ex Patriarchis & Archiepiscopis septuaginta, ex Episcopis quadringentis & duodecim, alijsq; Prælatis octingentis lectissimis sanè compositum, quòd Papam habere suprà dictam potestatem decreuerit, proditorum conuentum fuisse arbitrere.

Tum PATRIOTTA, Quem tu mihi, inquit, Thomam Aquinatem, quem Toletanum, quod Lateranense Concilium narras? Scripsit Thomas Aquinas post annum à Christo millesimum & ducentesimum, implicatus errore sui temporis, & Pontifici mancipatus; nec Prophetam, nec Apostolum, nec Doctorem adduxit, vno tantùm nixus exemplo Gregorij septimi, qui primus post annum à Christo millesimum Henricum quartum Imperatorem excommunicatione deijcere de regno est aggressus. Grauis authoritas scilicet contra Regis gladium, quem ordinauit Christus, & cui Christi Ecclesia, vt posteà liquebit, mille annos obediuit, recentioris Summistæ in media Papismi nocte somniantis, subditos absolui posse per Pontificem à præstito obedientiæ sacramento, quo Deus illos obligauit: nec authorem quenquam allegantis, nisi Pontificem Hildebrandum, furiosum sanè monstrum & turbulentum, vt à suis Cardinalibus habitum constat fuisse.

Æquior tamen Aquinas, quàm Toletanus. Ille nullius subditos absolui censuit à præstito iuramento nisi denuntiati apostatæ, qui à toto Christianismo in perpetuum defecisset. At Toletanus professor eximius scilicet huius ætatis, Papæ conductitius, minore doctrina, sed maiori impudentia, velut honorarius arbiter sententiam nulla adhibita ratione pronunciat; Nota, inquit, quòd eadem est ratio de excommunicato per Papam Principe quacunque de causa. Annon has in controuersia tam graui demõstrationes egregias putatis? Quas conducta Antichristi mancipia contrà perpetua & manifesta Christi mandata & Apostolorum instituta, nuda tantùm authoritate sua tanquàm oracula profuderunt? Intereà silebunt Apostoli, Patres obmutescent, dum Reges à duobus Papæ Capellanis recentibus, & iuratis, professis autem Re-

gum

gum hostibus iudicantur?

At celeberrimum Lateranense Concilium & antiquitate & numero pugnat. Non quærimus quos socios malos, sed quos authores bonos afferre possitis, nec quo numero sed qua ratione pugnetis. Non erat tum difficile Innocentio tertio Papæ conuocare octingentos Priores conuentuales, eorumque Vicarios creaturas suas, ieiunos fratres, & monachos somnolentos, quibus in Concilijs sedere non licuit; qui quadringentos Episcopos non pondere, sed numero suffragiorum superarent suorum: & quoduis decretum contrà Principes ad nutum Papæ dei sui & creatoris excuderent.

Quanquam quid si tum ne decretum quidem quicquam fuerit, sed propositum modò & deliberatum, vt testis est Platina, venisse multa tum quidem in consultationem, nec decerni tamen quicquam disertè potuisse, eò quòd Papa derepentè decedens ad tumultus subitò exortos componendum, in itinere diem suum obijsset. Tamenne examen famelicorum fratrum consultantium, quo modo Papa Regem hæreticum regno suo posset exuere, sed nil concludentium, quippe quos Papæ mors improuisa anteuerterit, celeberrimum Lateranense generale Concilium appellabis? Et quam Reges à Deo potestatem acceperunt, quamque obedientiam subditi ex præcepto Christi, & Apostolorum doctrina tenentur illis exhibere, eam Regibus pauci posteriores superbi Pontifices post annum à Christo millesimum, & mercenarij scholastici, & mendici monachi humanis decretis eripient? Deus Reges constituit, & homines euertent? Dei verbum nos ad obedientiam obligauit: & ab eadem hominis verbum absoluet?

Sed ne Dei verbo faciam iniuriam, homines hominibus opponam, Catholicos Catholicis, vt vocantur, antiquos nouis.

Scribit Otho Frisingensis, postquam legisset ac perlegisset gesta Romanorum Regum & Imperatorum, neminem inuenisse se ante Henricum quartum Imperatorem excommunicatum ab Episcopo Romano, aut regno suo abdicatum. Quod primum est tentatum à Gregorio septimo, vt dixi, an- Libro 6. c. 35.

no post Christum millesimo sexagesimo sexto.

Vrsberg. in anno 1085.

Nactus sum Vrsbergensem, qui loquens de Synodo Moguntina, (in qua Romanis legatis præsentibus Episcopi, qui cum Gregorio 7. contra Imperatorem arma ceperunt, depositi atque abdicati sunt) diceret, Ibi communi consensu & consilio constitutam esse pacem Dei. Vnde concludit Gregorium septimum diabolici dissidij contrà Imperatorem authorem extitisse.

Sigeber. in anno 1088.

Sigebertus Abbas loquitur planiùs & procedit vlteriùs, vt pace omnium bonorum dixerim. Hæc sola nouitas, inquit, ne dicam hæresis, necdum è mundo emerserat, vt Sacerdotes eius, qui dicit Regi Apostata, & qui regnare facit hypocritam propter peccata populi, doceant populum, quòd malis Regibus nullam debeant subiectionem: & licet ei sacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen debeant fidelitatem, nec periuri dicantur, qui contrà Regem senserint: immò qui Regi paruerit pro excommunicato habeatur; qui contrà Regem fecerit, à noxa iniustitiæ periurij absoluatur. Hæc nouitas, hæc hæresis habita est à Sigeberto vestro suprà quingentesimum abhinc annum, quam tu nunc ex Aquinate & Toletano & Lateranensi Concilio pro catholica doctrina nobis obtrudis.

Vincen. in Speculo historia, lib. 15. c. 84.

Et quoniam Sigebertum Abbatem Baronius Cardinalis, vt schismaticum, criminatur, addo Vincentium Episcopum suprà trecentesimum & quinquagesimũ annum: à quo quidem hæc hæresis ijsdem verbis est condemnata, quibus notata est à Sigeberto.

Quòd si vel Sigebertus, vel Vincentius vester authoritatem amittent suam, quòd quasi schismatici Regibus contrà Papam fauisse dicantur: vide ne recentioribus multò scriptoribus vestris fides derogetur, quòd huius nouellæ fautores hæreseos, quasi rebelles, Papæ contrà Reges applauserint. Nam perspicuum est alios tum fuisse non paucos optimos sanè integerrimosque Catholicos, vt temporibus suis habebantur, quos factum Gregorij vehementer offendit, & qui planè negarunt Apostolicam sedem habere authoritatem deponendi Henricum 4. Imperatorem, vt fecit, subditosq; eius

à fidelitatis sacramento absoluendi: vt Episcopus Metzianus, qui magna fuit apud Gregorium septimum gratia, ad eum scripserit, & rogarit, vt se suis rationibus armaret, quibus motus Imperatorem deposuerit, quò meliùs posset ijs, qui contradicerent, respondere. Greg.7. epist. 21.l 8. apud. Seuer. de Conci.

Et Gerochus magnus Gregorij satelles coactus est dicere, vt est apud Auentinum, Romanos sibi diuinum honorem assumere, nec velle rationem reddere actionum suarum, nec pati posse, vt quisquam illis dicat, Cur ita facitis? qui respondent, vt scribit Poeta: Auenti.l.5. fol.563.

Sic volo, sic iubeo: stet pro ratione voluntas.

Priùs sum vsus armis diuinis contrà vos, SATVRNINE: tu humanis restitisti: nunc humana humanis, vestra vestris oppono: & hanc quam Sigebertus nouam vocat hæresim, argumento conuincam necessario. Si definitio hæreseos sumatur illa quam Robertus Grostedus vir sanctus & apprimè doctus Episcopus Lincolniensis sub Henrico 3. Anglorum Rege posuit ex Augustino. Matth.Parisiensis.

Hæresis Græcè, inquit, electio Latinè, est sententia humano sensu electa, Scripturæ sacræ contraria, palàm docta, pertinaciter defensa.

Quo argumento, vt refert Matthæus Parisiensis, probauit Innocentium Papam hæreticum, quòd penes se censeret esse puerum donare sacerdotio. Eodem Paulus Quintus conuincetur hæreticus, qui penes se putat esse Regem priuare regno.

Est enim hæc sententia primùm humano sensu electa ab Hildebrando, vt vanæ velificaretur gloriæ suæ, & Ecclesiasticæ dominationis terminos humanis & artibus & viribus dilataret. Et est Scripturæ sacræ contraria, quæ subiecit Episcopos Regibus, non Reges Episcopis, vt antè conclusi. Et est palàm docta, duobus Breuibus à Paulo quinto proposita. Et est pertinaciter defensa à Pontifice, qui sub pœna excommunicationis interdicit, ne suscipiant Catholici fidelitatis sacramentum, iubetque vt susceptum retractent. Et dubitatur, cui hæreseos definitio conuenit, nũ ei conueniat definitum? Vt Grostedus mortuus, definitione sua tanquam Episcopali

baculo latus Papæ denuò percussisse videatur.

Tum SATVRNINVS, Quos tu mihi schismaticos, inquit, quem Sigebertum, quem Vincentium, quem Grostedum cum suo baculo commemoras? Quasi verò non sint omnes ab Ecclesia condemnati, quòd bellum cum Ecclesiæ capite susceperint. Sed ne humanis authoritatibus potiùs, quàm diuinis pugnare videamur, vetuit Paulus Apostolus ne salutemus hæreticum: immò monuit, vt deuitemus post primam aut secundam admonitionem. Si salutare non licet hæreticum, licet hæretico seruire? licet obedire? Docet nos Paulus, vt odium hæretici Deo quasi magnum sacrificium offeramus, eumque velut gangrænam deuitemus: & non licebit illam gangrænam exsecare, ne nos inficiat, vique repellere, cum nostram ipsorum carnem secare iubeamur si gangræna inquinetur?

Tum PATRIOTTA, Iam verum, inquit, prodis Iesuitam: cum vetuit Paulus, ne salutaremus hæreticum, monuitque vt illum deuitemus post primam aut secundam admonitionem, vno verbo vetuit consortium voluntarium, non officium necessarium: familiares salutationes, quas comitas elicit: non humiles obseruantias, quas pietas imponit: priuatas consuetudines, quibus animæ polluuntur: non publicas obedientias, quibus imperia continentur. Non licet hæreticum salutare. Nolles igitur hæretico pecuniam, quam debes, dissoluere? Certè, inquies. Quæro iterum, vtra debitio iustior obedientiæ, an pecuniæ? Vtrum nomen est verius, vtrùm æs alienum maius quod tuo consensu contractum est, an quod tibi Dei mandato est impositum?

Hîc SATVRNINVS, Hæreticis, nihil, inquit, sanè debemus. Nihil, inquit PATRIOTTA? Non debet seruus fidelem diligentiam domino quamuis hæretico? Debet, inquis, infideli, sed non hæretico. Nugæ. Si debet infideli, qui fidem oppugnat: non debet hæretico, qui tantùm errat in fide? Non debet vxor fidelem subiectionem marito quamuis hæretico? Certè. Cum nihil nisi adulterium possit esse causa diuortij, vt docet Christus: ne infidelitas quidem ipsa, vt dicit Paulus. Postremò, filij tenentur obedire parentibus

in Domino, quamuis hæretici: Ergo subditi multò magis Principi domino familiæ, marito reipub. parenti patriæ publico, quamuis hæretico. Non enim hæresis dissoluit officij vinculum, sed familiaritatis glutinam abrumpit. At hæresis gangræna est, vt inquit Apostolus. At licet hæresim omnem, quasi gangrænam, incidere iubeamur, non tamen omnem hæreticum vi iubemur excindere. Malè ageretur cum Papistis, si hæc tua nostrorum hominum animis opinio insideret. Sed vobis has crudelium chirurgorum partes libenter relinquimus, qui ad sectionem vstionemque ferè statim se conferunt, ferrum semper adhibent & flammam, leniora verò ac lentiora remedia non expectant. Verũ quoniã in hac causa nobiscum Scripturæ telis, quæ perrarò soletis adhibere, videris velle confligere, quibus Reges per Pontifices cum de iure probes abdicari posse, tum de facto fuisse abdicatos, vt obedientiæ vinculo subditi verbo deuincti, verbo exsoluantur: Agè verò, priusquam alterum nos illud obedientiæ fundamentum, praxim Christianorum, persequamur, in hoc primo quid contrà nos possis, si placet, experiamur.

Tum SATVRNINVS, Dicam, inquit liberè, quod verè sentio. Non satis prouidisset Ecclesiæ suæ Deus, nisi sanctos & fortes Prophetas ac Sacerdotes dedisset, qui Reges impios & tyrannos Ecclesiastica disciplina corrigerent & coercerent; eosque, vbi semel desperati esse cœperant, odia Dei atque hominum, religionis probra, & populi onera remouerent.

Itaque Saulem primum populi Dei Regem, quòd aspirare ad spiritualem functionem videretur, Dei mandato legimus à Samuele excommunicatum &, regni possessione depulsum, quamuis illud post Dauidis inunctionem, suique depositionem multos annos vi tyrannica retineret: & Dauidem regni competitorem, & Samuelem diuinæ sententiæ exequutorem interficere sæpiùs intenderet, vt octoginta quinque sanctos Sacerdotes Nobitas tandem interemit.

Quis nescit peculiarem Prophetam à Deo missum ad Ieroboamum Regem Israelis, qui denuntiaret iudicia Dei

contrà

contrà Regem regiamque ſtirpem, eò quòd nefario ſchiſmate populum ſeparaſſet ab antiquo veroque Dei cultu Ieroſolymis inſtituto: & nouum altare in Bethele extruxiſſet, (quo quidem omne ſchiſma & diſſidium ab Apoſtolica ſede propriè præfiguratum eſt:) & nouum clerum, famelicum, abiectum, extrà Aaronis ordinem, veſtro ſimilem creauiſſet. Crimen à Deo poſteà iuxtà Prophetæ ſententiam tam ſeuerè vindicatum, vt nullus eſſet ex eius ſtirpe reliquus, qui meieret in parietem. Rex autem ſtultè apprehendit virum Dei vt occideret, quòd diuinæ denuntiationem ſententiæ perduellionem contrà regiam ſuam dignitatem putaret.

Oziam etiam regem Iudæ intolerabili faſtu inflatum, nec regia dignitate contentum, ſed ſpirituale & ſacerdotale officium exercere inſolenter auſum, ab Azaria & octoginta ſacerdotibus alijs fortitèr oppugnatum, & è templo violentèr expulſum legimus; & quòd ſacerdotibus minaretur, viique reſiſteret, fœdiſſima percuſſum lepra: Ideoque non ſolùm eiectum è templo, ſed illorum authoritate ſeparatum à ſocietate hominum, (quod ſpecialis figura fuit ſacerdotalis authoritatis ſub noua lege, quæ Reges æquè atque alios propter hæreſim, quæ ſpiritualis eſt lepra, excommunicare poſſit) regnique adminiſtrationem Iotham filio eſſe commiſſam. Manifeſtum exemplum ſacerdotibus licere armis vti, viique impietatem Regum coercere, vbi id ad conſeruationem religionis honoriſque diuini conducere iudicarint.

Zelus bonorum ſacerdotum in abdicatione impiæ Reginæ Athaliæ iure laudatur: quam Iehoida ſummus ſacerdos collectis ſacerdotum & populi copijs de ſolio deponi & interfici iuſſit, & verum hæredem inunxit & coronauit.

Quis ignorat Elias quàm animoſè reſponderit ad mortem deſignatus ab Achabo & Ieſabele, qui ſacra altaria deieciſſent, & veros Dei adoratores occidiſſent, Non ſe alioſque viros Dei, ſed Achabum eiuſque familiam conturbaſſe Iſraelem: & quo zelo Ieſabelis Pſeudoprophetas necarit, & ſacra altaria reſtituerit, & ignem è cœlo deuocarit, quo Regis

Ochoziæ

Ochoziæ duces & nuntios consumeret: & Iesu Israelis Regem inunxerit, & Achabum cum tota ipsius stirpe de regno deiecerit. De quo dictum est, quòd Reges deturbauit atque destruxit, & potentes de suis sedibus deiecit: sicut etiam Ieremiam supra regna constituit Deus, vt illa plantaret, & extirparet, extrueret atque destrueret. Quæ potestas sacerdotij Christi sub nouo Testamento multò sanè maior atque amplior eminet, summo communicata sacerdoti Pontifici Romano, vt in nomine Christi Principes contrà Ecclesiam Christi sponsam & regnum efferentes sese, virga ferrea tanquam vascula lutea confringat, & in minutissima frusta comminuat. Ecclesiastic. 48.

Nam ex illis exemplis primò perspicuum est, inunctos & legitimè creatos Reges iure posse deponi: deinde quibus de causis fuerint de facto abdicati: postremò, vt in creatione ac consecratione Regum, sic etiam abdicatione Deum vsum esse ministerio sacerdotum & Prophetarum, vel ordinario, vel extraordinario ad eam rem, vt non modò iudices Regum, sed etiam correctores fuisse videantur. Nam cum Principes dignitatem suam, & supremam authoritatem acceptam à Deo teneant, seseque obstrinxerint, vt quibuscunque copijs possent, religionem & verum Dei cultum, & honorem supremi Regis ac Domini sui promouerent, & vt populum in fide ac timore Domini continerent: sacerdotes & Prophetæ (quibus præcipua & directa animarum & religionis cura commissa est, quique in spiritualibus rebus Principibus superiores extiterunt,) iure se illis opposuerunt in ijs rebus omnibus, quæ Deo dedecus, religioni ruinam, & animabus subditorum damnationem importarent: & Dei nomine iudicium ac iustitiam exercuerunt aduersus eos Principes qui summo imperio suo sunt abusi ad verum Dei cultum euertendum & idololatriam, atque hæresim cæterasque abhominationes inuehendum ac stabiliendum.

Erat enim tum inter Deum atque Regem quædam quasi conuentio, quæ semper posteà vim suam vel explicitè, vel implicitè saltem obtinuit, ne quis populum suum vi, vel quacunque ratione à fide maiorum suorum, & à religione sacrisque

que ceremonijs Dei sacerdotum manu traditis & receptis abduceret, Quo Deus insinuauit, vt si hæc præcepta atque has conditiones obseruaret, longum cum sua stirpe regnaret: alioqui futurum, quemadmodum supra docuimus, vt sicut Prophetæ ac sacerdotes Reges inunxerint hac conditione solummodò, vt cultum honoremque Dei defenderent & conseruarent, ita Reges etiam deponerent, cum pactum Dei violarent, & ad peregrinos deos desciscerent, populumque suum ad apostasiam compellerent. Atque ita sub veteri Testamento accidisse constat. Quòd si Deus veteris Testamenti sacerdotes & Prophetas tanta potestate excommunicationis armauit, qua Reges impios & tyrannos à solio deiectos, & è societate hominum excisos, etiam vita, si possent, atque hac communi luce iure priuarent, nequid detrimenti Synagogę importarent: quantò maiori summum noui Testamenti sacerdotem Christi vicarium authoritate muniuit, vt Reges infideles, apostatas, hæreticos, & tyrannos ex Ecclesiæ communione eijciat & exterminet, eiectosque de regno dimoueat, & populum exsoluat ab obedientiæ iuramento Regibus eiusmodi præstito, qui iuramentum obedientiæ, sacerdoti Dei nomine in sua coronatione præstitum, violarunt? Nisi fortè Deum minorē Ecclesiæ suæ, quàm Synagogæ curā habuisse arbitremur: aut hodiernis Regibus, qui capita publicæ à Deo defectionis existunt, magis quàm veteribus indulgere. Quorum vtrunque certè à diuina iustitia & prouidentia est alienissimum. Miseram profectò & calamitosam Ecclesiam tanquam orbam aut viduam reliquisset, si piorum sacerdotum præsidio nudatam exposuisset impiorum libidini tyrannorum, vt illam pro arbitrio versarent & verterent, & religionis statum quotannis commutarent. Nam quòd olim Christiani Episcopi non deposuerint Neronem, Dioclesianum, Iulianum apostatam, Valentem, & similes, id fuit, quòd deerant tum temporales vires Christianis. Nam alioqui iure id facere potuissent. Iure, inquam, potuissent Episcopi Imperatores infideles, apostatas, hæreticos excommunicare atque abdicare, si tum Ecclesia vires habuisset ad resistendum, vt & prius, & posteà vires adepta restitit.

Tum

Tum PATRIOTTA: Malitia tua, SATVRNINE, dum te fetri ſinis in Reges, inſignem euomis blaſphemiam in Deum. Quid eſt enim blaſphemia, ſi hæc non eſt? accuſare Dei prouidentiam ergà Eccleſiam, niſi pijs ſacerdotibus dediſſet impios tyrannos remouendi poteſtatem? Malè tu quidem plumbo iudicij tui fundum conſilij Dei penetraſti, qui non minùs, atque haud ſcio an magis prouidit Eccleſiæ, dum illius patientiam probaret aduerſis, quàm dum gratitudinem proſperis exploraret: dum impiorum perſequutione Principum peccata Sanctorum excoqueret, quàm dum piorum clementia deſiderijs indulgeret: dum terrenis ſpolians filios, compenſaret beatorum præmijs: quàm dum illa continuans, miſerorum modò ſolatijs deliniret. Quod non eò dictum exiſtimari poteſt, vt tyrannorum crudelitatem excuſem, ſed vt Dei miſericordiam illuſtrem, quòd quæ Sanctis illi cogitant in malum, Deus conuertit in bonum.

At paucis Prophetarum & ſacerdotum exemplis malè intellectis, & ad Papam peiùs multò detortis, expreſſa Chriſti & Apoſtolorum mandata eludere voluiſti. Quàm id theologum non decebat? Expendamus, ſi placet, ſingula.

Samuel, inquis, Saulem excommunicauit, & excommunicatum de regni poſſeſſione deiecit: ergò Papa Principem iure poteſt de regno deponere. Nego primùm antecedens. Non Propheta, ſed Deus deiecit Saulem propter impietatem: Dei enim ſolius prærogatiua eſt, potentes de ſolio deponere, & abiectos excitare: deijcere Reges, & euehere, & regnum cuicunque velit dare. Miſit ille quidem Samuelem, vt Sauli tantum denuntiaret, & Dauidem in eius locum inungeret.

Vides igitur in hac cauſa Prophetam fuiſſe nuntium, non iudicem: miſſum vt declararet depoſitum à Deo, non vt ipſe deponeret: & quicquid fecit, non propheticæ vocationis generali iure feciſſe, ſed ſingulari motu & inſtinctu Dei, ſibi tum proprio, non alijs Prophetis communi. Nego etiam conſequentiam.

Samuel Dauidem inunxit, cum Deus id expreſſè iuberet: ergò

ergò Papa Principem poteſt abdicare quamuis Deus expreſſè non iubeat. Vtrū habet Papa reuelationem à Deo, vt Regē deponat? Minimè, inquies, at mandatum habet, vt alij antea multi. Certè, vt Dei iudicia vel temporalia, vel æterna denuntient, non vt exequantur. Deus eſt actor in deijciendo Saule, non Samuel: Deus pœnam inflixit vt iudex, Samuel tantùm publicauit, vt nuntius: nec generali vocatione, vt Propheta; ſed ſpeciali motu, vt Propheta ad id deſignatus: nec vt Saule ſuperior, ſed vt Dei tum legatus, qui præciſè mandatum impoſuit, & ſucceſſorem ore ſuo nominauit. Quid hoc ad Papam? Niſi fortè prærogatiuam ſummi Dei propriam cum homine peccatore communicandam arbitrere. Quam ſi ſine ſpeciali & expreſſo mandato ſumat, non ſub Deo exercet, ſed æquè ac Deus. Et quod hîc fit ſine Deo, fit contrà Deum. At Saul Dei mandato per Samuelem eſt depoſitus, vt dicis. Deus præſcripſit ſententiam, Samuel tantùm declarauit.

Addo etiam ex textu, Non declarauit perſonam Saulis de regni poſſeſſione, vt tu dicis: ſed ſtirpem Saulis de regni ſucceſſione deiectam. Nam Iſrael & Iudah Sauli poſtquam eſſet reiectus à Deo, & Dauid in Regem inunctus, cum Dauide multis annis obediuit. Quem iam Dauid poſt depoſitionem dominum ſuum, & vnctum Domini appellat. Deus me conſeruet inquit, ne illi manus inijciam. Eſt enim vnctus Domini. Non dicit, fuit, ſed eſt vnctus Domini. Nec metu, ſed conſcientia, nec humanitate quadam, ſed officio ſe continuit, cum eum dormientem offēderet in ſpelunca, & vnus ex ducibus eum vellet occidere, Caue facias, inquit: quis enim tangat vnctum Domini, & innocens erit? Non igitur indulgentiam cenſuit, quòd pepercit: ſed peccatum, ſi tetigiſſet. Vnde ſcrupulus ille, quòd regiæ veſtis laciniam abſcidiſſet. Ille tremuit, quòd Regis abſcidit fimbriam; iſti non verentur violare perſonam Regis. Ille transfigi iuſſit hominem, qui Saulem vnctum Domini occidiſſet: iſti Regum vnctorum interfectoribus etiam præmia humana & diuina conſtituunt.

Quòd ſi totus Iſrael Sauli Dei ipſius iuſſu abdicato, iure tamen obediuit: ſi Dauid ipſe in regni ſucceſſionem inunctus

Sauli

Sauli fidelem obedientiã præstitit, & vt vnctum Domini coluit: & vt peccatum in seipso cõdemnauit, si manus Sauli cum poterat iniecisset, & ab alio posteà commissum vindicauit: quomodo Papa subditos exsoluat ab obedientiæ iuramento Regi cuicunq; præstito, aut actũ meritorium faciat illum occidere, cui Papa priùs sine omni authoritate Imperium abrogauit? Vides igitur nec in antecedente enthymematis tui veritatem inesse: nec in consequente cohærentiam.

Eodem modo possumus tibi de Ieroboamo respondere, id quod tu obiter confiteris, Missum esse Prophetam qui verbo tenus denuntiaret plagam, non qui violenter infligeret: nec verbum tamen faceret de schismate vel depositione, sed tantùm prædiceret fore, vt Iosias illud euerteret altare, & super illud ipsum altare sacerdotum ossa combureret; quod trecentis post mortuum Ieroboamum annis accidit.

Vtrum autem hoc schisma nostrum ab Apostolica sede, vt vocas, an vestrum ab Apostolica veritate dissidium propriè præfiguret: & vtrum Ieroboamus cum altari suo vestrum Pontificem repræsentet, qui verum & antiquum Dei cultum non scriptis traditionibus corrupit; an nostros Principes, qui corruptum ex sanctis Scripturis reformarunt, non est huius temporis disputare: tantùm inter vitulos illos, & idolum vestrum in altari magnam similitudinem video. Piam vestram prudentiam appello: quid interest ad idololatriam, vtrum vitulinum numen, an crustaceum adoretur? Scio quid respondeas, vos non panem adorare, sed Christum in pane. Et Ieroboamitici sacerdotes respondebunt, Se non vitulum colere, sed Deum in vitulo; quorum tu tamen idololatriam damnatam esse concedis. Vtrum autem Ieroboamitici sacerdotes sint exemplaria nostrorum Ministrorum, an vestrorum sacerdotum, & vtri magis abiecti & famelici sint, ij qui Deo viuo conscientiæ causa, an vestri qui aureo vitulo ventris gratia seruiunt, nihil sanè ad hanc quæstionem: ac ne hoc quidem totum exemplum, quod nihil aliud probat, quàm impium Regem iure potuisse reprehendi à Propheta, vt impius Papa potest à quouis sacerdote: nec tamen Papam ab eo diceres iure posse exauthorari, vt nec Rex est exauthora-

tus à Propheta, quamuis grauiter, vt meruit, reprehensus.

Neque leprosus Ozias quamuis iuxtà legem ab hominum societate seclusus, quem tu typum hæretici spiritualiter leprosi scilicet, ob eamque causam excommunicati, esse voluisti, vnquam est regno abdicatus, quòd Iothani filio Regni administratio commissa est. Ozias enim Rex ad mortem suam vsque permansit, vt illum Scriptura vocat vigesimo quinto anno regni sui, vitæ vltimo. Iothan igitur adhuc non Rex, sed vicarius Regis tamdiu, dum pater viueret.

4.Reg.15.

Neque verò quisquam leprosus ex lege Dei hæreditatem priuatam amisit, nedum Rex coronæ publicam. Nec igitur hæresis, quam tu spiritualem lepram appellas, quenquem expellit è regno, non plus, quàm auaritia, quàm ambitio, quàm verbi contemptus Papam eijcit è Papatu; quas Patres animæ lepras esse dixerunt. Quòd si lepra animæ Principes de solio dimouebit, quomodo Pontifices suam Cathedram retinebunt? Vt tua leprosa conclusio Pontificiam mitram non minùs, quàm Regiam coronam attingat. Est igitur hæc figura tua Pontifici non minùs perniciosa, quàm Regi.

Nam quòd sacerdotum officium esse dixisti, leprosos separare, vehementer erras. Sacerdotum fuit lepram discernere, magistratuum leprosos separare, ne alios inficerent. Ita, vt tuam contrà te figuram vrgeamus: Principum munus est potiùs leprosos, id est, hæreticos Papas, quàm Paparum hæreticos Principes separare.

Quòd autem ab Azaria & octoginta sacerdotibus alijs Regis personam fortiter oppugnatam, & è templo violenter eiectam esse dixisti: multò periculosior error est. Non enim illum violenter expulerunt, sed, vt textus habet, fecerunt, vt è templo maturaret egredi, nulla tamen vi adhibita. Sequitur enim, Quia Dominus illum percussisset, sua sponte coactum exire. Et ita verbum significat, & vulgata translatio sic habet, quam vos Hieronymi dicitis, Ipse accelerauit egredi.

2.Chron.26.

Sed scelus est, SATVRNINE, quod vestra conclusione velut obstetrice, error hic peperit. Manifestum enim exemplum esse concludis, licere sacerdotibus armis vti, & violentis modis Regum impietatem reprimere.

Azaries,

Azarias, fateor, & cæteri Sacerdotes Regi restitere, sed verbis, non armis: quòd legem fregisset incensum adolendo, vt par erat, vehementer reprehenderunt: non viriliter irruerunt in magistratum, nec violentas ei manus intulerunt, vt eum expellerent è templo, nedum vt eijcerent è regno. Postquam enim Sacerdos factum increpasset, & Rex nollet cedere, sed arma, clipeos, pila offerret, suaque potentia vteretur: Azarias conuersus ad Deum, Feci, inquit, officium meum, vltrà progredi non possum. En arma Sacerdotis, Azariæ, reprehensio, admonitio, redargutio, quibus Oziam est adortus: Feci, inquit, officium meum, reprehendi, admonui, redargui, vltrà progredi non possum. Vestri tamen, ô SATVRNINE, vltrà procedunt: & ab admonitione ad rebellionem, à reprehensionibus ad vim, à redarguitionibus ad arma confugiunt, huius & similium locorum falsis interpretationibus inducti, & decepti.

2. Cho. 26.

Sacerdotis est tantùm arguere.

Hic vos Principes appello, neque vos solùm qui à Pontifice discessistis, sed vos qui Pontifici adhæretis. Quousque tandem martios istos Sacerdotes abuti sinetis patientia vestra? quosque vobis religiosus iste furor imponet? quamdiù lupina rabies sub ouina pelle grassabitur? quamdiù sceleratissimam perduellionem in Reges sub religionis pallio occultabunt? & tanquam venena cœlo peterent, vt Hercules Æteus in tragœdia, Scripturæ sanctæ authoritate, & piorum Sacerdotum exemplis abusi, sacrę personæ vestræ vim, & maiestati probrum comparabunt?

Tum SATVRNINVS, Hoc est irasci nobis, inquit, non disputare. Sed causam, si placet, attende, cur Ozias Rex lepra percussus fuerit, quòd spiritualem & sacerdotalem functionem exequi sit ausus, cuius vos nunc Reges vestros supremos rectores constituitis.

Attendo, inquit, PATRIOTTA: & cum defendimus, licere Principibus nostris Euangelium prædicare, baptizare, cœnam Dominicam administrare, peccata remittere, tum Oziæ fastum & plagam nobis minare. Intereà disce, Regum esse, non sacerdotũ, gladium gerere: & Reges Iudæ, qui temporali gladio sunt vsi, vt veritatem restituerent, & errorem eijcerent,

eijcerent; quod Dauid, Iehosaphat, Ezechias & Iosias fecisse perhibentur; maximam esse cùm apud Deum gratiam, tum apud homines existimationem consequutos. Nos verò cum iure vobis irascimur, quòd tanquam seditiosi tribuni populum in Reges concitatis, & ad arma conclamatis, quibus Euangelicos, cum opportunitas detur, deleatis: tum in hoc vestri sanè miseremur, quòd ex sacerdotis Azariæ exemplo peruersè intellecto, & improbè detorto, & ex inanissima figura adeo pusillum sanè furoris vestri argumentum elicitis, vt nec in antecedente probabilitas vlla, nec in consequente necessitas appareat.

Nam quòd Athaliam à Iehoida Sacerdote collectis Sacerdotum & populi copijs, & vero hærede Ioash, quem in Templo conseruauerat, renuntiato Rege, & à se inuncto & coronato, de solio deiectam & interfectam esse dixisti: vt Regem legitimum propter hæresim à Papa regno vitaque priuari iure posse defenderes, miseriam causæ tuæ apertissimè prodidisti.

Quid enim aliud potes dicere quàm impiam fœminam, quæ totam Ochasiæ Regis stirpē necasset, excepto vno filio, & iniustè regnum occupasset, à vero & legitimo coronæ hærede suppressam & punitam, priùs vniuersi regni consensu renuntiato iam Rege, & inuncto & coronato, vt tu ipse confessus es?

At Iehoida summus Sacerdos, inquis, iussit illam interfici, non Rex. Certè. At iussit authoritate regia, non sua. At Rex, inquis, puer tum septem annorum fuit. At non minus Rex fuit cum esset puer septennius, quàm si fuisset vir octogenarius. Non enim regni ius minuit ætas, quod sanguis dedit.

Et Iehoida cum Athaliam iuberet interfici Regis nomine, id cum ex diuina, tum humana lege faciebat. Primùm Regem paruum viuum conseruauit in Sanctuario, & ab Athaliæ furore celatum, occultè in domo Dei educabat: deinde non princeps fuit tribus suæ, sicut alij principes suarum tribuum fuerunt, vt quantum sibi alij principes, tantum ipse sibi posset assumere, Rege puero, ad pacandum regnum, & immanem tyrannidem ergà regiam stirpem vsurpatricis Reginæ

vindi-

vindicandam. Porrò vxor eius fuit Regis amita, & ipse proximus Regi affinis, ideoque naturæ & nationum lege obligatus, vt Regis ius, ætatem, innocentiamque defenderet. Postremò, quicquid egit, cum authoritate Regis, tum communi consilio consensúque Nobilium præstitit. Nam omnes duces & primarios Patres Israelis ad se in domum Domini conuocauit, cum ijsque pactum inijt, & ab ijs iuramentum exegit in domo Dei, ijsque Regis filium ostendit. Ita non modò vt sacerdos, sed princeps tribus suæ, & Regis proximus affinis, nec suo, sed communi procerum consilio & consensu; nec suo, sed veri Regis imperio impiam Athaliam regnum, extincta priùs à se & deleta prope Regia stirpe, iniustè occupantem abdicari Iehoida, & occidi iussit. Quid hoc ad Papam, vt legitimum Principem excommunicatione sua scilicet de regno depulsum populari furori trucidandum exponat? 2.Chro.23. 4.Reg.11.

Nam quòd Eliæ zelum etiam prædicas, qui non modò Regi Achabo animosè responderit, sed quadringentos Iesabelis pseudoprophetas occiderit, factum prædicans, facti caussam & modum astutè dissimulas. Fames regni, & miraculum Eliæ caussæ fuerunt, cur Achabus Rex Baalitas in Eliæ manum ex pacto & conuento regni publico tradiderit per populum occidendos iuxta legem Dei.

At Elias, inquis, occidit. Quid? Manu sua? Prophetam carnificem putas fuisse? Non, inquies: quamuis autem non Eliæ manu, at Eliæ authoritate sunt occisi. Cõsilio potiùs diceres, quàm authoritate. Fuit enim Elias priuatus, non magistratus. At Achabus, nisi institisset Elias, nunquam illos occidisset. Credo, Regem induxit Elias, vt faceret, non compulit. Consensit Achabus cum toto Israele, vt Baalitæ sacerdotes, qui Regem & populum seduxissent, conuicti iuxta Dei legem occiderentur.

Nam cum extrema fames ingruisset, nec pluuia nisi verbo Eliæ decidere posset, vt Elias Achabo ante siccitatem prædixerat: accusatus ab Achabo tanquam author famis, & perturbator Israelis, seipsum defendit, & coram Rege testatus est, Deum plagam hanc vniuerso Israeli immisisse, quòd ipse,

& patris familia mandata Dei reliquiſſet, & alienos Deos coluiſſet. Et vt ſententiam ſuam confirmaret, obtulit ſe probaturum coram toto Iſraele ſub pœna capitis ſui, Regem & Iſraelem à ſacerdotibus Baalitis ſeductos fuiſſe, idq; ſe conuicturum miraculo, id eſt, igni cœlitùs demiſſo, qui oſtenderet cuius ſacrificium Deus approbaret: promittens illis pluuiæ copiam poſt conuerſionem Iſraelis ad verum Deum, quam ad rem ſe miſſum ad illos hoc tempore fuiſſe prędicauit. Huic conditioni Rex, & cæteri omnes aſſenſerunt: & cum Eliæ ſigno Baalitas impoſtores manifeſtò conuictos fuiſſe vidiſſent, & in faciem procidiſſent, Deoque gloriam dediſſent, ſeſeque veritati Dei humillimè ſubmiſiſſent: Elias author fuit, vt Baalitas apprehenderēt, & pœna mortis, quam ſeductores & impoſtores dare debuerant, ex Dei lege mulctarent. Ita perſuaſit Elias Achabo totique Iſraeli, vt Baalitarum cædem decreto publico ſancirent. Ergo conſenſu Achabi, & decreto regni, tanta neceſſitate, & tam inſigni miraculo per Prophetam expreſſo, Eliæ non manu, ſed ſuaſu, populus iuxta legem Dei Baalitas impoſtores publicè cōuictos publicè interemit; Quo modo trahes hoc exemplum ad cauſam tuam. Num ita diſputabis? Pſeudoprophetę iure poſſunt à magiſtratibus occidi: ergo Principes iure poſſunt à ſacerdotibus abdicari. Non tam ad ſcholas te relegabo, vt meliorem diſcas logicam, quàm ad Antyciras, vt affectum purges cerebrum, ſi ſic diſputaris.

At igni cœlitùs deuocato, inquies, Ochaſiæ duces & nuntios ipſe conſumpſit. Elias verbum edidit: Deus factum præſtitit. Ita Deus illos occidit, non Elias. Et ignis ille cœleſtis non erat in Eliæ poteſtate, ſed in Dei voluntate; quòd niſi Elias ſpecialem inſtinctum Spiritus diuini ad eam rem accepiſſet, nunquam auſus eſſet ignem de cœlo deuocare: id enim fuiſſet Deum manifeſtè tentare. Id quod Chriſtus in Apoſtolis Eliam imitari volentibus reprehendit. Vt erant iſta extraordinaria, ita nullo modo poteſtis ex illis vel concluſionem exprimere, vel exemplum aſſumere vobis ad imitandum, non plus, quàm poteſtis furtum permittere, quoniam Iſrael Dei iuſſu expilauit Ægyptum: aut perſuadere vt quis ſeipſum

ſum occidat, quia Sampſon ſeipſum occidit: aut docere, vt execrentur & interimant pueros, quoniam Elizæus, quadraginta duos ita tractarit, qui illum in Bethele deriſerant. Sed hîc vos peruerſos Eliæ imitatores agnoſco, quòd ignem conſumentem cogitaſtis adhibere: ſed Elias ignem è cœli ſedibus deuocauit, vos ex inferni cauernulis excitaſtis: Elias inſtinctu Dei, vos impulſu diaboli. Et tamen Elias ne tetigit quidem Regem, nedum depoſuit; vos autem Regem non modò deponere, ſed Regem cum excellenti progenie regnoque conſumere cogitaſtis.

At Elias mandato Dei Iehu Regem Iſraelis inunxit, inquis, & filium, ac totam Achabi domum in perpetuum de regno deiecit.

Elias non inunxit Iehu, ſed vnus ex filijs Prophetarum, quem miſit Elizæus, eique Dei nomine mandauit, non Elizæi, (attende) ſed Dei nomine, vt Iehu gladium ſumeret, & Achabi domum extirparet. Non hic igitur Rex à Propheta deiectus, ſed occiſus à Iehu, cui Deus dedit regnũ Achabi, vt Achabum eiuſq; domum & progeniẽ exſcinderet. Iam ſi placet, argumentum tuum expendamus. Deus iure poteſt regna quibus velit dare, & ſubditum nominatim excitare ad domini ſui peccatum vlciſcendum: idem igitur iure Papa facere poteſt. Quis iam Rex Catholicus tutus à ſeruorum inſidijs poteſt eſſe, ſi Papæ cœperit diſplicere? Talibus argumentis Anglo-Ieſuitę libris Anglicè ſcriptis noſtros faſcinare homines conati ſunt, vt noſtros sereniſſimos Principes de medio tollerent. Annon vera ſunt mancipia Antichriſti, & membra diaboli, qui talibus argumentis Papæ ad Regum perniciem aſſentantur?

At Elias Reges deiecit, inquis, & deſtruxit, hoc eſt dicere, deijciendos prædixit, ſi Hugoni credis Cardinali. Et Ieremias ſuper regna conſtitutus eſt, vt regna plantet & extirpet, extruat & deſtruat. Hoc eſt, vt idem doctus Cardinalis expoſuit, conſtitui te, inquit Deus, vt euellas: id eſt, Iudæos eſſe euellendos de terra ſua, enuncies: & deſtruas, id eſt, ciuitatem Ieruſalem deſtruendam, prophetes: & diſperdas, id eſt, eos diſperdendos à Principibus Chaldæorum prædices: [Hugo Card. in Ierem. c. 1.]

& dissipes, id est, dissipandum prædices regnum Iudæorum per captiuitatem. Et ne Iudæi desperarent, non solùm eorum captiuitatem prædixit, sed etiam liberationem, addens, Et ædifices, id est, ciuitatem reædificandam nunties: & plantes, id est, Iudæos adhuc plantandos esse in Iudæa prædices. Hunc sensum literalem Hugo Cardinalis dedit, vt omittam mysticum, quo prophetica doctrina regnum peccati extirpandum & destruendum, & regnum virtutis in conscientia extruendum atque plantandum intellexit.

Excussimus exempla vestra, ex quibus conclusionem infers malè cohærentem: primam, legitimè creatos & inunctos Reges de iure posse deponi. Respondeo, Principum quos nominasti vnum fuisse depositum, vt Achabum, non ab Elia, vel Elizæo, sed à Iehu, quem Deus ore suo nominatim excitauit. Depositio igitur facta non à Propheta, sed à Principe ad id nominatim designato. Quid hæc causam tuam adiuuat, alios vel non depositos, vel non legitimè creatos? Non depositus est Saul: stirpem eius de regni successione, non de regni possessione personam constat fuisse deiectam.

Ieroboamus à Propheta seuerè reprehensus, non violenter abdicatus. Ozias, vt leprosus, separatus ab administratione, sed non à iure regni. Athalia nunquam legitimè creata est, & propter nefariam stirpis regiæ cædem, non sacerdotis, sed Regis authoritate interfecta.

Secunda conclusio superuacanea est, quibus de causis Principes de facto fuerint abdicati. Quid opus est quærere, quibus de causis fuerint abdicati, cum abdicatos fuisse non probes? Athalia neque propter apostasiam, neque propter hæresim interempta: sed quòd coronam contrà verum hæredem occupasset. Oziæ laudauit acta Deus, sed superbiam detestatus. Ieroboamus & apostata & idololatra, & tamen nunquam depositus. Achabus idololatra cum tota sua stirpe deiectus, sed à magistratu, non à sacerdote. Causæ igitur, quas affers, causam tuam minùs adiuuant.

Postrema conclusio, quæ personas deponentes attingit, planè claudicat. Ais Deum vsum ministerio Prophetarum & sacerdotum ad eam rem vel ordinario vel extraordinario,

tanquam iudicum vel exequutorum diuinæ voluntatis. Vſus eſt linguis Deus, vt dixi, ſacerdotum & Prophetarum ad prædicendas, & denuntiandas plagas, quas Regibus infligere decreuit: & manibus interdum, ad eos inungendos, quos regni ſucceſſores nominatim deſignauit: ſed nunquam vſus eſt illis vel vt ordinarijs, vel vt extraordinarijs iudicibus, vel executoribus ſuæ voluntatis in regibus deponendis. Vſus eſt nuntijs, qui viua voce ad Reges Dei decreta perferrent, vel depoſitos à Deo, vel deſignatos: aliam vel executionem vel authoritatem nullam habuerunt. Quæ longiſſime abeſt ab illa poteſtate quam Papæ vendicatis, quem Regum ordinarium iudicem, pædagogum, correctorem dicitis. Et vos, ô Reges, ferulam admittitis? oſculamini virgam, quæ vos toties verberauit? & patiendo pædagogum magis plagoſum facitis? Sed ad te reuertar, SATVRNINE.

Non habes, non habes vnum ſacerdotem aut Prophetam ſub veteri Teſtamento, qui Regem depoſuerit: at Regem, qui ſacerdotem depoſuerit, habeo, Quemnam, inquies? Non dico Saulem qui Abimelechum, quòd Dauidi fauerit, interemit: taceo Regem Ioaſh, qui Zachariam Iehoidæ filium immemor paternæ virtutis & officij lapidari iuſſit: habeo Salomonem, qui Abiatharum ſummum ſacerdotem de primatu & honore dimouit, quia partes Adoniæ fratris natu maioris eſt ſequutus. Cum ex tua concluſione ſequeretur, Salomonem potiùs deponendum fuiſſe, quia ſummus ſacerdos Adoniæ ius ad regnum melius quàm Salomonis iudicaſſet.

Quòd autem addidiſti, Principes dignitatem & ſupremam authoritatem ſuam à Deo acceptam tenere, quam tibi veritas vocem expreſſit, quia perrarò accidit, libentèr accipio: & inde concludo, Deum ſolum habere deſtituendi Reges poteſtatem, qui conſtituit: Deoque ſoli Reges teneri rationem officij ſui reddere, à quo honorem acceperunt. Cum autem finem acceptæ à Deo ſupremæ regiæ maieſtatis adiungeres, vt verum Dei cultum & honorem promouerent, & populum ſuum in fide & timore Domini continerent: mirabar, quid eſſet, cur cum ſemper ferè negetis Regem ſeſe ſpiritualibus rebus & cauſis immiſcere oportere, nunc velut

obliti ſententiæ veſtræ, ad Dei cultum promouendum, & ſupremi Domini ſui honorem excitandum, & populum in fide ac timore Domini conſeruandum, tanquam præcipuum dignitatis ſuæ finem, dirigatis. Quod das, accipimus: ſed quod adiungis, ſacerdotes & Prophetas oppoſuiſſe ſe Regibus in ijs rebus omnibus, quæ vel Deo dedecus, vel religioni interitum, vel animabus damnationem inferrent, id ſanè veremur, niſi teipſum priùs explices, vt tibi poſſimus concedere. Nam ſi oppoſuiſſe ſe dicas vt Viros Dei, verbo & conſilio vt grauiter admonerent, aut acriter etiam increparent eiuſmodi Principes, ſanctæ vocationis libertatem agnoſcimus. Sin vt Regum iudices authoritate & imperio, vt illos vel iudicialiter abdicarent, vel violentèr inuaderent, turbulenti ſpiritus arrogantiam deteſtamur.

Alanus.

At inter Deum atque Regem quædam eſt quaſi conuentio, quæ ſemper poſteà vim ſuam vel explicitè, vel implicitè ſaltē obtinuit, Nequis, &c. Eſto. Et quid ſi Rex articulum huius fœderis aliquem violarit, quis illum poſtulabit? quo in tribunali? quo iudice reus peragetur? vtrum in foro populi, qui pro forma Regem elegit & acceptauit, an in ſacerdotis Conſiſtorio, qui inunxit & conſecrauit? Video quid reſpondeas: Sacerdos, qui inunxit conditionaliter, vt cultum Dei honoremq; defenderent, rurſum abdicauit, cum conditionem pactumque cum Deo ictum violarent: & Dei nomine iuſtitiam eſt, vt loqueris, exequutus in eos, qui ſummo imperio ſuo ſunt abuſi.

Nouem & decem Scriptura commemorat Reges Iſraelis, & quatuordecem Reges Iudæ, qui pactum cum Domino initum violarunt, & ad peregrinos deos defecerunt, populumque ſecū ad apoſtaſiam compulerunt: doce vnum à ſacerdote aut Propheta fuiſſe depoſitum, quòd primariam illam conditionem violaſſet, & cauſam obtine. Si non potes, deſine mentiri, deſine tibi ipſi contradicere, quem modò audiuimus confitentem Reges ſupremam authoritatem à Deo acceptam tenere, non igitur vel à ſacerdote, vel à populo: nec teneri propterea violatæ conditionis rationem reddere vel ſacerdoti, vel populo, ſed Deo. Coronam enim ſuam tenent iure

ſanguinis

ſanguinis atque hæreditatis, non virtute vel inunctionis & conſecrationis, vel electionis & acceptationis, vt vos dicere ſoletis: quò poteſtatem conferre poſſitis aliquam depoſitionis atque abdicationis. ſacerdoti, quem primum quaſi motorem facitis, & populo, quem remotorem. Ita ſcilicet Reges hypotheticos ponitis, & ſubditos conditionales; ſacerdotes autem categoricos & abſolutos: in eo quidem valdè ſimplices, quòd quam à Deo deponendi Regis poteſtatem, vt dicis, acceperant, eam ſub toto veteri Teſtamento nunquam in actum eduxerint.

Iacet igitur illud argumentum tuum à fortiori, & planè flacceſcit: Quòd ſi tanta vis ſacerdotalis excommunicationis fuit ſub veteri Teſtamento, quanto maior atque amplior ſub nouo? At ſub veteri nullam planè fuiſſe conuicimus.

Tandem regrederis, & primum illud tuum blaſphemum repetis argumentum, non ſatis prouidentem fuiſſe Deum, ſed Eccleſiam miſeram, orbam aut viduam reliquiſſe, niſi Sacerdotem ſummum dediſſet ei ſcilicet vel tutorem, vel maritum.i. Perinde ac ſi non viueret pater & ſponſus Eccleſiæ, vt alter filiæ, alter coniugi ſuæ prouideret: aut illum ſuo loco vellet aſcribere tutorem filiæ quem aduerſarium, vel aſciſcere maritum ſponſæ, quem adulterum futurum prædixiſſet.

Poſtremò, quaſi Petrus & Paulus diſſimulaſſent, & obedientiam Neroni tantiſper, dum poſſent Chriſtiani reſiſtere, præcepiſſent: cæterique poſtea Chriſtiani Epiſcopi in eandem diſſimulantiam tot ſæculis conſenſiſſent: non vereris dicere, iure quidem tum Epiſcopos potuiſſe excommunicare ſuos Principes, & excommunicatos deponere, ſi tum vires habuiſſet Eccleſia ad reſiſtendum.

Certè, inquit SATVRNINVS. Nam Chriſti ſacerdotalis prærogatiua, qua potuit eiuſmodi Reges quaſi vaſcula lutea ferreo ſceptro confringere, amplis & præciſis verbis communicata ſummo Sacerdoti Romano Pontifici, (quam tu rationem allatam à nobis tanquam ignotum hominem præteriſti) primis illis Epiſcopis poteſtatem, & ius ad rem, vt iureconſulti loquuntur, dedit, vt Reges infideles, apoſtatas

apoſtatas, hæreticos, & tyrannos excommunicando deponerent: ſed potentiam illam in actum nunquam eduxit Eccleſia, nec ius ſuum facto ſanxit & confirmauit, donec vires ſuas eſt progreſſu temporis conſequuta.

Nam illud Chriſti allatum à te, Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo: annon ſubijcit Cæſarem vicario Dei coercendum, ſi quæ ſint Dei, Deo deneget? Et cum Chriſtus ter diceret Petro, Paſce Agnos meos, paſce Oues meas, paſce Oues meas; annon omnes Chriſtianos paruos & magnos, Agnos & Oues, ſubditos & Principes, Petro Petrique ſucceſſori paſcendos regendoſque ſine exceptione commiſit? Et cum Petro ac Petri ſucceſſori claues cœli concredidit, vt intromitteret, & excluderet: annon diuinam illam & admirabilem virtutem excommunicationis oſtendit, quam tu ſcilicet elumbem atque eneruem planè eſſe voluiſti? Nam quòd Prælatos, & Pontifices Regibus ſubiectos atque obedientes eſſe oportere dixiſti, mirabar, cur alterius mandati nihilò minùs Apoſtolici fueris oblitus, quo Reges æquè

Heb. 13. 17. ac ſubditos obligauit, vt Prælatis ac Paſtoribus obedirent, ſeſeque ſubijcerent, vt illis à quibus Deo pro ſuis animabus ratio reddenda eſt? In quo quis Princeps Chriſtianus ſe poteſt excipere, modò ſe animam habere arbitretur?

Tum PATRIOTTA, Rationem illam tuam, SATVRNINE, de Chriſti prærogatiua communicata Pontifici, prætcrij non vt ignotam, ſed vt otioſam. Prærogatiuā verò, qua Chriſtus Reges & regna confringit & conterit, nō ſacerdotalem, ſed regiam fuiſſe Propheta declarat. Poſui Regem meum, inquit Deus, &c. Non igitur vt ſacerdos, ſed vt Rex, Reges impios ferreo ſceptro ſuo fregit & comminuit. Vt ſacerdos crucem tulit, vt Rex ſceptrum geſtat. Vt ſacerdos ſeipſum obtulit in cruce, & ſanguinem ſuum fundi paſſus eſt in remiſſionem peccatorum; vt Rex hoſtes ſuos ſubiugauit, eorumque ſanguinem fudit, potentiamque proſtrauit & contudit. Huius aſpectu tantæ gloriæ, quæ reſidet in vno Chriſto, oculos noſtros quaſi præſtringuere conatus es, dum clam Regis ſceptrum Papæ tui pedibus conculcandum ſubieciſti.

Ais enim, hanc Chriſti prærogatiuam communicatam eſſe Pontifici.

Pontifici. Scilicet. Et quidem amplis & præcisis verbis. Vbi illa sunt? Designa locum, ostende diploma, quo Christus sacerdotalem prærogatiuam suam cum Rom. Pontifice cõmunicauit. Alij quidem plures facti sunt sacerdotes, inquit Paulus, quòd morte prohiberentur permanere: hic autem, quia in æternum manet, immutabile habet sacerdotium, vnde & seruare perfectè potest eos, qui per ipsum ad Deum accedunt, semper viuens vt intercedat pro nobis. Talis enim nos decebat Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, &c, cœlis sublimior factus: qui non necesse habeat quotidiè, quemadmodum sacerdotes (Leuitici) primum pro suis peccatis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim semel fecit, cum seipsum obtulit, vnicum sacrificium pro peccato, vt pro nobis æternam obtineret redemptionem. Eat iam Pontifex Romanus, & has sacerdotales Christi prærogatiuas sibi amplis verbis præcisè communicatas iactitet, vt omnes os hominis impuri blasphemum conspuant.

Heb. 7. ver. 23. 24. 25. 26.

At si non omnes, inquies, aliquas saltem prærogatiuas communicauit. Quas tandem? Claues regni cœlorum, claudendi cœli & aperiendi: ligandi & soluendi potestatem: pascendi, & regendi authoritatem. Quibus omnibus plus quàm insinuas, iure posse Pontificem Cæsari vi excommunicationis extorquere sceptrum, coronam, gladium, subditos, regnum, & vitam. Hæc enim sunt Cæsaris.

Ergo cum Christus ita dixit Petro, Pasce Oues meas, hoc sensit, Depone Principes. Dabo tibi claues regni cœlorum. Hoc est, dabo tibi thronos Regum terrenorum, vt intromittas quem velis, in regnum: & quem velis excludas. Vt soluas subditos, quos libeat: & quos libeat, liges. Vt quos velis punias, & quibus velis, remittas. Noua iam credo, nobis non Theologia modò, sed grammatica & logica discenda est.

Pascere Oues Christi, & Christianos Principes abdicare, synonima sunt apud Pontificios.

Ligare peccata idem est, ac ligare sceptra.

Excludere Regem è templo, & eijcere Regem è regno, &

vita, synonima sunt apud vos.

O diuinam & admirabilem virtutem excommunicationis, quæ nouam planè grammaticam in Theologiam induxit! Quid, quòd nouam etiam logicam intulit?

Principes omnes doceri debent à summo sacerdote: ergò deponi possunt. Possunt ex regno cœlorum excludi: ergò etiam ex regnis suis terrenis exterminari. Principes sanæ doctrinæ à suis pastoribus allatæ obedire debent. Ergò si recusent, iure ab illis abdicari possunt. Dura profectò conditio Principum. Sed quid faciant? tantum excommunicatio potest, si credimus SATVRNINO. Sed habetis alios catholicos Doctores, vt audio, honestiores aliquantò, qui excommunicationis vim, quoad eiusmodi portentosos effectus, penitus elidunt & eneruant. Nam vt taceamus Augustinum, qui raro censuit adhibendam esse excommunicationem Principum, & cum adhiberi necesse sit, non ad eradicandum referri dicit oportere, sed ad corrigendum. Vt Bernardum omittamus, qui non est veritus Eugenio Papæ dicere: Ergo in criminibus, non in possessionibus potestas vestra, quoniam propter illa & non propter has accepistis claues regni cœlorum. Thomas Aquinas, ille vester Doctor Angelicus dixit, aliud excommunicationem esse, aliud eradicationem. Quod idem etiam in epistola Vrbani Papæ in iure canonico scriptũ reperimus, cuius rationem affert ex Apostolo qui dicit, excõmunicatum ad hoc excommunicari, vt spiritus eius saluus fiat in die Domini. Adhibetur igitur ad correctionem, non ad ruinam. Disciplina enim est excommunicatio, inquit Vrbanus Pontifex, non eradicatio. Vterque, cùm summista, tum Pontifex sumpsisse videtur distinctionem suam ex Augustino. Scribit Soto excommunicationem non esse priuationem alicuius boni proprij, quod transgressor legis prius possederat: sed esse priuationem bonorum communium, quæ ab Ecclesia erat percepturus, & receptionis sacramentorum. Potest igitur excommunicatio, si vestris etiam creditis, Regem templo excludere, non regno: sacramento priuare, non sceptro: separare à communione fidelium, non ab obedientia subditorum: seruare animam, non destruere corpus: remoue-

August contra Epistol. Parmen. lib. 3. cap. 2.

De consider. ad Eugenium lib. 2.

Thom. 2. 2. quæst. 11. arti. 3.

Decreta 2. parte caus. 24. qu. 3. ca. 37.

re

re à cœlestis regni finibus, donec resipuerit, non à terrenis suis ditionibus expellere, aut subiectis laxare habenas, aut iurata fide liberare. Vt habet Ludouicus Richeomus in Apologetico. Hæc canoni congruunt. Reddite, inquit Christus, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: quæ sunt Dei, Deo. Quæ sunt Cæsaris? Sceptrum corona, gladius. Quæ sunt Dei? Fides nostra, adoratio, inuocatio, totaque obedientia spiritualis?

Christus igitur, Reddite, inquit sceptrum, coronam, gladium Cæsari. Quid tu, SATVRNINE? Vicarius Dei scilicet, auferat Cæsari excommunicato sceptrum, coronam, & gladium. Hæccine synonima tua sunt, reddere, & auferre? Matth.22.

Christus, si voluisset, potuisset sic excommunicare Tiberium, & Angelicum à Patre exercitum impetrare, vt eum de solio deijceret. Noluit. Venit enim vt cœlestem coronam daret, non vt terrenam auferret. Quum quidam diceret, Rabbi, iube fratrem meum hæreditatem diuidere, respondit Dominus, Quis me constituit iudicem inter vos? 12. Lucæ. Christus priuatæ hæreditatis herciscundæ authoritatem non est ratus ad suam vocationem pertinere: quis igitur potuit Papam constituere iudicem & diribitorem regalium coronarum? Christus à Pilato interrogatus, quod tandem sibi vendicaret regnum, respondit, Regnum meum non est de hoc mundo: Ioh.18. tu verò, SATVRNINE, vna clauiculæ versione, quam Petrus cum cæteris accepit, omnia quæ sunt Cæsaris disponenda tradidisti Vicario Christi scilicet. Ergò quod Christus non potuit, poterit Christi Vicarius? quod sibi Dominus non sumpsit, id arrogabit seruus?

O simplicem Christi discipulum Petrum, vestrum, vt dicitis, fundatorem. Non enim ille Neronem excommunicatione de solio deturbauit: non ille Christianos à fidelitatis iuramento vel suscipiendo prohibuit, vel suscepto liberauit: non ille ditiones eius & regna disposuit: non ille seruos contra dominum armauit: non ille alios Principes contra Imperatorem concitauit. Patiendo docuit martyrij gloriam, non resistendo perduellionis infamiam acquirendam: præsertim Episcopis, quibus persuadendi potentiam, non cogendi: docendi, non pugnandi partes: precum, non armorum v-

vsum commendauit. Licebit igitur Petri successori, quod non licuit fundatori? Non intellexit Petrus quid esset Oues pascere. Non didicit, quid esset ligare & soluere. Non cognouit hanc virtutem clauium. Nondum in vestrum inciderat Dictionarium. Potuisset sic verbo percutere Neronem, vt percussit Ananiam; sed institit vestigijs Magistri sui: & simplicem obedientiam Neroni præstitit, vt ille Tiberio.
Cuius successores tantum aberat, vt resisterent Imperatoribus, serui dominis, vt trecentis annis vsque ad Syluestrum subiecerint sese Ethnicis patienter, vt martyres: & trecentis vsque ad Bonifacium, Christianis, & Catholicis & hæreticis obtemperarint humiliter, vt beneficiarij: & quadringentis vsque ad GREGORIVM septimum, etiam absentibus obedierint tolerabiliter, vt manumissi. Fuerunt enim varia, vt imperij, sic Ecclesiæ tempora: diuersaque vt Imperatorum, sic Episcoporum conditio. Vno & præsente Imperatore paruus Episcopus: absente & diuiso magnus Imperatorijs velut exuuijs, quas in Italia reliquit: vnde fracto paulatim exutoq; Domino seruus insultare cœpit, quod vtinam facere desistat:

Ne si fortè suas repetitum venerit olim
Grex. *Rex auium plumas, moueat cornicula risum,*
Furtiuis nudata coloribus.

Nam certè ab initio non fuit sic: vt baculus gladio, pedum sceptro, mitra coronæ repugnaret.

Nec mirum, inquis. Deerant enim tum temporales vires Christianis Episcopis. Iure potuissent tum excommunicare atque deponere Principes, si satis magnas habuisset Ecclesia vires ad resistendum. Vt duo, non ædificantis, sed destruentis Theologiæ magistri docuerunt, Alanus & Bellarminus.

Alan. cont ex-ecut. Angl. Iustit. pag. 167. Bell. de Rom Pont. l. 5. cap. 7.

Ita, credo: Paulus Apostolus cũ veteres Christianos paucos & debiles animaduerteret, docuit ne tũ potestati resisterent: scilicet tempori potiùs, quàm veritati seruiebat: cũ illos Neroni conscientiæ causa doceret subiectos esse oportere. Nam cũ numero & viribus aucti possent resistere, si hisce Cardinalibus credimus, non iam pati ampliùs, vt Martyres, sed facere gloriosè vt milites debuisse. Ita videlicet cõmoda interpretatione correxerunt Apostolicã disciplinã, & cornicum, vt dicitur,

tur, oculos confixerunt, & Spiritus sancti regulas, quæ perpetuæ atque immutabiles esse debebant, ad praxim Ecclesiæ pro re nata prudenter inflexerunt. Sed vnum vereor, ne diluere non possint. Resistere potestati damnatio est, inquit Apostolus: quid est igitur manus violentas inferre? Moses prohibuit, ne populus Rectori suo malediceret: num permisit, vt si posset, resisteret? Salomon vetuit, nequis in conscientia sua Regem execraretur: num concessit, vt Regem, si posset, vi deponeret? Iudas Apostolus impuros somniatores appellauit, qui excellentias gloriasque mundi (sic enim Principes appellat) maledictis incesserent: num Cardinales pro sanctis doctoribus haberet, qui populo persuadent, vt Principem è regno suo, si possit, armis eijciat?

Credamus hoc, si possumus, Mosem, Salomonem, & Iudam Apostolum, cum subditorum linguas voluerint astrictas, manus solutas reliquisse. Ieremias Propheta Iudæos captiuos est hortatus, vt preces pro Regis Babylonij vita conciperent: Paulus Apostolus Christianos afflictos admonuit, vt Deo pro incolumitate Neronis supplicarent. Num credibile est Prophetam & Apostolum, pro quorum incolumitate preces à subditis fundi volebant, eorum fundi sanguinem voluisse? Nisi forte putes Apostolum similem Carolo quinto fuisse, qui preces fieri publicas pro Clementis septimi liberatione mandabat, quem ipsius interim legiones captiuum detinebant.

Expecto, dum sic exponant Cardinales Apostoli locum, iussisse vt precarentur pro Nerone, quia deerant illis vires ad resistendum: sed si vires habuissent, iure potuisse à precibus ad vim, ab orationibus ad arma confugere. O martios sacerdotes. Intereà quam iniuriam Petro Petrique successoribus faciunt, qui mortem pro Christo oppetiuerunt, quibus non animum ad resistendum innuunt, sed potentiam defuisse? Præclaros verò martyres faciunt, si cum pro veritate morerentur, ex afflictis corporibus rebelles animas emiserunt.

Ac miror sanè duos tam doctos Cardinales tam ignaros historiæ fuisse, vt dicerent Christianos iure tum potuisse resistere, si vires habuissent: cum Tertullianus contrà regerat, habu- Tertull. in Apologet.

habuiſſe tum vires, ſed iure reſiſtere non potuiſſe. Quod ſi ſecundo poſt Chriſtum ſæculo verè dici potuit, quantò verius quarto, quinto, ſexto ſæculo, cum Chriſtiani gratia multorum Principum ornati, legum præſidio muniti, religionem Catholicam palàm & liberè profiterentur. Celebre eſt illud Auguſtini, Milites Chriſtianos ſub Iuliano apoſtata obtéperaſſe domino temporali, non quòd, vt iſti ſomniant, carerent viribus ad reſiſtendum, ſed propter Dominum æternum. Nam Chriſtiani milites in expeditione contrà Perſas Iulianum longè à domo atque ab auxilio remotum opprimere facilè potuiſſent. At erant, inquies, pagani milites, qui cum Iuliano ad bellum Perſicum ſunt profecti. Immò verò, vt author eſt Socrates, proximo poſt Iuliani mortem die, cum Iouinianus ab illis Imperator electus honorem recuſaret, quòd maiorem partem exercitus paganam eſſe ſuſpicaretur, omnes vna communi voce conclamarunt, ſe eſſe Chriſtianos. Scripſere tum Patres contrà Iulianum, non pugnauere: & calamis ſunt vſi, non armis: argumentis Apoſtatam percullere, non gladijs: quemadmodum etiam Conſtantium & Valentem Imperatores hæreticos tractauère.

Auguſt. in Pſal. 124.

Socrat. lib. 3. cap. 22.

At veſtri iam Cardinales & Patres, non iam calamo ſolùm, ſed gladio rem tentandam exiſtimant contrà Principes, poſtquam ſemel denuntiati ſunt excommunicati propter hæreſim, & ſubditos obedientiæ vinculo iam abſolutos, arma ferre contrà ſuos quondam Principes debere pronuntiant: & hoc vt præcipuum caput Catholicæ fidei ad ſalutem animæ conducentis Catholicis obtrudunt.

Quanquam ſum nactus aliquos, qui etiam ante declarationem ab Eccleſia factam, hæreticum Principem ipſo iure de facto abdicatum à ſubditis vi expellendum docent. Sed negat ante ſententiam publicè latam abſolui ſubditos Caietanus. Benignè: quòd aliquid ſaltem hæretico Principi largiatur.

Caietanus.

At Alanus omnes hæreticos non modò poſtquam nominatim & particulatim denuntientur, ſed ex lege, ipſo facto, quamprimùm hæretici eſſe cœperint, aut de iure excommunicatos, facit regnis ſuis abdicatos. Vt fama, ſic hæreſis

Vi-

—*Vires acquirit eundo.*

Feruētior Alanus, quàm Caietanus: qui bellum pium, iustum, & honoratum, quod subditi cum suo Principe hæretico gerunt, esse pronuntiat: & nobiles Anglicanos admonet, vt se contrà Reginam cum hoste coniungant.

Postquam autem Cardinalis noster tanquam Apollo aliquis ex tripode sententiam suam pronuntiasset: Philopater certam esse, & de fide, & indubitatam omnium doctissimorum sententiam, & Apostolicæ doctrinæ conformem audacter prædicat: Quemcunque Principem Christianum, si à religione Catholica manifestò deflexerit, & alios auocare voluerit, excidere statim omni potestate & dignitate, ex ipsa vi iuris tum humani, tum diuini, hocque ante sententiam supremi Pastoris ac iudicis contrà ipsum prolatam; & subditos quoscunque liberos esse ab omni iuramenti obligatione, quod de obedientia tanquam Principi legitimo præstitissent: posseque, & debere, si vires habeant, istiusmodi hominem tanquam apostatam, hæreticum, ac Christi domini desertorem, & reipub. suæ inimicum hostemque, ex hominum Christianorum dominatu eijcere. Philop. 194.

Exortus est alius, vir igneo spiritu, & planè alter SATVRNINVS aut Gracchus, Guilielmus Reynoldus, qui Henricum tertium Gallorum Regem ipso facto excommunicatum dixit, quòd faueret hæreticis, &c. Quem post longam disputationem iure interfectum esse concludit ante excommunicationem publicatam: non enim, inquit, percipit formulam publicus dolor. Et quamuis in occulto crimine nemo debeat condemnari indicta causa, aut antequam citetur: tamen in publicis & notorijs, euidens notitia facti sententiæ locum tenet. Quid hic faceret hæretico Principi, qui ne Catholico quidem parcendum iudicauit? De iusta abdic. Henri. 3. Gall. Regis.

Symancha procedit vlterius, & occultum hæreticum excommunicatum, ipso iure pronuntiat, nec ipsum modò, sed etiam filium: quoniam hæresis est lepra, & ex leprosis parentibus leprosi generantur filij, regni successione depulsum, O perditissimum nebulonem, qui stirpem exscindit cum surculis! De occul. titu. 42. sect. 2. fol. 193.

Tepidiores Aquinas, & Toletanus & Caietanus: isti rem resecant ad viuum, nec frigidè & scholasticè loquuntur, vt illi, sed loquuntur ad rem.

Possum nominare sacerdotes, qui arma gesserint: & tu geri iure posse ab illis, SATVRNINE, antè dixisti.

Odiosæ sunt, inquit SATVRNINVS, calumniæ vestræ, quibus sacerdotes nostros oneratis, tanquam arma gesserint. Spiritualibus, non corporalibus gladijs vtuntur.

At spiritualis vester gladius imperet corporali, si Papa iusserit, oportet, inquit PATRIOTTA. Et vos suadetis, vt alij arma capiant, quod fecit Alanus. Quid autem interest inter authorem sceleris & actorem? vtrùm consulas alijs, vt arma gerant contrà Principem, an ipse geras? Non armas, inquis, manum subditi. At animum inflammas. Non procudis ensem: at spiritum acuis absolutionibus, promissis, laudibus, præmijs, neque in hoc solùm sæculo, sed etiam in futuro. Hæccine est fides vestra Catholica? Hoccine saluti conducit animarum? Christus & Apostoli doctrina & exemplo suo discipulos suos ad humilitatem, patientiam, fidem, obedientiam erudiuerunt. Vos discipulos vestros ad insolentiam, furorem, perfidiam, & seditionem incitatis. Deus bone, vestra ista noua Theologia quantum à veteri dissidet? quid docuerit Christus & Apostoli, antè vidistis: videte quid fecerint. Christus pro Ecclesiæ redemptione suum effundi sanguinem est passus. Christi Vicarius, vt dicitur, pro imperij propagatione semper iam fundit alienum. Petrus & Paulus pro confirmatione fidei, martyrium à Principe allatum æquis animis tulerunt: in eorumque vestigijs multi posteà Romani Pontifices, sanctissimi homines, institerunt. Vos autem illorum degener & spuria planè progenies, pro obsignatione perfidiæ crudelissimum post homines natos toti genti nostræ martyriũ iniquissimis animis inferre voluistis. O rem indignam. Ergò spiritualis Regum Pater, vt vocatur, Maiestatem regiam conculcabit? Et Pastor gregis vniuersalis, gregis non lacte, sed cruore pascetur? Et pedo sceptra confringet? & excommunicatione, quæ tantùm pertingit ad animas, coronas deijciet? & populum, quem commotum pacare debuit, pacatum

pacatum commouebit? & Principes, quos iratos placare oportuit, placatos inter se clam committit? hasque duas sceleratissimas artes, discordiam Regum, & rebellionem subditorum, sanctissimo religionis titulo commendabit? perinde ac si, cum omnia tumultibus & cædibus impleuerit, demereri se Dei gratiam cruento innocentium sacrificio iudicaret. Deus hactenus consilia Papæ contra Anglicanam coronam inita patefecit; Deus in vobis vindicauit: & saxum illud, quod quotidie voluitis, in vestra, ô seditiosi sacerdotes, capita reuoluit. Quid enim? Non luce clariores vestras quotidianas insidias? non artes omnes multis experimentis explorate cognitas & perspectas putatis? vt ipsi tanquam Sinones intus latetis, amorem Catholicis vestris quouis odio peiorem profitentes, suadentesque vt fidem Regi iuratam violent, & equũ illum Troianum dolo plenissimum, sibi non minus quàm nobis exitialem intromittant? vt vestros pegasos habetis, qui circumquaque cursitent, & omnes rumusculos citissime colligant, & hominum animos pertentent, & rerum opportunitates obseruent? vt pueros vestros sacerdotes ire & redire facitis, qui vestrum numerum & vires augeant, & tanquam Gracchi iuuenes offensos magis irritent, & ad seditionem inflamment? vt annosas vulpes & grandiusculas vulpeculis hisce præficitis, qui fraudum illis scholam prius aperiant, & versutiarum officinam, docentes, Papam habere Regis deponendi, & subditos à fidelitatis iuramento absoluendi plenissimam potestatem; & quamuis Rex non sit nominatim excommunicatus, stare tamen excommunicatum varijs bullis, eò quòd Pontificij primatus authoritatem infregerit: & eo ideoque posse subditos, si detur opportunitas, quoduis malum contrà sacram illius personam machinari; suadentes interea, vt fidem dissimulent, externam obedientiam Regi præstent, dum cor Papæ reseruent? vt vestros Catilinas intus alitis, qui, vbi seditio maturuerit, vestri furoris duces atque signiferi, vestra scelerata consilia factis & armis exequantur? Ponite igitur illam, quam tamdiu geritis, religionis personam: proijcite grauitatis habitum: exuite pallium sanctitatis; quales estis, tales apparete: confitemini vos belli, non verbi

tubas esse; non animas pascere, sed sanguinem petere: vt distinguere possit magistratus inter deuotum & quietum, & inter politicum ac seditiosum Catholicum. Vos autem, CALANDER, & ARGENTINE, cæterique Anglo-papistæ laici, per Iesum Christum obtestor, per vestram salutem exhortor, vt harum Syrenum musicam auditoribus non inutilem modò, sed perniciosam, ab auribus atque animis vestris repellatis; ne Catholicæ vestræ religioni probrum iustissimum, insanabile vulnus conscientiæ, luctuosam familiæ ruinam, & extremam patriæ pestem inferatis. Hæc habui, quæ de fidelitate atque obedientia subditorum præstanda Regibus & magistratibus ex perpetuo Christi præcepto & Apostolorum institutis contrà Pontificium interdictum, & Iesuitarum sophismata disputarem: sequitur, vt alterum persequar obedientiæ nostræ fundamentum, exempla veterum Christianorum, ac Episcoporum potissimùm Romanorum, nisi quid fortè vobis videatur secus.

Tum CALANDER, Nobis, inquit, nihil gratius futurum promitto, vt pro ARGENTINO etiam meo respondeam. Ego verò de ciuili obedientia Catholicis & bonis Regibus iure præstanda nunquam sanè dubitaui: sed hæreticis & tyrannis, postquã à Papa semel essent denuntiati excommunicati, de regno iam iure depositis, meipsum, vt verum fatear, antehac fidelitatis iuramento absolutum putaui. Nunc cum Christum, Petrum, & Paulum videam non modò docuisse, sed etiam præstitisse ciuilem obedientiam Tiberijs & Neronibus, tantumque abfuisse, vt illis diuina authoritate, cũ possent, sceptrum, gladium, aut vitam eriperent, vt sub illis etiam vitam suam pro sancienda fide atque obedientia deponerent; facis tu quidem, vt dubitare incipiam de tanta vi excommunicationis, & de potestate Pontificis.

Nam cum omnes disputationis tuæ partes, PATRIOTTA, diligenter attenderem, ex illa perspicua quidem & succincta trium textuum explicatione & quasi ventilatione primùm, vt fatear, parui huius ignotæ mihi priùs & inauditæ veritatis igniculi quidam sese oculis ingerebant. Quibus Aquinatis, Toletani, & Lateranensium Patrum authoritas pro excom-

municationis virtute, & potestate Pontificis à SATVRNINO allegata, fumum statim offuderat. Sed ex fumo lucem dedere Frisingensis, Vrsbergensis, Sigebertus, Vincentius, omnes antiquiores & sinceri sanè Catholici, & graues illorũ testes temporum, vt VELBACELLVM meum audio dicere, cum Gregorius septimus primum Henricum quartum Imperatorem excommunicatione de regno abdicare est aggressus. Hic SATVRNINVS reiectus ab authoritatibus humanis, ad diuinas se recepit: sed quicquid arripuit, extorsit statim PATRIOTTA de manibus. Cum diceret Apostolum vetuisse, ne salutemus hæreticum, iussisseque vt deuitemus post vnam aut alteram admonitionem, respondit PATRIOTTA, vetuisse tum societatem voluntariam, non subiectionem necessariam, priuatam familiaritatem, non publicam obedientiam. Et cum ille premeret gangrænam esse exsecandam, hic retulit actutùm, non hęreticum, sed hęresim gangrænæ comparatam, & pia quadam charitate, vt videbatur, hæretico parcens, vt resipisceret, hæresim exscindendam putauit. Et inde meo iudicio non malè conclusit, Cum nullus hæreticus aut hæreditatem aut vitam debeat amittere, Regem multò minus aut vita aut hæreditate propter hæresim esse priuandum. Hic SATVRNINVS omnes intendit neruos ingenij, & in veteris Testamenti præsidia se recipiens, collectis vndique copijs exemplorum, argumentis inde confectis egregiè dimicauit, ita vt cum illum solum audirem, meum propè assensum abduceret. Sed hæreticus iste PATRIOTTA non retulit pedem, sed cominùs statim conflixit. Dixit ille Saulem fuisse depositum: iste, vt res erat, statim distinxit, non personam Saulis à regni possessione, sed stirpem à successione fuisse depositam. At à quo? A Deo, inquit, non à Samuele, quem probauit fuisse non iudicem, sed nuntium, nec plagam depositionis inflixisse, sed decretum publicasse, non generalis vocationis suæ iure, sed speciali motu & instinctu Dei, non vt Prophetam, sed vt Prophetam ad id designatum, vt Dauidem in regni successionem inungeret, quē Deus ore suo nominarat. Nihil vt hinc Papæ possit accrescere, nisi probare se possit deponendi Principis reuelationē accepisse.

Cum ille contenderet Ieroboamum à Propheta fuisse abdicatum: hic verè negauit, confessus grauiter reprehensum propter apostasiam, non violenter abdicatum.

Insurgit SATVRNINVS & Oziam leprosum ab Azaria & octoginta sacerdotibus violenter expulsum templo, & à societate hominum separatum affirmat, & regimen Iothani filio esse commissum.

Hic melior, vt videtur, textuarius PATRIOTTA, negat ab Azaria Regem violenter expulsum templo, sed percussum lepra, suâ sponte ipsum coactum exire Sanctuario, non regno: cuius jus ad mortem vsque tenuit ipse, administrationem filio, vt vicario suo, demandauit. Nec enim leprosum hæreditatem priuatam vnquam amisisse, nedum igitur publicam. Et cum lepra sit hæresis, nec quisquam propter lepram regno priuatus fuerit, nec propter hæresim quenquam esse priuandum. Quæ mihi quidem ratio, nisi leprosi Iudæi probari possint hæreditate excidisse, in hac causa satisfaciat necesse est.

Et cum SATVRNINVS affirmaret, leprosos per sacerdotes fuisse separatos à societate hominum, excepit PATRIOTTA, illos discernere lepram debuisse, sed leprosos secernere magistratuum fuisse; ita judicium rei ad sacerdotes, sed separationem personæ ad magistratus pertinere. Vnde conclusit, & retorsit in SATVRNINVM, qui hæresim spiritualem lepram esse dicebat, ex ista figura sequi, Regem potius hæreticum Papam, quàm Papam Regem hæreticum separare oportere. Vt mihi figura nostra Papæ perniciosior, quàm Regi fuisse videretur.

Vnum erat, quod & PATRIOTTA contra te, SATVRNINE, maximè vrgebat; & quod nobis omnibus vehementer displicebat, cum ex Azariæ exemplo concluderes, licere sacerdotibus armis vti ad Regum impietatem coercendam. Restitit enim Regi sacerdos verbis, non armis; nisi fortè grauem admonitionem, reprehensionem, redargutionem, arma fuisse arbitrere. Non eiecit Azarias Regem è templo, nedum è regno. Et tu loricas, gladios, pila cogitas, quibus bellicosus sacerdos Regem de solio moueas? Apage superbam

istam vanitatem. Non decet Episcopum esse percussorem, nedum bellatorem. Non licuit Dauidi materiale Dei templum ædificare, quoniã erat homo sanguinis: & vos spirituale Dei templum cruentis manibus extruetis? Sed remitto vos ad canones vestros. Et pergo.

Nam quòd Athaliam legitimè depositam à Iehoida sacerdote esse dixisti, responsum est tibi primò, nunquam legitimè creatam esse aut inunctam. Deinde, depositam esse à Iehoida, non vt sacerdote summo, sed vt primario Principe tribus suæ, & proximo Regis affine, nec solo, sed coniuncto cum omnibus regni Nobilibus; nec authoritate sacerdotis, sed veri Regis Ioashi inuncti prius à se & coronati: vt quicquid fecerit, id imperio Regis, & communi consensu & consilio procerum & ducum contrà impiam vsurpatricem regni, quæ totam ferè regiam stirpem extinxerat, fecisse videatur. Quid hoc ad Papam, vt legitimum Principem Pontificia sua authoritate deponat?

Quòd autem Eliæ zelum vobis imitandum proposuistis, verè respondit PATRIOTTA, vestrum fuisse nimis igneum, & fore præposterum, nisi specialem Eliæ instinctum probare possitis.

Sed quòd Achabum de regno abdicatum ab Elia, vel Elizeo diceres; partim verum, partim est falsum. Est enim verum, quòd dicis abdicatum, sed à Iehu, quem vnus è filijs Prophetarum inunxit ex speciali mandato, quod Deus dedit Elizeo, vt Iehu totam Achabi stirpem exscinderet. Non igitur ab Elia, vel Eliseo depositus est Achabus, sed à Iehu, quem Deus nominatim ad eam rem extrà ordinem excitauit. Nec enim filius Prophetarum, cum Iehu inungeret, ita est orsus, Hæc dicit Eliseus, sed, Hæc dicit Dominus.

Hoc causam Papæ minùs adiuuat: vt argumentationes tuas PATRIOTTA proijceret interdum, quasi scopas dissolutas: aut vt fracto crure planum impelleret, interdum alterutro, interdum vtroque pede claudicantem, & antecedente & consequente; vt cum antecedens nec veritatem in materia, nec legem in forma retineret, consequens probationis necessitatem omnem amiserit. Ita, vt cum potestati

Pontificiæ parùm prodesses, tum conscientiæ nostræ minùs satisfaceres.

Superuacaneum enim, vt rectè dixit, fuit ad extremum causas quærere, cur Principes à sacerdotibus aut Prophetis de facto fuerint abdicati: cum neminem probaueris abdicatum.

Tu igitur nullum, vt videtur, Regem à sacerdote depositum proferre potuisti: at sacerdotem à Rege depositum PATRIOTTA protulit, vnum saltem, id est, Abiatharum à Salomone. Hoc verò causam Pontificis non modò non iuuit, sed etiam læsit.

Hic tu cum conuentionem inter Deum atque Regem vrgeres, quærebat promptus aduersarius, si Rex conuentionis articulos violaret, quis illum arbitrum adigeret? aut quo in foro, quo in Consistorio postularet? Et ex concessis tuis concludebat, cum diceres, Regem à Deo supremam authoritatem suam acceptam tenere, Deo soli igitur à Rege in foro cœlesti regiminis sui rationem esse reddendam.

Sed mihi quidem, cum duæ sint imperij quasi columnæ, authoritas in Rege, & obedientia in subditis, quas salutis omnium causa sartas tectas seruare debemus, vtramque visus es diruisse, SATVRNINE, cum Regem tanquam propositionem hypotheticam poneres, & subditos conditionales. Sed cum Papas categoricos & absolutos constitueres, quanquam omnino vt sanctissimos Patres reuereor, tamen verè dicam perinde fecisse atque malus medicus, qui grauiorem interdum corporis morbum parit curando leuiorem.

Repulsus à veteri Testamento, ad noui præsidia confugisti: hic verò sperabam fore, vt illud vestrum, Pasce Oues meas, & Dabo tibi claues, communiret potestatem Pontificis, & aciem Ecclesiasticæ excommunicationis velut acueret. Sed contrà accidit: nam aduersarius primis verbis Pontifici pascendi gregis diligentiam impositam, non deponendi Regis authoritatem contendebat: & secundis, claues regni cœlestis, non terreni commissas esse dicebat. Et non modò Augustinum & Bernardum communes testes adducebat, sed Aquinatem, Vrbanum Papam, & Dominicum à Soto, & Ludouicum

douicum Richeomum, planè nostros, qui clauium vim non in possessionibus, sed in criminibus: nec in sceptris, sed peccatis ligandis positam esse censebant: eamque non eradicationem, sed disciplinam esse iudicabant. Quid tu? Num & hos schismaticos arbitraris, vt modò Sigebertum & Vincentium appellabas? Quid mirum, in hac causa Papam si alieni postulent, cum condemnent sui? si inimici oppugnent, cum deserant amici? si moderni Catholici relinquant, cum reliquerint antiqui?

Stat igitur primum illud fixum & firmum, vt nobis videtur, iactum à PATRIOTTA obedientiæ nostræ fundamentum in perpetuo atque immutabili mandato Christi atque Apostolorum: nisi sacrosanctas Testamenti tabulas refigere, cœlestes Christi leges rescindere, æterna Dei decreta reuellere, Vicario Dei, homini sancto, sed peccatori tamen, concessum esse arbitremur.

Nam quòd ad extremum Apostolos & Apostolorum successores iure potuisse dicis deponere Neronem, Dioclesianum, Iulianum, Constantium, Valentem & cæteros, si tum habuisset Ecclesia vires ad resistendum; nunquam profectò diceres, vt rectè obiecit aduersarius, nisi sanctos Apostolos & Patres dissimulatores iudicares, qui metu, non officio, & temporis, non conscientiæ gratia malis illis Imperatoribus seruiebant: in quo quidem tibi cùm sacram Scripturam, tum veterem historiam audiuimus apertissimè reclamantem.

Vt valde doleamus Bellarminum & Alanum tanta ingenia tam impium commentum protulisse. Et vt Symancham omittamus, Creswellum, Reynoldum, Parsonium, aliosque nostrates, qui cum Alano ad tam sceleratæ causæ patrocinium omne ingenium & eloquentiam suam contulerunt; non verbi, sed belli tubas: & cum multis Catholicis familijs ruinam, & patriæ pestem, tùm securim conscientijs nostris, & æternam Catholicæ religioni infamiam inussisse atque infixisse fatemur.

Quarè nos ampliùs in hac causa solicitare desinas, SATVRNINE: cuius in caput retortum primarium illud tuum argumentum à PATRIOTTA cernimus, qui fassus est Regi

subiectionem

subiectionem, reuerentiam, honorem, fidelitatem, obedientiam esse debitam, dum Rex est Rex.

At Rex est adhuc Rex, & nos subditi, non obstante excommunicatione, aut potestate quacunque Pontificis, vt contrà te PATRIOTA, sicut nobis videtur, non modò communibus, sed nostrorum Catholicorum proprijs testimonijs comprobauit.

Sequitur igitur ex confessione tua, omnem à nobis Regi nostro subiectionem, reuerentiam, honorem, fidelitatem, atque obedientiam deferendam.

Tum SATVRNINVS, Doleo mehercules, inquit (nobilissime CALANDER) & vehementer angor, quòd te, quem deuotum Romanæ Ecclesiæ filium semper nouimus, nunc quasi transfugam in hæreticorum castris reperiamus: & non modò de suprema Pontificis authoritate dubitante, sed eam etiam, id quod est multò indignius, atque animæ tuæ periculosius, oppugnantem.

Non enim solùm excommunicatio Principum, quæ nonnullis Ecclesiasticæ & spiritualis Pontificiæ potestatis suprema censura videri solet, ad Pontificem pertinet, sed eorum etiam eradicatio atque extirpatio, quæ non virtute excommunicationis producitur, sed supremæ cuiusdam authoritatis in Papa, vel vt est directè dominus temporalium, vel indirectè in ordine ad spiritualia: vt doctissimi sanctissimique Catholici Patres tradiderunt.

Non sum nescius à Georgio Blackwello Archipresbytero nuper vestro id esse tentatũ, vt neruos omnes illos Ecclesiasticæ excommunicationis responsionibus quibusdam incideret penitùs atque elideret. Neque id solùm, sed multò magis huius supremæ authoritatis non modò spiritualis atque Ecclesiasticæ, sed ciuilis atque imperialis, quam Romanus Pontifex accepit à Christo, & sub Christo in terris exercet, quasi duorum Papæ brachiorum compages omnes frangeret ac decurtaret. Sed meticulosus senex, & misellus apostata non tantùm facto nocuit, sed exemplo, quod vobis etiam ô Catholici laici, quorum constantiam Christianus orbis prædicat, turpissimi schismatis occasionem dedit.

Hic

Hic CALANDER, Nimis incalescis, inquit, SATVRNINE, qui me statim transfugam appelles, quum nunquam à Catholicâ fide desciuerim, tantùm quòd pseudo-catholicos errores vestros à factiosis hominibus, Papæ assentatoribus, inuectos repudiarim atque reiecerim. Sed quoniam eò te etiam æstus abripuit, vt reuerēdum senem Georgium Blackwellum tanquam misellum apostatam, & schismatis ducem accuses: exorabo VELBACELLVM, vt non pro me solùm, sed multò magis pro Archipresbytero nostro, vetere amico suo, pauca respondeat.

Tum VELBACELLVS, Equidem cum semper, inquit, inuitus à fratribus dissidere soleo, tum nunquam inuitiùs, quàm in hoc tempore, quo communes nobis aduersarios dissidij nostri spectatores fortuna constituit. Sed quoniam authoritatem tuam negligere, CALANDER, fas mihi esse non puto, simulque conscientiæ & vestræ & meæ in hoc tanto religionis negotio satisfacere decreui: faciam, vt mones.

Sunt ista, vt dicis, SATVRNINE. Duas iamdiù machinas Rom. Pontifices adhibuerunt ad euertendos Principes, vnam excommunicationis Ecclesiasticæ, alteram ciuilis atque imperialis potestatis. Omninò quæ vis & natura veteris excommunicationis esset, non ignorabant: peccatis, non sceptris ligandis datam esse sciebant, vt ex nostris PATRIOTTA modò verè disseruit. Quæ primùm GREGORIO septimo Pontifice, vt idem ex Frisingensi, Sigeberto, & Vincentio nostris rectè etiam obseruauit, monstrosos illos produxit effectus, depositionem Regis, subditorum absolutionem ab obedientia, & incitationem eorum ad arma capienda contrà Principem: quibus præsens fidelitatis iuramentum occurrit.

Cuius successores, veriti, ne excommunicatio Ecclesiastica progressu temporis vim illam non natiuam atque insitam, sed heterogeneam & assumptam opinione hominum deperderet; ciuilem illam, vt dicis, atque imperialem authoritatem datam à Canonistis augendæ potentiæ suæ causa assumpserunt, tanquam ab ipso Christo delegatam.

subiectionem, reuerentiam, honorem, fidelitatem, obedientiam esse debitam, dum Rex est Rex.

At Rex est adhuc Rex, & nos subditi, non obstante excommunicatione, aut potestate quacunque Pontificis, vt contrà te PATRIOTTA, sicut nobis videtur, non modò communibus, sed nostrorum Catholicorum proprijs testimonijs comprobauit.

Sequitur igitur ex confessione tua, omnem à nobis Regi nostro subiectionem, reuerentiam, honorem, fidelitatem, atque obedientiam deferendam.

Tum SATVRNINVS, Doleo mehercules, inquit (nobilissime CALANDER) & vehementer angor, quòd te, quem deuotum Romanæ Ecclesiæ filium semper nouimus, nunc quasi transfugam in hæreticorum castris reperiamus: & non modò de suprema Pontificis authoritate dubitantem, sed eam etiam, id quod est multò indignius, atque animæ tuæ periculosius, oppugnantem.

Non enim solùm excommunicatio Principum, quæ nonnullis Ecclesiasticæ & spiritualis Pontificiæ potestatis suprema censura videri solet, ad Pontificem pertinet, sed eorum etiam eradicatio atque extirpatio, quæ non virtute excommunicationis producitur, sed supremæ cuiusdam authoritatis in Papa, vel vt est directè dominus temporalium, vel indirectè in ordine ad spiritualia: vt doctissimi sanctissimique Catholici Patres tradiderunt.

Non sum nescius à Georgio Blackwello Archipresbytero nuper vestro id esse tentatū, vt neruos omnes illos Ecclesiasticæ excommunicationis responsionibus quibusdam incideret penitùs atque elideret. Neque id solùm, sed multò magis huius supremæ authoritatis non modò spiritualis atque Ecclesiasticæ, sed ciuilis atque imperialis, quam Romanus Pontifex accepit à Christo, & sub Christo in terris exercet, quasi duorum Papæ brachiorum compages omnes frangeret ac decurtaret. Sed meticulosus senex, & misellus apostata non tantùm facto nocuit, sed exemplo, quòd vobis etiam ô Catholici laici, quorum constantiam Christianus orbis prædicat, turpissimi schismatis occasionem dedit.

Hic

Hîc CALANDER, Nimis incalescis, inquit, SATVRNINE, qui me statim transfugam appelles, quum nunquam à Catholicâ fide desciuerim, tantùm quòd pseudo-catholicos errores vestros à factiosis hominibus, Papæ assentatoribus, inuectos repudiarim atque reiecerim. Sed quoniam eò te etiam æstus abripuit, vt reuerēdum senem Georgium Blackwellum tanquam misellum apostatam, & schismatis ducem accuses: exorabo VELBACELLVM, vt non pro me solùm, sed multò magis pro Archipresbytero nostro, vetere amico suo, pauca respondeat.

Tum VELBACELLVS, Equidem cum semper, inquit, inuitus à fratribus dissidere soleo, tum nunquam inuitiùs, quàm in hoc tempore, quo communes nobis aduersarios dissidij nostri spectatores fortuna constituit. Sed quoniam authoritatem tuam negligere, CALANDER, fas mihi esse non puto, simulque conscientiæ & vestræ & meæ in hoc tanto religionis negotio satisfacere decreui: faciam, vt mones.

Sunt ista, vt dicis, SATVRNINE. Duas iamdiù machinas Rom. Pontifices adhibuerunt ad euertendos Principes, vnam excommunicationis Ecclesiasticæ, alteram ciuilis atque imperialis potestatis. Omninò quæ vis & natura veteris excommunicationis esset, non ignorabant: peccatis, non sceptris ligandis datam esse sciebant, vt ex nostris PATRIOTTA modò verè disseruit. Quæ primùm GREGORIO septimo Pontifice, vt idem ex Frisingensi, Sigeberto, & Vincentio nostris rectè etiam obseruauit, monstrosos illos produxit effectus, depositionem Regis, subditorum absolutionem ab obedientia, & incitationem eorum ad arma capienda contrà Principem: quibus præsens fidelitatis iuramentum occurrit.

Cuius successores, veriti, ne excommunicatio Ecclesiastica progressu temporis vim illam non natiuam atque insitam, sed heterogeneam & assumptam opinione hominum deperderet; ciuilem illam, vt dicis, atque imperialem authoritatem datam à Canonistis augendæ potentiæ suæ causa assumpserunt, tanquam ab ipso Christo delegatam.

Nam veteres Canoniſtæ primùm illos dominos omnium temporalium fecerunt: & ſupremam iuriſdictionem non in ſpiritualibus modò, ſed etiam in temporalibus ad Petri ſucceſſores pertinere dixerunt: quorum, exeſas iam & diù à ſanioribus Catholicis exploſas, aſſertiones docti quidam homines nuper renouarunt, & libris publicè editis, pro ſana & Catholica doctrina propoſuerunt, & acerrimè propugnarunt. Quorum alij, vt dicis, directè Dominum temporalium eſſe defendunt Pontificem Romanum: vnum eundemque [a] videlicet eſſe hierarcham & monarcham in mundo. [b] Chriſtum, vt omnem iudicialem poteſtatem accepit à Patre, & cum ſuo ſacerdotio coniunxit, eam omnem, inſtituto in Eccleſia regali ſacerdotio, ad Petrum Petrique ſucceſſorem tranſtuliſſe: & vt Chriſtus fuit Rex regum, & Dominus dominantium, ſic Eccleſiam Reginam omnium & dominam eſſe debere: & ſi ſponſus ſit Dominus omnium temporalium, ſponſam etiam dominam eſſe oportere: omnem temporalem regiam poteſtatem primò in anima Chriſti reſidere, tum in Eccleſia Regina mundi, ab eaque ad alios fideles aut infideles tanquam ex fonte defluere: [c] hanc ſponſam Chriſti, Reginam mundi, toties quoties ordo vniuerſi poſtulat, poſſe transferre proprium ius vnius ad alterum, vt Princeps ſæcularis poteſt ornandæ vrbis cauſa priuatorum domos demoliri: & iure id poſſe facere, quamuis ille non errauerit, à quo eiuſmodi iura tranſlata fuerint ad alios. Ita Papam Hiſpanis Indiam dediſſe: [d] omnia dominia pendere de Eccleſia, deque Papa, vt capite Eccleſiæ. Et in Papa authoritatem conſiderari, in Imperatoribus & Regibus poteſtatem; hinc poteſtatem de authoritate pendere: [e] verum, iuſtum, & ordinatum à Deo, & merum dominium æquè in ſpiritualibus rebus ac temporalibus, productum eſſe per Chriſtum, idemque S. Petro, eiuſque ſucceſſoribus eſſe commiſſum: Chriſtum Dominum omnium inferiorum fuiſſe, non ſolùm vt Deum, ſed etiam vt hominem, habentem etiam tum dominium in terris: ideoque vt dominium mundi diuinum & humanum in Chriſto, vt homine, tum fuit, ita nunc eſſe in Papa Vicario Chriſti. Vt Deus modo ſecundario dici poteſt temporalis

a Franc. Boz. de tempor. Eccleſiæ monarchia, lib. 1. cap. 3. fol. 98.
b Baron. Annal. tom. 1. an. 57. pag. 423. & 433.
c Thom Boz. de iure ſtatus. præf. ad Aldobran.
d Iſido. Moſco. de maieſt. milit. Eccleſ. pag. 670.
e Carer. de poteſt. Rom. Pont. pag 9.
Idem pag. 111.

rector

rector & Monarcha mundi, quamuis in seipso principaliter, non est mundanus aut temporalis: ita Papam dici posse temporalem dominum & monarcham, quamuis illius potestas sit spirituale quiddam. Christum peracto redemptionis mysterio, vt Regem, dedisse Petro administrationem regni sui, sanctumque Petrum illam potestatem exeruisse contrà Ananiam & Sapphiram. Christum, vt hominē, directè Dominum esse mundi in temporalibus, ideoque Papam Christi vicarium similiter esse: veritatem immutabilem designare per Petri solum accessum ad Christum super aquam, vniuersale dominium, quod per mare significatur, Petro Petrique successoribus esse commissum: diuersas potestates hominum, & varias authoritates esse datas à Deo; omnes autem ex suprema Papæ authoritate pendere, indeque tanquā stellas à Sole suum lumen accipere. Et vt Deus est supremus Monarcha mundi productiuè & gubernatiuè, quamuis ex seipso non sit de mundo & temporalis: ita Papam quamuis originaliter & ex seipso habeat dominium supra omnia temporalia, non habere tamen illud per immediatam executionem, sed eam per vniuersalem iurisdictionem Imperatori committere. Episcopum Romanum summum esse patrem & hominem in mundo: omnesque ex eo pendere, tanquam architecto suo, (diceret, fundamento:) alioqui siquis Imperatorem per seipsum constitueret (diceret, credo, vt substantiuum) respectu temporalium, duo daret principia; quam hæresim vt deuitet, Imperatorem facit scilicet adiectiuum. [f] Vt alius loquutus est, sanctum Historigraphum in veteri lege fecisse sacerdotium adiectiuum regno, D. autē Petrum fecisse regnum adiectiuum sacerdotio. [g] Reges à Deo immediatè non esse, sed per interpositionem Ecclesiæ, & summorum eius Pontificum. Militarem & bellicam compulsiuam potestatem datam Ecclesiæ suprà Reges & Principes: Constantinum nihil dedisse, quod suum fuit, sed quod iniustè & tyrannicè ereptum fuit Episcopis, reddidisse. Christum Petro æternæ vitæ clauigero ius terreni & cœlestis imperij commisisse: [h] eiusque loco Papam esse vniuersalem iudicem, regem Regum, dominum Dominorum: Ideoque consecrari, vt summum

Idem pag. 112.

120.

Pag. 151.

Pag. 145.

f Isido. Mosc. pag 22. de maiest. milit. Eccles.

g Thom. Boz. de iure status, lib 1. cap. 6. fol. 137.

h Isid. Mosco. de maiest. pag. 27.

ſacerdotem, coronari vt Regem, quòd vtramque habeat poteſtatem: vti autem illa poteſtate dupliciter, abſolutè aut ordinariè: abſolutè, cum leges, quas velit abrogat: ordinariè, cum legibus vtitur. Cum legibus volet viuere, vti conſilio Cardinalium. Cum nolit, regnare ſine conſilio, quoniam eius poteſtas eſt à Deo, non à collegio Cardinalium. Non ſolùm fideles, ſed infideles, & omnem naturalem creaturam, ſic enim loquitur, Papæ imperio ſubiacere: idcircò ab omnibus adorationes, proſtrationes, oſculationes pedum accipere Papam: eique adorationem duliæ dari, vt imaginibus & Sanctis: reſpectu regni, diadema; ſacerdotij, mitram tribui: Imperatores & Reges poſſe compelli vt obſeruent iuramenta ſuſcepta in ſuis coronationibus & confirmationibus, quia virtute iuramenti vaſſalli Papæ facti ſunt. Dei lege & naturæ ſacerdotium eſſe eminentius imperio: ſæculares poteſtates non eſſe neceſſarias, niſi vt Principes id præſtarent terrore diſciplinæ, quod ſacerdos non poſſit efficere virtute doctrinæ; & ſi Eccleſia poſſet punire malos, imperialem & regium principatum non futurum fuiſſe neceſſarium, quia potentialiter includitur in Apoſtolico principatu. Poſſe affirmari de Chriſti Vicario quadam ſimilitudine, quod Plato in Timæo de Deo dixit: interrogans enim quid eſſet Deus, reſpondit, Non eſt homo, non eſt cœlum, nec bonus, ſed aliquid melius: ſiquis interroget num ſupremus Epiſcopus ſit Dux, Rex, an Imperator, cautè reſpondebit, ſi negando affirmabit, Papam eſſe quid præſtantius, quidue eminentius: omnem temporalem iuriſdictionem exercendam non ad mandatum Papæ, ſed nutum. Principes volunt, mandant, imperãt, deus dominus omnium nutu omnia præſtat, ſecundum illud,

Dixerat, & nutu totum tremefecit Olympum.

Et Chriſtum habuiſſe pleniſſimam iuriſdictionem ſupra omnem mundum, & omnes creaturas, & idcircò Papam Chriſti vicarium habere. Quorſum verò, quorſum? Vt Chriſtum, ſic Papam abſolutum mundi dominum faciunt ex verbis illis, Ecce duo gladij, qui poteſtatem ſpiritualem & temporalem ſignificant: & ex illis, Tibi dabo claues: claues cœli datæ

Credo non ſolùm aſinos, ſed etiam Leones.

Auguſti. Triumphus apud Carerium, pag. 130. & pag. 132. Celſus Mancinus, lib. 3. cap. 1. & Carc. pag. 133.

Iſodo. Moſco. pag 80.

Lælius zech. tracta. theolo. pag. 81.

datæ sunt, ergo totius terræ. Et ex illis, Omnis potestas mihi data est in cœlo & in terra, ergo Papæ ius & cœlestis & terreni Imperij commissum, qui Christi vices in terris gerit. Quorsum, inquam? nisi vt Christiani Imperatores & Reges agnoscant se ab illo imperia & regna tenere, scilicet, & quoties magnum aliquod Ecclesiæ damnum inferant, à Papa se posse priuari, iusque regni ad alios ab illis iure transferri: vel si non agnoscant, cogantur armis vel subditorum suorum, vel externorum Principum Catholicorum, si Pontifex iubeat, id regno suo vitaque decedere.

Francisc9 Bozius lib. 2. ca. 14.

Hic PATRIOTTA, Credo, equidem, inquit, certasse Doctores vestros inter se, dignitatem efferendo Pontificiā, & deprimendo Imperatoriam ac Regiam, vter eorum crassiore ne dicam an elegantiore adulationis lenocinio Papalis curiæ fastum deliniret. Sed harum rerum nuda recitatio, vt videtur, solida refutatio est. Tum VELBACELLVS, Dolui semper, inquit, doleoque vehementer, vietam hanc planè & exoletam Canonistarum sententiam, improbatam iamdiu & à bonis Catholicis reiectam, nunc denuò à tot & tantis ingenijs quasi postliminio reuocari, quorum princeps, & doctrina & loco Cardinalis Baronius fuit, qui directam illam & ordinariam & inhærentem Papæ authoritatem, qua, vt dominus mundi in temporalibus Imperatores & Principes pro arbitrio abdicare posset, præfractè obstinateque defenderet. Cuius ceteras sanè multas non est opus attexere rationes. Extant in libris, qui sunt in manibus; inde hauriant, si qui velint.

Baron.

Exortus est ex altera parte Cardinalis Bellarminus, vir non minoris apud nostros nominis, nec minùs bene de Ecclesia meritus, qui directum illud & ordinarium, & inhærens Papæ dominium mundi in temporalibus, tanquam à Christo relictum, adeò solidis oppugnaret Scripturarum argumentis, vt ea quidem meo iudicio nec aduersarij, nec ipse posteà quamuis exquisitissimo distinctionum artificio posset dissoluere. Sed ne parùm gratificari Pontifici videretur, Quamuis, inquit, non est dominus omnium temporaliū directè, nec habet inhærentem & ordinariam authoritatem vt est Papa, temporales Principes deponendi; tamen est do-

Bellarm.

 minus

minus temporalium indirectè, in ordine ad spiritualia, vt loqui solet, & habet extraordinariam & accessoriam authoritatem, vt est summus Princeps spiritualis, regna mutandi, & vni auferendi, & alteri conferendi, si id fuerit ad animarum salutem necessarium. Hoc est dicere, in ordine ad spiritualia.

Insurgit contrà Carerius Doctor Patauinus, homo acer & vehemens, nec solùm argumento pugnat, sed anathemate, quo omnes aduersarios inuoluit, nulli parcit, ne Bellarmino quidem. Quem ex composito refellendum toto libro suscipiens, scripto, vt præfixit, aduersus impios politicos, & nostri temporis hæreticos, nimis apertè pupugit Cardinalem. Tantum abest, vt possint de modo tantæ authoritatis à Christo deriuandæ inter se conuenire.

Hic PATRIOTTA, Præposterè mihi videntur, inquit, Doctores vestri litigasse de modo deriuandi tantum authoritatem à Christo, cum de re ipsa nondum constet: & frustrà disputasse, vtrùm Papa directè an indirectè tantùm Imperium acceperit, cum acceperit necne dubitetur. Sed facilè patior illos inter se de modo dissidentes rem ipsam euertere: vt in extruenda turri Babylonica linguarum confusio rursum incidisse videatur.

Tum VELBACELLVS, Leniùs, inquit, obsecro, PATRIOTTA: quanquam, vt ingenuè fatear, dum de modo inter se tam acriter digladiantur, & opiniones suas mutuis contradictionibus destruunt, pertenuẽ sanè Papæ videntur, vel nullam potiùs, in temporalibus authoritatem reliquisse. Nam Carerius, aut directã, inquit, & ordinariam Papa, vt est Papa, Reges deponendi authoritatem habet, aut nullam habet. Non habet directam & ordinariam, vt est Papa, assumente Bellarmino. Habet igitur nullam, concludente Carerio. Longum esset omnes adscribere rationes ex Scriptura deductas, quibus Bellarminus directam & ordinariam Pontificis authoritatem penitùs euertit; nec necessarium, quia peti possunt ex quinto libro, quem edidit, vt illum in hac causa nonnulli astutè præuaricatum putent. Quam cum palàm non auderet attingere, ne Papam offenderet, clàm actis quasi cuniculis oppugnauit, vt verum quoquomodo posset

possét, exprimeret.

Nam mihi quidem indirectè videtur, vt ipsius vtar aduerbio, omnem abdicandi Principis potestatem Pontifici ademisse. Nam si Papa vt est Papa, directè & ordinariè Principes etiam iusta de causa deponere non possit, vt inquit Bellarminus; & tamen, vt est summus Princeps spiritualis, possit regna transferre, auferre vni, & conferre alteri, si id sit ad salutem animarum necessarium, hoc est, indirectè, in ordine ad spiritualia, vt ipse affirmat: quid aliud tectè saltem insinuat, quàm Papam habere nullam omnino deponendi Principes potestatem? S. enim Petrus nec transtulit, nec transferre potuit vllam potestatem, nisi ordinariam. Extraordinaria enim potestas non transit in successorem. Præterea constat Papam non aliter esse summum Principem spiritualem, nisi vt est Papa. Ita quod facere non possit, vt Papa: nec facere potest, vt summus Princeps spiritualis.

Quod Carerius concludit contrà Bellarminum, & premit hoc sumpto, Christi Vicarium propriè appellari Papam.

Aut non est igitur, inquit, Christi Vicarius, aut inferiores potestates deponit, vt Papa.

At non deponit vt Papa, teste Bellarmino.

Non est igitur Christi Vicarius, concludente Carerio.

Ita Christi Vicario Bellarminus, si Carerio credimus, tam graue vulnus inflixit, quod nullis posteà distinctionum suarum medicamentis sanare possit. Et Carerius dum plumis illum ornat alienis, denudauit penè proprijs & suis. Quem dum dominum temporalium facere voluit, dominium spiritualium vix reliquit. Interea cum neutra potestas, vel directa vel indirecta, sit quasi res fidei formaliter publico Ecclesiæ iudicio adhuc definita, vt Alanus & Couarruuias confitentur: cur Blackwellum meum SATVRNINVS misellum apostatam vocaret, qui nunquam à Catholica fide defecerit, causa nulla fuit, nisi vt Blackwello acriùs insectando parti sese contrariæ venditaret.

Tum PATRIOTTA, Libenter, inquit, intueor Bellarminum & Carerium tanquam Cadmæos fratres, aut Madianitas mutuo marte iugulatos. Sed multo libentiùs intuerer

papam

Papam, quasi cornicem, furtiuis spoliatum pennis, aquilinis & columbinis, id est, Regalibus, & Episcopalibus ornamentis, quibus iamdiu superbus & terribilis incedit: sed causam hanc suam Deo relinquo, & tempori.

Ac Baronius quidem & Carerius cum sua factione, Papæ crassius adulari videntur: Bellarminus autem Papæ quasi contradicendo artificiosius assentari animum induxit, Regibus tantò periculosior inimicus, quantò occultior. Nisi quòd sæpe obseruauerim ingeniosum senem seipsum compungentem suis acuminibus, easque texentem distinctiones, quibus etiam ea, quæ iam antè pertexuit, retexantur. O Penelopeam disserendi solertiam! Veruntamen indirectè dum Regum coronas attingit, transferrique docet à Papa posse, dummodò id ad finem spiritualem conducere iudicarit, non minorem malitiam prodit, sed maiorem astutiam.

Hic ARGENTINVS tandem, qui siluisset ab initio, & cum SATVRNINVM, tum etiam VELBACELLVM diligenter obseruasset: Mihi quidem, inquit, in hac causa cum astrictior iusto SATVRNINVS videtur, tum VELBACELLVS solutior & remissior: quòd ille nimiam, hic nullam propè sanctissimo Patri Regis coercendi, cum est opus, authoritatem reliquerit. Mediam igitur magnus iste doctor Ecclesiæ Bellarminus interposuit sententiam suam, qui cum infinitam illam ordinarij & inhærentis imperij potestatem infringeret, aliquam tamen in Papa extraordinariam & accessoriam authoritatem retinuerit, ne Reges sine fræno, tanquam equi indomiti, lasciuirent; & eos sanctissimus Pater in gyrum religionis atque iustitiæ denuo, si semel euagari forte cœpissent, pio consilio primùm, &, si illud planè reijcerent, moderata etiam castigatione reduceret. Quæ cum Regibus ipsis apprimè salutaris, tum subditis etiam vtilis videri debet.

Tum CAROLVS REGIVS, Moderata ista Regum castigatio, quam dicis, ARGENTINE, est illorum eradicatio atque extirpatio, si Bellarminum rectè intelligas. Latent enim in eius aduerbijs quædam insidiæ, quas subditi non minùs exitiosas sibi, quàm Reges experti sunt. Papam enim

vesturm

vestrum, quem asinum Sathanæ quidam rectè vocauit, ista, quam dedit, extraordinaria & accessoria potestate frænantem Reges inducit ipsum fræno indigentem, regna vertentem & euertentem pro arbitrio, auferentem vni, & alteri cōferentem, si id ordine tendere ad finem spiritualem iudicarit. Quàm pijs autem consilijs semper vsus sit ad Reges non regno modò, sed vita etiam exuendos, inuidia vicinorum, factione subditorum, perfidia procerum, superstitione populorum, omnes historiæ declarant. Et hanc tu moderatam castigationem appellas? & Regibus salutarem, subditis vtilem existimas? In qua cum multa sunt iniqua atque indigna, tum illud sanè iniquissimum atque indignissimum, quòd impias artes suas pia consilia vocent, & ordine ad spiritualem finem conducere prætendant. Et scrupulos conscientiæ, ac semina perfidiæ ita promiscuè serant in animis hominum, vt tanquam in eadem spica religionis simul ac rebellionis contraria grana nascantur. Ita fit, vt fides nunc Romana periculosissimam Regibus & subditis factionem pariat atque nutriat: quæ tantisper est humilis, vt vir prudentissimus obseruat, dum clauem est potentiæ consequuta. Nam cum omnis factio, quæ ex æstu cupiditatis erumpit, perniciosa est, tum est illa multò perniciosior, quæ ex scrupulo conscientiæ nascitur. Cum enim oritur ex cupiditate, similis est igni, qui stipulam corripuit, qui quamuis magnam primò statim flammam excitet, citò tamen consumptus extinguitur. Sed cum oritur ex conscientia, similis est igni, qui ferro concipitur, vimque suam, quam tardè acquisiuit, diu retinet, vt senator apprimè sapiens & nobilis scriptum reliquit.

Quare quod de fidelitatis iuramento dixit Bellarminus, non ideo licitum esse, quòd aliquo modo temperatum & modificatum offertur, id multò iustiùs de Papæ temporali dominio, vt est à Bellarmino modificatum & temperatum, licet dicere. Scias igitur, ARGENTINE, eiusmodi modificationes nihil aliud esse, quàm Sathanæ dolos atque versutias, quibus Regum Maiestas vel apertè, vel obscurè petatur, quam Christus expressè mandatis suis communiuit. Vanos istos aduerbiorum prætextus esse decipulas, & stratagemata

Sathanæ, quibus ſub ſpecie religionis extremam animabus & corporibus veſtris perniciem inferat. Sed quia non peræquè nobis credes ac veſtris: & VELBACELLI partes præripere mihi iniquum eſt, exorandus eſt tibi, CALANDER, confeſſarius tuus, vt ſubtiles haſce, ſed noxias, tortuoſi huius ingenij technas ac præſtigias enodet vobis atque explicet.

Tum CALANDER, Da hoc tuis Catholicis, inquit, VELBACELLE, Da religioni catholicæ, quam à pſeudocatholicis iſtis, vt vocas, aſſertionibus ſecerni neceſſarium eſt, ne Catholicorum conſcientiæ inquinentur.

Hic VELBABCLLVS, Faciam, inquit, id quod rogas, vt pro meo erga Regem officio, non inuitus, vt contrà Papæ interdictum, non libenter. Vtvt erit, reſpondeo, vt conſcientiæ ſatisfaciam, ſyncerè, & religioni catholicæ accommodatè.

Ac miror ſanè Bellarminum, doctum hominem & acutum, iuramentum fidelitatis cum iuramento primatus confudiſſe: ſed doleo primatum ipſum Pontificis, quem in rebus ſpiritualibus atque Eccleſiaſticis iure obtinet, dominio mundi in temporalibus & ciuilibus, quod aſſumpſit, adeo implicaſſe, vt iuſtam illius authoritatem in diſcrimen adduxerit. Adde quòd, cum directum Papæ dominium omnium temporalium ſolidis, vt dixi, rationibus euertiſſet, indirectum in ordine ad ſpiritualia, vt loquitur, adeò leuibus argumentis, & flacceſcentibus viribus propugnauit, vt nullũ illi planè præuaricutione ſua, multorum iudicio reliquiſſe videatur. Quanquam alij ſecus ſentiunt: & Regum coronas Papæ pedibus non ab eo minùs, quàm à Baronio ſubiectas putent. Sed perindè erit, vt quiſque acceperit. Non poteſt directè Regum coronas auferre. Quid tum? At indirectè poteſt. Non poteſt, vt Papa, ordinariè deponere Reges: at extraordinariò, vt ſummus Princeps ſpiritualis poteſt. Non habet inhærentem authoritatem. At acceſſoriam habet. Scilicet. Quid intereſt, qua Reges authoritate deponantur, ſi deponi à Papa poſſint? Sed inſaniunt, qui coronas Regum ſubijciunt diſtinctionibus ſcholarium.

Hîc SATVRNINVS, At quamuis, inquit, Doctorum catholico-

tholicorum distinctiones eludis, tamen Papam dominum omnium temporalium, quæ ad Romanum Episcopatum pertinent, non negabis. Angliam autem & Hiberniam esse partes patrimonij Petri, & Episcopatus Romani temporalia esse, liquet ex pacto inter Alexandrum 3. Pontificem Romanum, & Henricum 2. Angliæ Regem, inito anno 1171. qui cum esset absolutus à Papa propter cædem S. Thomæ, pactus est, neminem iure posse illam coronam accipere, nec haberi pro Rege, donec esset à supremo pastore nostrarum animarum confirmatus. Quod pactum anno 1210. renouatum est à Iohanne Rege Angliæ, qui idipsum iuramento confirmauit Pandulpho Papæ legato, rogatu procerum & populi, vt rem maximè necessariam ad rempub. ab iniusta tyrannorum vsurpatione conseruandam, aliaque incommoda vitanda, quæ iam antè sensissent, & in quæ rursum incidere facilè possent Regis alicuius impij vitio. Si igitur honorariè & piè tributarium regnum Pontifici, quare disponere, quare refractarium & inobedientem Principem deponere nequit?

Tum VELLBACELLVS, Exesum, inquit, & ridiculum planè pactum inducis, vt Regem Angliæ facias Papæ tributarium, quod nunquam est factum; & si fuisset, successores tamen Angliæ Reges obligare nec potuit, nec debuit. Nam Roma nullum sanè vel iam potest, vel vnquam potuit talē donationem ostendere, vt Tho. Morus magnus sanè Catholicus arguit: &, si posset, ne tanti quidem esset: non enim potuit vllus vnquam Rex Angliæ dare Angliam Papæ, vel Regnum facere tributarium, etiamsi voluisset. Quare suppositicium illud pactum, & friuolum sanè commentum relinquamus: & redeamus ad causam. Nō est quęstio, SATVRNINE, de veris temporalibus patrimonij Petri, sed de veris temporalibus patrimonij Regum, quorum dominium siue directè, siue indirectè Pontifici Romano tribuitur, sine iure tribuitur vel diuino vel positiuo: non igitur temporalia Regum plus ad Papam, quàm temporalia Petri ad Reges pertinent. Et quiuis Rex Papam non minùs, quàm Papa Regem potest deponere. Et Imperator æquè dicendus est dominus omnium spiritualium, ac Papa dominus omnium tempora-

lium. Sed Deus ista distinxit, vt spiritualem modò gladium Papis, temporalem Regibus traderet: vt Bellarminus ipse visus est antea confiteri. Qui si sibi constare voluisset, nunquam certè Papas dominos temporalium posuisset indirectè in ordine ad spiritualia, eosque vt Reges eradicent & deponant, contraque depositos quiduis per ministros suos machinentur, vel subditos ipsorum, vel extraneos, vbi locus & occasio postulent, si id ad spiritualem finem putent conducere. Quasi cædem Regum spiritualem actionem putaret: quòd rectè aliquo modo cum distinctione potest dici, cruentis huiusmodi consilijs non Spiritum Dei, sed spiritum Sathanæ præsidere. Qui si quo cœpit furore progrediatur, & calamo viri talis, vt est Bellarminus, vtatur, (dicam liberè quod verè sentio) verendum est, ne sanguis petat sanguinem: & ne Reges Carolum quintum imitentur, qui, cum Clemens septimus insolesceret, Romam legionibus suis circumsepsit, & castellum S. Angeli non argumentis, sed bombardis verberauit.

Ita spiritualis est actio, sed diabolica.

Bellar. de. Rom. Pon. lib. 5. cap. 6.

Quid autem Cardinalis aduerbio indirectè, alia, quæ æquipollent, velut interpretationis causa apposuerit, incidenter, & casualiter, &c. Quasi diceret, Quamuis Papa, vt est Papa, ordinariè non possit etiam iusta de causa deponere Principem, tamen vt est dominus temporalium, incidenter & casualiter potest mutare regna, & vni auferre, & alteri conferre, si non vt Princeps Ecclesiæ politicus, tamen vt summus Princeps spiritualis: insidias videtur Regibus facere priùs, quò certiùs de improuiso opprimantur. Non habent latrones ordinariam potestatem spoliandi domos bene munitas: aut viatores expilandi bene comitatos, sed habent potestatem casualiter vtrunque faciendi: vt cum vel domos malè defensas, vel viatores inermes offenderint. Ita Papam negat habere potestatem ordinariam Reges deponendi atque eradicandi, sed accidentariam & casualem dicit habere, qua videlicet vel suis, vel alienis viribus, vel occultis ministrorum suorum insidijs casu aliquo, cum Reges minimè suspicentur, & cum illos maximè infirmes & debiles senserit, nec opinantes possit extinguere. Quod quid est aliud quàm Papā

discipu-

discipulum Machiauelli facere, interdum leonem, interdum vulpem agentem, perniciem Regibus, quibus irascitur, vel vi, vel fraude molientem, vt casualiter possit consilia sua ad effectum perducere, & Reges, quasi prædam suam, deuorare? Quod sine dubio longissimè abest à mente sanctissimi Patris: sed ita nonnunquam accidit, vt improbi homines distinctionibus huiusmodi deprauati, Doctorum elenchis inuito Papa, ad perniciem Regum abutantur.

Vos igitur, CALANDER & ARGENTINE, me authore, præstigiatricem istam & destructricem Theologiam ab animis atque conscientijs vestris repelletis: viam planam & regiam præscriptam à Christo & Apostolis, vobisque à PATRIOTTA paulò antè monstratam inibitis: deuios autem istos tramites, & periculosa vobis præcipitia relinquetis, vt saluis familijs, saluis conscientijs viuere moríque possitis.

Tum PATRIOTTA, Vtinam, inquit, vtinam VELBACELLE, totum iniquitatis mysterium intelligeres æquè, atque partem istam, qua de agitur, intelligis: ego tibi, tanquam seni Tobiæ, oculos inungam. Et admonitus à te, viam illam obedientiæ præscriptam à Christo, Christianorum veterum, ac imprimis Pontificum Romanorum vestigijs consignatam demonstrabo, vt & exsoluam, quod promiserim, & quales maiores Episcopus Romanus melioribus sæculis habuerit, & quales deterioribus, appareat: qui tantum absuerunt à dominio temporalium, vt dominium spiritualium non haberent; & qui nunc se Regum Dominos esse iactant, tunc sese Regum seruos agnoscerent, vt ex historijs vestris manifestum fiet.

Alterum obedientiæ fundamentū, praxis Christianorum, ac potissimùm veterum Romanorum.

At mihi quidem sæpenumerò memoriá vetera repetenti, dubium videri solet, vtrum Romanus Episcopus pietate obedientiaque maiorum magis, an impietate ac rebellione creuerit; & vtrum priorum munificentia Cæsarum magis, an posteriorum patientia tantam sit opulentiam ac potentiam consequutus. Nam cum illum primò & vrbis imperatricis antiqua nobilitas, & magna Apostolicæ sedis opinio, & triginta martyrum inuicta pietas illustrauit: tum posteà Christianorum

ſtianorum Imperatorum ſumma gratia, & Epiſcoporum incorrupta fidelitas, & humilis obedientia tandem eouſque prouexit atque extulit, facilè vt inter cæteros omnes Epiſcopos primatum ordinis obtineret. Ac primis ſaltem ſexcentis annis in Epiſcopis virtutes cum virtutibus, patientiam cum obedientia, conſtantiam cum doctrina certantem cerneres; vt vtrum zeli & martyrij gloria magis, an ſcientiæ & officij commendatione floruerint, planè neſcires. Imperatorum in Epiſcopos, vt Ethnicorum capitale odium, ita Chriſtianorum amor eximius: vt dubites vtrum pietatem Pontificiam magis illorum extrema crudelitas velut excoxerit & expurgarit, an horum profuſa liberalitas deprauarit atque corruperit. Vnde cùm celebre illud Tertulliani, Sanguis martyrum ſemen Eccleſiæ, tum & illud Auguſtini, Religio peperit diuitias, & filia deuorauit matrem. Quod non eò dictum exiſtimo, quaſi feruorem illum primitiuum quem perſequutio excitauit, pax ſubſequuta ſtatim extinxerit potiùs, quàm ſenſim refrigerarit. Nam vt trecentis annis Epiſcopi vſque ad Sylueſtrum Imperatoribus paſſiuam Ethnicis, ſic & ante & poſt Bonifacium, quingentis actiuam præſtitere obedientiam Chriſtianis. Et cum vel hæreticus, vel apoſtata, vel tyrannus ſedem imperij teneret; tamen ex doctrina Chriſti cum facere non poſſent quod Imperator iuſſit, patiebantur quod inflixit.

Extant hiſtoriæ, quæ declarant Imperatores ſupremos Dominos etiam in rebus ſpiritualibus agnitos à Romanis Epiſcopis, & obſequio non coacto, ſed voluntario, nec ſimulata, ſed ſyncera animi humilitate cultos atque obſeruatos fuiſſe.

Euſeb. lib. 1. cap. 5. Meltiades Epiſcopus Romanus Conſtantinum Magnum nonne ſupremum ſuum Dominum in ſpiritualibus agnouit, eique humillima voluntate obediuit, cum cauſam Cæciliani & Donati de electione Epiſcopi, ab Imperatore non ipſi ſoli, ſed alijs etiam collegis delegatam, cum alijs audiuit, vt mandauit Imperator? qui, cum à Meltiadis ſententia Donatus primò prouocaſſet, Arelatenſi Concilio à ſe conuocato rem omnem, excluſo Meltiade, denuò diſcutiendam commiſit: à quo

Auguſti. lib. 1. contrà Parme. epiſto. 162. & alibi. Reticio. Materno. Marino.

quo Concilio cum Donatus iterum prouocasset, quòd à Fœlice Cæcilianus ordinationem accepisset, causam Fœlicis retulit ad Ælianum ciuilem magistratum: cuius iudicio cum stare nollet Donatus, causam omnem Imperator reuocauit ad seipsum, & terminauit. Longè abfuit Meltiades à dominio omnium temporalium, cum causam tantam Ecclesiasticam Imperator primùm ei cum alijs collegis delegaret, & secundos iudices constitueret; postremò, causam omnem ad Maiestatem suam reuocaret, & per seipsum excluso Meltiade definiret.

Damasus, Syricius, Anastasius, Theodosium seniorem nonne supremum suum Dominum agnouerunt, eique se demississimè subiecerunt, cum Flauianum apud imperatoriam Maiestatem grauiter ab illis accusatum, quòd sedem Antiochenam contrà Ecclesiæ canones inuasisset, Imperator tamen illis inuitis absolueret, iuberetque vt rediret in patriam, & gregem curæ suæ commissum pasceret? Imperatorem aut Regem, credo, tum vnus Romanus Episcopus potuit de solio deponere: cum tres vnum Flauianum Episcopum de Cathedra remouere non possent. Theodoret. lib. 5. cap. 23.

Arcadium Theodosij filium, opinor, supremum Dominum non agnouit Innocentius, cum Imperatori supplicaret, vt Concilium ad Chrysostomi causam examinandam conuocari iuberet: quem tamen in bona causa reiecit Arrianus Imperator, eiusque nuntios, vt perturbatores occidentalis Imperij cum probro dimisit, Chrysostomum longiùs amandauit, edictum publicauit, quo pœnam depriuationis inflixit Episcopis, qui fauerent Innocentio & Chrysostomo, nec communicarent Attico Chrysostomi successori. Melior tum omnino causa Innocentij: sed Arcadij maior authoritas. Non erat tum profectò nouum, vt Episcopi Romani in rebus Ecclesiasticis Imperatoribus supplicarent: tantum aberat, vt in ciuilibus imperarent. Niceph. libro 13. cap. 3.

Theodosium etiam iuniorem Leo Pontifex supplex rogauit, vt Concilium Episcoporum in Italia conuocari iuberet ad reprimendam Eutychetis hæresim: quem de loco non audiuit Imperator, sed Concilium Ephesi conuocauit. Vbi cum Leo. Episto. nona.

Dioscorus Episcopus Alexandrinus veritatem oppressisset, & Eutychetis hæresim confirmasset, & Flauianum Orthodoxum de Episcopatu Constantinopolitano deiecisset: iterũ Leo cum gemitibus & lachrimis Imperatorem est obtestatus, vt generale Concilium in Italia cogi mandaret: quod tamen Theodosius bono seni denegauit. Quòd si tum Pontifex Cæsari imperare potuisset: quid opus fuisset supplicare? Si fuisset authoritas in Leone conuocandi Concilij: cur tam alta suspiria traxit? Cur tot lachrimas profudit, quibus ad eam rem Imperatoris clementiam commoueret? Quod in tanto fidei discrimine cum sibi negari videret, cur non statim rugire cœpit Leo, & excommunicatione terrere Imperatorem? eumque de solio deijcere? Cur, si iure potuisset, non minis cum eo, non armis egit? Sed rem tum precibus nimirum & lachrimis Romani Pontifices, non minis armisque tentarunt?

Episto. 24.

Mortuo Theodosio Martianum, qui Chalcedonense Concilium coegerat, non minùs demissè enixéque obsecrauit, vt Imperatorio decreto Ephesinum Concilium secundum antiquaret, & Chalcedonensi mandaret, ne à Nicena fide discederet. Magna quidem pietas Leonis, maior certè, quàm authoritas. Sed pietas tandem, quod rogauit, impetrauit. In quo non superior Leo, sed fœlicior, quòd pietati Pontificiæ imperialis authoritas responderet.

Epistol. 43.

GREGORIVS magnus Mauritio Imperatori rem, vt ipse putabat, iniustam imponenti, humiliter quid sentiret exposuit, & tamen iussus edictum eius publicauit. Vtrobique igitur quæ debui, inquit, exolui, qui, & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo quod sensi, minimè tacui.

Grego. lib. 2. epist. epist. 61.

Imitatus est Ambrosium: credo, cuius est illud memorabile responsum ad Valentinianum iuniorem Arrianum Imperatorem iubentem, vt vnam Mediolani Ecclesiam daret Arrianis, quod ille, cum rem condemnaret, de loco dedit. Volens nunquàm, inquit, ius deseram, coactus repugnare non noui. Ita conscientiam Deo integram reseruans, Imperatori obedientiam non negauit.

Lib. 5. episto. & orat. de basili. tradendis.

Similis vterque Azariæ quem SATVRNINVS modò, vt bellicosum sacerdotem induxit, qui cũ leprosum Oziam admonuisset

monuiſſet vt è templo & à ſocietate hominum iuxta legem diſcederet, cum Rex minatus reſiſteret, Ego feci, inquit, officium, vltrà progredi non poſſum.

Diſcat nunc modeſtiam Pontifex Romanus ab Epiſcopis & ſacerdotibus antiquis, ſaltē à ſuis maioribus, imprimiſque Gregorio ſuo. Qui Mauritium Imperatorē, à quo Iohannes Conſtantinopolitanus vniuerſalis Epiſcopi titulum accepit, tamen sereniſſimum Dominum ſuum, ſeque ſeruum illius agnoſcat, vt alij anteà multi. Sed Gregorius Magnus ſe magis adhuc minuit atque abijcit, Quid ſum ego, inquit, qui Domino meo loquor, niſi puluis & vermis? (quantum abfuit vermiculus iſte à Leonibus deponendis?) quod non ſimulata, ſed ſincera animi humilitate eſt profeſſus, ſeſeque Domino ſubiecit non ex animi quadam humilitate, ſed ex officij neceſſitate: niſi fortè diſſimulatorem Gregorium libeat fingere colentem Imperatorem obſequio callido, non vero: aut ioco ſe potiùs, quam ſeriò ſubmittentem.

At poſtquam à Phoca Bonifacius ſucceſſor Gregorij, vniuerſalis Epiſcopi titulum impetraſſet, Pontifices poſteà fortè obedientiam negarunt Imperatoribus.

Minimè. Nam Agatho cum Conſtantinus primus doctos & pios homines ex Occidente accerſeret, qui cum Græcis in ſexto generali Concilio de veritate religionis communicarent, reſcripſit, Se ad sereniſſimum Dominum ſuum conſeruos ſuos direxiſſe iuxta pijſſimum decretum Regiæ maieſtatis, & obedientiam, quam debuimus. Noſtra abiectio obedienter impleuit, quod à te eſt imperatum. Et in alia epiſtola, Omnes, inquit Aquilonis & Occidentis Epiſcopi ſerui Chriſtiani imperij tui, pro religioſo animo tuo Deo gratias agunt.

Immò verò ducentis poſt vniuerſalem titulum annis, cum iam imperium è Græcia tranſlatum in Germaniam, in CAROLI magni, qui Papæ magnas in Italia poſſeſſiones reliquiſſet, familia reſideret, illius filio Ludouico, & nepoti Lothario, quàm ſe obedientem Pontifex, atque humilem præbuit?

Leonis quarti Pontificis, ne cætera conſectemur, celebris

& nota submissio est, quam Ludouico & Lothario præstitit.
Causa.2. quæst.7.cap. Nos si. Ludouico scribit Leo Pontifex, Nos si quicquam secus fecerimus, nec iustè cum illis egerimus, qui nobis subsunt, quicquid secus est factum iudicio Celsitudinis tuæ corrigemus, Excellentiam vestram obsecrantes, vt mittas eos, qui in timore Dei strictim examinent non modò res delatas, sed omnes actiones nostras maximas & minimas.

Hic habemus Imperatorem Papæ correctorem in maximis & minimis.

Sed erat, inquies, hæc nulla pars papalis officij, sed papa-
Ibid. cap. Petrus. lis humilitatis dispensatio. Certè ita ridiculè loquitur Gratianus, quasi ioco se per ludibrium Episcopus submisisset Imperatori, non seriò, & ex officio debito.

Num ioco se etiam postea Lothario, aut humilitate quadam voluntaria, non obseruantia necessaria submisit, cum se
Distinct.10.de capitulis Caroli, Ludoui. & Lotharij. inuiolabiliter leges CAROLI, Ludouici, & Lotharij Ecclesiasticas obseruaturum promitteret, iuraretque non modò præsentem, sed futuram etiam obedientiam?

Erat tum Romanus Episcopus, vt vides, Imperatoris subditus & seruus. Imperatori humiliter supplicauit, vt Domino: non superbè imperauit, vt seruo. Obediuit, non restitit. Nec Catholico solùm, sed etiam hæretico, immò etiam Arriano. Personæ honorem detulit, non coronæ iniuriam intulit. Legibus obediuit, non contradixit. Et Canones Ecclesiasticos accepit ab illo, non dedit. Sacramentum obedientiæ ipse præstitit, non igitur alios ab obedientiæ sacramento liberauit. Erant tum non modò Imperatores, sed Imperatorum delegati Romanorum Pontificium iudices & correctores in maximis & minimis. Non igitur Pontifices tum Regum iudices & correctores extiterunt. Nondum erant domini spiritualium: nedum igitur temporalium, vt nunc à suis assentatoribus nuncupantur.

Tandem Imperatorem temporalibus, & Regum donis ditati & ornati, paulatim insolescere contrà Dominos & patronos suos posteà cœperunt: & diuisione Imperij, & discessu Imperatoris ex Italia, & Regum dissidijs, & subditorum perduellione maximè creuerunt.

Gregorius ſeptimus, primus, vt teſtatur Friſingenſis, poſt annum à Chriſto milleſimum ſexageſimum, Henricum 4. Imperatorem excommunicationibus verberauit, & regno abdicare eſt aggreſſus: ad eamque rem ſubditos iuramento obedientiæ ſoluit: cuius proximi ſucceſſores eandem ſunt amentiam imitati, qui, vt Hildebrandus Rodolphum primò, ita deinde Hermannum, poſt Ecbertum ſeruos contrà Dominum, poſtremò Conradum & Henricum filios contrà patrem, omnes fidelitatis ſacramento, hos etiam naturæ vinculo obligatos concitarunt: ſed quo ſucceſſu veſtræ hiſtoriæ declarant.

Nam author huius Tragædiæ Gregorius quadriennio poſt à populo ſuo relictus, Henrico in vrbem recepto, vnanimi omnium conſenſu Papatu eſt abdicatus: & moriens, vt Sigebertus de eo ſcriptũ inuenit, vno ex duodecim Cardinalibus quos præcipuè dilexit, ad ſe accito, confeſſus eſt Deo, & D. Petro, & toti Eccleſiæ, ſe in adminiſtratione muneris paſtoralis ſibi commiſſi grauiſſimè peccaſſe, & inſtinctu Diaboli odia & bella inter homines commouiſſe, vt ſcribit Benno Cardinalis.

Sigeber. in anno 1084. Vesberg. in anno 1083.

In vita Gregorij ſeptimi.

Non me præterit ſcriptores Italos odio Imperatoris, Papæ ſui vitia quàm maximo poſſent mentiendi artificio tegere ac diſſimulare conatos. Quis credat Blondo, Fulgoſio, Trithemio cæteriſque Scriptoribus ſuſpectæ fidei, vel recentioris ætatis, qui poſt aliquot centenos annos nati ſunt, quàm iſta facta ſunt, vt vel propter gratiam & odium, vt Blondus, vel propter ignorantiam, vt Fulgoſius & Trithemius Abbas, mentiri facilè potuerint? quis, inquam, credat illis Hildebrando falſam laudem affingentibus, cum ſui Abbates, & Cardinales non auriti modò ſed oculati huius tragædiæ teſtes, qui non blandiri hominum vitijs, ſed Dei ordinationem defendere propoſuerant, illum vera infamia notarint? & authorem rebellionis & periurij ſcripſerint à papatu eſſe deiectum? & Sathanæ commotum inſtinctu orbem conturbaſſe, vt ipſe moriens confeſſus eſt? Et non miramur iam Pontificem cuius furorem imitatur, illius exitum non perhorreſcere? qui nunc Tyronum contrà Iacobum Regem

ſuum clementiſſimum concitat, vt ille Rodolphum contrà Henricum Imperatorem concitauit.

Sed Rodolphus etiam primus actor, cum dextram ſuam in acie abſciſſam videret, & iam animam ageret, ſuſpirijs altè ductis circumſtantibus Epiſcopis dixiſſe fertur, vt refert Vrſbergenſis: Ecce hæc eſt illa dextera, qua Henrico ſupremo Domino fidem iuraui: & nunc vt videtis, brachij ſui truncum oſtendẽs, & regnum eius, & vitam præſentem relinquo. Cuius ego fortunam Tyrono precor perfidioſiſſimo perduelli: precor etiam pœnitentiam.

Vrsberg. in anno 1080.

In anno 1080. Scribit Sigebertus, Hildebrandum reuelatione, vt ipſe dixit, è cœlo prædixiſſe, eodem anno, quo Rodolphus occiſus eſt, falſi Regis mortem. Intellexit Henricum. Sed Henricus cum Saxonibus pugnans, victor redijt: & Rodolphus Rex falſus interijt. Si hæc fuit diuina reuelatio, vt Gregorius dixit, Deus, vt prædixit, ſic puniuit falſum Regem Rodolphum, quem Gregorius contrà Dominum exciuit: ſi non fuit reuelatio diuina, ſed familiaritas dæmoniaca cum ſpiritibus inſtituta; qualis erat Sanctus iſte, quem prædicatis, qui ſocietatem inijt cum dæmone, qui phreneticum humorem infernalis diſcipuli ſui decepit & prodidit?

Hermanni etiam infidum caput ſaxo palàm fœminea manu de turre proiecto contuſum, cerebro protinus eliſo & diſperſo, exercitum perfidiæ ſigna ſequentem conterruit & diſſipauit.

Ecbertus è ſolio in piſtrinum fugiens vt vitam ſeruaret, vitam amiſit.

Conradus filius natu maior, regno paterno, quod prodidit, iure exhæredatus miſerè perijt.

Henricus natu minor Pontificijs artibus inſtructus, vt ſacramentum, quo ſe patri obſtrinxerat, violaret, primò contrà patrẽ exercitum cõparauit. Et quum quorundã interceſſione Nobilium, qui Solem orientem ſpectabant potiùs, quàm occidentem, res inter patrem & filium conueniſſe videretur, filius patrem promiſſis, lachrimis, iuramentis induxit vt caſtellum ingrederetur, quo recepit vt Imperatorem, detinuit vt captiuum: eique optionem dedit, vt aut coronam, aut caput

caput reſignaret. O periurum atq; impium patricidam! ô ſcelerati magiſtri diſcipulum ſceleratiorem!

Quem primus lapidem Gregorius ſeptimus contrà Henricum quartum Imperatorem cum ſuo, vt patet, interitu mouere cœpit: eundem alij poſteà Papæ contrà alios Imperatores & Reges voluere non deſtiterunt, interdum non meliore ſucceſſu ſuo, non minore ſemper Eccleſiæ dedecore. Vt Adrianus quartus & Alexander tertius contra Fredericum primũ, Honorius & Gregorius nonus & Innocentius quartus contrà Fredericum ſecundum, duos ſanè prudentiſſimos, pijſſimos, & fortiſſimos Imperatores, ne alios nominemus.

Nam Adrianus quartus coitione facta cum Cardinalibus, & Guilielmo Siciliæ Rege, cæteriſque Nobilibus & vrbibus Italiæ, vt ex Italia Fredericum primum expellerent, primò excommunicationis fulmen emiſit. Et cum Adrianum paulò poſt culex, vt fertur, bibentem ſuffocaſſet, Alexander tertius ijſdem eſt Imperatorem veſtigijs perſequutus; ſacerdotes ſuos emiſſarios è ſinu ſuo appoſuit, qui Cremam, Placentiam, Veronam, Mediolanum, Brixiam ad rebellionem ſolicitarent: Guilielmum Siciliæ Regem inimicum magis incendit, vt Fredericum oppugnaret. Henricum ducem Saxoniæ corrupit, vt Dominum ſuum in campo deſereret; Gallum, Anglum, Hiſpanum, Venetos ad eum vexandum, atque infeſtandum concitauit: hijs artibus, hijs machinis Imperatorem cùm regno, tum vita etiam exuere conatus eſt. Sed Deus ita aſtitit Frederico; vt vrbes Italiæ rebelles ceperit, captaſque diruerit, ducem proditorem è ſuo ducatu exterminarit, Papam è palatio expulerit, Venetiaſq; ſub habitu coci ad ſanctum Marcum fugere compulerit. Quamuis ipſe poſteà naturæ indulgentia motus, vt captiuum filium redimeret, ſeipſum ibidem Alexandri pedibus conculcari paſſus eſt. Quam tam indignam iniuriam Imperatori non tam fuit probroſum pati, quàm Pontifici facere.

Non eſt opus cauſas attingere, cur Papæ Imperatores duos, Henricum 4. & Fredericum primum deponendos putarint. Cum nulla vel legitima poteſtas vel, iuſta ratio Papis eſſe potuerit vnquam Imperatores deponendi. Adrianus Papa

succensuit Frederico primo, quòd suum nomen Imperator in suis literis Pontificis nomini præposuerit; quòd Cardinales ab Ecclesijs visitationis simulatione spoliandis atque expilandis prohibuerit, hoc est, quòd Pontificiæ ambitioni auaritiæque restiterit. Vt Henricum quartum Gregorius septimus adortus est, quò donationem Episcopatuum extortam Imperatori ad se transferret, ita Fredericum Adrianus, vt Episcoporum personas eximeret, quò nec beneficij, nec officij causa Principibus adhærerent.

Euismodi etiam causæ Honorium & Gregorium nonum, & Innocentium quartum inflammarunt contrà Fredericum secundum huius nepotem: cui Deus etiam indignissimè violato sic adfuit, vt Cardinales coniuratos, sicut erant meriti, tractarit, Papas & sacerdotes diuexarit, & Gregorium nonum tandem incluserit, eoque redegerit, vt non sine summo animi angore moreretur.

Platin. in Grego. nono.

Caueat igitur Pontifex, ne si cum Principibus Gregorizet, Deus Principes excitet, qui cum Papis Henrizent atque Friderizent.

Nec Innocentius quartus ideò fœlicior, quòd nomine Ecclesiæ, potestate clauium, discordia Principum, socordia Episcoporum, superstitione populorum, tandem Fredericum secundum Imperio abdicarit, & duos alios in eius locum eligendos curarit. Nam nisi plus coniurationibus & venenis profecisset, quàm electionibus: Fredericum nobilissimum Principem nunquam oppressisset. Sed tandem veneno, cum rediret Imperator in Apuliam, sublatus est. Ex quo cum conualescere videretur, à Manfredo spurio filio suo, vt iacuit in lecto, puluino est suffocatus.

Coniura. Theobaldus, Franciscus, Guilielmus de San. Seuerino, Paudulphus. Cuspinia. in Frede. 2.

Hæ sunt artes Paparum quibus Principes euerterint, & fastigium illud Papatus sui excitarint; excommunicationes, quibus velut hamis, regna ceperint, & tanquam virgis, Reges verberarint: rebelliones apertæ, quibus Principes, vt pilas, pedibus suis deturbarint: coniurationes occultæ, quibus veluti retibus illaquearint atque implicarint, vt incautos tectius veneno tollerent.

Vt dubitatio magna, quam dixi, relinquatur, vtrum Romanus

nus Episcopus virtute atque obedientia maiorum magis, an perfidia & scelere creuerit, & superiorum beneficentia Cæsarum, an posteriorum patientia tantum ad fastigium, quantum orbis ipse miratur, culmenque peruenerit.

Ieci iam duo, quæ proposui, fundamenta obedientiæ erga Regem qualemcunque, & fidei subditorum suorum: vnum in perpetuo atque immutabili mandato Christi, alterum in perpetua praxi veterum Christianorum, ac potissimum Romanorum Pontificum, donec post octingentos annos ad minimum sæcularis ambitio pietatem & fidem paulatim extinxisset.

Hic SATVRNINVS, Vt omittam, inquit, cætera (ne disputatio nostra sit infinita) quæ de Romanis Pontificibus ex historia collegisti, illud vnum præterire non possum, quòd Gregorium septimum, quem tu quantum poteras deformasti, primùm excommunicandi atque abdicandi Regis authorem esse dixisti.

Nam & Leo tertius Imperator excommunicatus à Gregorio secundo fuit, & omnibus, quæ tenuit in Italia, temporalibus planè priuatus. Et à Leone tertio Pontifice Romano propter religionis defectum, & defensionem Ecclesiæ desertam, Græci Imperatores dimissi, & Imperium ad Germanos translatum est. Nam quis nescit Childericum Regem Galliæ à Zacharia primo Papa depositum fuisse, tanquam inutilem & stultum, & Pipinum in eius locum surrogatum? Vt in iure nostro perspicuum est: & scribit Platina, eius authoritate Regnum Franciæ Pipino adiudicatum. Et Frisingensis, quem tu authorem sequeris, Pipinum per Papam Sephanum absolutum scribit à fidelitatis sacramento, quod Childericho dedisset, aliosque Nobiles Franciæ; & Rege detonso ac in monasterium detruso, Pipinum Regem inunctum fuisse. Immò verò Gregorius magnus, quem tu modò quasi vermem respectu Imperatoris esse dixisti, id ipsum quo de agimus, quatuor antè Gregorium septimum sæculis in actum eduxit. Nam in forma priuilegij concessi monasterio sancti Medardi ita decernit: Siquis Regum, Antistitum, Iudicum, vel quarumcunque personarum sæcularium, huius Apostolicæ authoritatis

Causa 15. quæst. 6. alius. Platin. in Zac. primo. Frising. lib. 5. cap. 22.

thoritatis

In fine libri 12. Epist.

thoritatis & nostræ præceptionis decreta violauerit, cuiuscunque dignitatis vel sublimitatis sit, honore suo priuetur.

Quare quòd Gregorium septimum virum, sanctissimum ita laceratis mortuum, quòd primus, vt dicitis, Henricum quartum Imperatorem deponere voluerit, virum stupris, amoribus, impudicitiæ & adulterij flagrantem infamia, id quod ne amici quidem negant, vt scribit Auentinus: certè cùm summam hæreticorum prodit inscitiam, tum malitiam singularem. Ac, ne multa conquiram, quibus illorum historia temporum Gregorij laudem & gloriam illustrauit, forma electionis ipsius, vt est à Platina, Sabellico, alijsque scriptoribus expressa, qualis fuerit, ostendit. Elegimus hodie 21. Maij, anno Domini millesi. septuages. secundo, in verũ Christi vicarium Hildebrandum Archidiaconum, virum multæ doctrinæ, magnæ pietatis, prudentiæ, iustitiæ, constantiæ, religionis, &c. Extat Lamberti Schafnabergensis laudatio: in qua scribit, signis & prodigijs, quæ per orationes Gregorij Papæ frequentiùs fiebant, & zelo feruentissimo pro Deo & Ecclesiasticis legibus, satis eum contra venenatas detractorum linguas communitum.

Auenti. lib. 4. Annal. Boior.

Author 3. cõuersionum Angli. partis 2. cap. 7.

Quid autem ijdem authores, immò ipsi etiam Germani de Imperatore suo scribant, Gregorij inimico, adultero, simoniaco, & vitijs omnibus infami, quid attinet dicere? Marianus Scotus testis est, Gregorium septimum iustis Catholicorum hominum clamoribus excitatum, qui contra immanitatem impietatis Henrici quarti vociferati sunt: propter eandem excommunicasse Imperatorem, sed potissimùm propter peccatum simoniæ in emendis ac vendendis Episcopatibus. Et hoc Papæ factum bonis Catholicis maximè placuisse: displicuisse autem illis, qui emere & vendere beneficia voluerunt, & Imperatoris fautores extiterunt.

Maria. Scot. in chro. ann. 1075.

Possem idem pro Adriano 4. & Alexandro tertio contrà Fredericum primum, & pro Honorio, & Gregorio nono, & Innocentio 3. contrà Fredericum secundum dicere: nisi quòd memor sum, vt nos antè monuisti, quæstionem inter nos non de qualitate personæ, sed de potestatis iure esse in-

ſtitutam. Poſſem etiam, niſi longum eſſet, oſtendere, Romanos Pontifices etiam illos ipſos, quorum humilitatem atque obedientiam celebraſti, non illam iuris ſui præiudicio, ſed potentiæ defectu Imperatoribus hæreticis & tyrannis præſtitiſſe. Poſſem etiam cùm Concilia nationalia, tum etiã Parliamenta proferre, quæ neceſſariam & iuſtam horum, quos nominaſti Imperatorum aliorumque etiam Regum ſuorum correctionem ac depoſitionem per cenſuras Pontificias ſemper comprobarunt.

Tum CAROLVS REGIVS, Scitum eſt, inquit, (vt dixit orator) cauſam conferre in tempus, cum afferre plura, aut meliora, etiamſi velis, non queas.

Verùm vt breuiter ad obiecta reſpondeam, quòd Leonem tertium Imperatorem à Gregorio 2. omnibus, quæ tenuit in Italia, temporalibus priuatum affirmas fuiſſe: certè, ſi rimemur hiſtoriam, quamuis Italorum defectio à Leone imperatore Conſtantinopolitano videri poſſit actio Gregorij ſecundi, vt hiſtorici teſtantur: propterea quòd fuerit è re Pontificis, Imperatoris in Italia præcipuè pennas incidi: tamen id nihil ad cauſam præſentem pertinet. Non enim id egit Pontifex, vt miniſter excommunicationis, ſed vt caput perduellionis: nec vt Epiſcopus ſine cæteris, ſed vt rebellis cum cæteris: non ſua vniuerſali authoritate, quam nunc arrogat, ſed ſeditione populari.

Zonaras Annal. Tom. 3. in imper. Leo. Iſauri.

At imperium tranſlatum eſt à Græcis per Leonem tertium Pontificem ad Germanos. Minimè. Non Papæ clauibus, ſed populi Romani decreto, vt veſtri teſtantur hiſtorici, tranſlatum imperium eſt; nec religionis cauſa, ſed ciuilis iuſtitiæ reſpectu. Nã Romani qui ab Imperatore Conſtantinopolitano iamdiu animo deſciuerant, vt qui ſe neglectos à Græcis, & Lombardorum incurſione expoſitos viderent, accepta occaſionis opportunitate, quia mulier amens, id eſt, Irene, Conſtantini ſexti Imperatoris mater filio ſuo oculos eruiſſet, & coronam abſtuliſſet, vno omnium conſenſu Carolo Regi imperatorias laudes acclamant, eumque per manus Leonis Papæ coronant, Cæſarem & Auguſtum appellant.

Vrsberg. in anno. 718. Sigeber in anno 731. Blond. deca. 2. lib. 1. Sabell. Enne. 8. lib. 8. Auentinus Annal. lib. 4. fol. 344. & Sigebertus in anno 801.

Neque verò Pontifex Childericum anteà Galliæ Regem deposuit, sed Proceribus regni & populo deponentibus consensit, qui Pipini virtutem amplexi, pertæsique Regis amentiam, Zacharia Pontifice priùs consulto, Regis appellatione Childerico adempta, vt spes etiam regni adimeretur, in clerum detondent, Pipinum Regem creant. Non igitur à Papæ cõsistorio, sed Nobilium & populi iudicio & consensu regno est abdicatus, quòd regno esset inutilis, vt ipse obseruabas: quàm iustè non disputo, tantùm ostendo non excommunicatione Pontificis, qui tantam rem certè nunquam efficere potuisset, sed coitione Nobilium & populi regno esse depulsum, & Pipinum eiusque stirpem in illius locum surrogatam.

Sabell. Enne. 8. lib. 8.

Nam quòd Gregorium Magnum depositionem Regis in actum eduxisse contendis, erat id sanè perridiculum. Quæro enim cuius Regis? Excipis, ab eo tantò antè depositum, quicunque vllo tempore illius priuilegium vsque ad mundi finem infringeret. Ergo deposuit Reges non solùm antequàm coronati, sed antequàm nati sunt. Sed propositio quam defendis, non magis falsa est, quàm ratio, quam adiungis, est friuola. Quiscunque Rex priuilegium monasterij S. Medardi violauerit, honore suo priuetur. Vtrum hæc depriuatio Regis, an imprecatio est? Adde, quod omisisti, Et cum Iuda traditore Domini in inferno inferiori damnetur. Si habet Pontifex potestatem ex hoc loco Regem deponendi, habet igitur damnandi. Non habet damnandi potestatem. Non habet igitur deponend. Satin' sanus es, qui votum pro iudicio, formam imprecationis pro sententia depriuationis, maledictionem præcedentem pro subsequente vltione accepisti?

At Gregorium septimum delicias vestras nunquam definitis ornare. Meritò id quidem, quòd se non modò perduellem, quales vos estis ipsi, qualesque alios efficere cupitis, sed perduellionis ducem & signiferum præbuit, vt sacerdotum promoueret gloriam ex diminutione laicorum.

Nam illæ laudes quas Gregorio, & illa probra quæ Henrico tribunt homines vestri, nihil causam, vel vestram adiuuant, vel nostram lædunt: sed miror bonum istum, vt refers, Archidiaconum tam citò malum euasisse Episcopum, vt illum

lum vniuersi penè Teutonici Episcopi in Wormatiensi synodo congregati magnorum periuriorum, nouorum abusuum, & multiplicium vitæ probrorum condemnarint. At Itali absoluerunt. Minimè. Nam illi Brixiæ congregati triginta, post acceptos legatos, & literas nouemdecim Episcoporum, qui Moguntiæ cum Nobilibus Italiæ Germaniæque conuenerant, publicè testati sunt, Gregorium impudentissimè seipsum intrusisse in sedem Apostoliam fraude & pecunia; peruertisse Ecclesiasticum ordinem, Christiani imperij regimen disturbasse, interitum corporis atque animæ Catholici sui & pacati Regis molitum esse, periurum contrà ipsum defendisse. Nec eo contenti tandem adiudicarunt Hildebrandum personam impudentissimam, anhelantem sacrilegia & rapinas, propugnantem periuria & homicidia, vocantem in dubium Catholicam & Apostolicam fidem de corpore & sanguine Christi, veterem hæretici Berengarij discipulum, obseruatorem somniorum & diuinationum manifestum.

Vrsberg. in anno 1076.

1080.

Ideoque lapsum à vera fide canonicè deponendum, & ex Pontificatu suo expellendum. At isti factiosi fauerunt Imperatori contrà Pontificem. Quid illi, qui fauerunt Pontifici contrà Imperatorē? At Lambertus Schafnaburgensis laudat hominem. At idem ipse Lambertus, cum legatus Pontificis reconciliationem Imperatoris, & submissionē Canusij datam nuntiasset, refert fremere omnes (Italos) ac sæuire verbis ac manibus cœpisse, & Apostolicæ legationi irrisorijs exclamationibus obstrepere, conuitia & maledicta vtcunque turpissima furor suggessisset, irrogare, se excommunicationem illius nihili æstimare, quem ipsum omnes Italiæ Episcopi iustis de causis iampridem exommunicassent, qui sedem Apostolicam per simoniacam hæresim occupasset, homicidijs cruentasset, adulterijs alijsque capitalibus criminibus polluisset, Regem secus ac deceat egisse, crimenque gloriæ suæ intulisse nunquam abolendum, quòd homini hæretico & probris omnibus infamato Maiestatem Regiam submiserit. Intereà nos non excusamus vitia Principis, sed ius defendimus: nec vitam Papæ accusamus, damnatam à suis, sed factum expendimus:

Lambert. in anno 1077.

dimus: id obseruamus, si verum fuerit, Simoniacum & adulterum fuisse Imperatorem, vt scribit Marianus Scotus, malè fuisse à Simoniaco & adultero Papa, vt Germani & Itali testantur, abdicatum.

Non me fugit Fredericum primum & secundum eodem modo quo Henricum quartum, acerbè traduci à Paparum assentatoribus, & deformari: quemadmodum etiam Ludouicus quartus Imperator à Papa Iohanne viges. secundo: & Philippus quartus, Pulcher cognominatus, Gallorum Rex, à Papa Bonifacio octauo: & Henricus secundus Angliæ Rex ab Alexandro tertio: & Iohannes Angliæ Rex ab Innocentio, excommunicati semel adulatorio scriptorum Romanensium stylo confixi & iugulati sunt. Vt minimè mirandum sit ab illis hæreticos, sicut à vobis falsò iudicantur, Principes huius memoriæ nostros, Henricum octauum, Edwardum sextum, Elizabetham, & Iacobum 1. tam indignè tractari, qui tum in media Papismi nocte catholicos suos Principes tam crudeliter diuexarint.

Verumenimuerò, vt non modò Angli, quorũ fidelitatem ergà suos Principes, conducta quædam Papæ mancipia libris Anglicè scriptis corrumpere conantur, sed vt Germani, Galli, Hispani, Itali, ex publicis suis monumentis fidem maiorum suorum erga suos Imperatores & Principes, etiam tum cum Pontifices aduersùs illos terribilitèr fulminarent; mecum si placet, recognoscant, & recognitam in tanta Euangelij luce tantò magis imitentur: audite, audite, quæso, non quid pauci Lutherani aut Caluinistæ, sed quid Catholici penè innumerabiles harum gentium in synodis, in Parliamentis prò Regibus suis contra Papæ tyrannidem sæpe decreuerint: qui certè Scriptores siue veteres, siue recentes, numero paucos, mercede corruptos authoritate facilè superabunt.

Accepistis antè quid Germani & Itali sui contrà Gregorium septimum, & Episcopi, & Nobiles pro Imperatore suo Henrico quarto publicè sanxerint. Accipite nunc quid pro Frederico secundo primùm contrà Innocentium quartum, deinde pro Ludouico contrà Iohannem vigesimum secundum

dum

dum Germani publicè fecerint, ac deinceps de cæteris.

Germani Episcopi primùm, cum ab Alberto legato Innocentij mandatum accepissent, vt bullam excommunicationis contrà Fredericum publicarent, omnes recusarunt. Abbates iussi, vt anathemate Episcopos recusantes obstringerent, neglexerunt. Clerus accepto mandato, vt nouos Episcopos: Monachi vt alios Abbates eligerent, si in hoc contemptu persisterent; nouitatem exempli vehementer admirati indignari & fremere cœperunt: & papalis nuntij temeritatem detestari: immò etiam Papam ipsum grauiter accusare, quòd tam nouam & pudendam suscepisset actionem contra omne ius & æquum, & totam Germaniam tumultibus implesset.

Rauerium Gallum alium in eadem causa nuntium ab Innocentio missum, cum Sigefrido Episcopo Rentzburgensi bullam contrà Principem tradidisset, quemadmodum exceperunt? Omnes impudentiam hominis deriserunt, & contemptim interrogarunt, quid leuis & superstitiosus ille Gallus, quid Romanus ipse Pontifex ageret in Germania sine consensu Germanorum Episcoporum collegarum suorum. Indignati discordias seri, opprimi libertatem Christianorum, gregem redemptum Christi sanguine per pseudopastores adductum in seruitutem: & cum Albertus non desisteret, Episcopi Germani non modò legati mandata contempserunt, sed in omnibus Ecclesijs hominem vt inimicum Christianæ concordiæ & Archihæreticum anathemate confixerunt: quouis Turca, Saraceno, Tartario, Iudæo peiorem decreuerunt: Romanum etiam Episcopum palàm condemnarunt, res inter Christianos huiusmodi molientem, quæ contrà rationem, contrà ius gentium essent, contrà doctrinam Christi, quæ ne inter sæuissimos quidem Tartaros fieri consueuerunt.

Et sicut Episcopi, sic Nobiles Germaniæ tantam iniuriam Imperatori Domino suo factam à Papa indignissimè tulerunt: ad eamque refutandam omnes ordines conuenerunt, in quibus Eberhardus Archiepiscopus Saltsburgensis, pijssimus senex, cum decem nouisset Romanos Episcopos, & eorum

rum artes ac ingenia diligentèr obseruasset sub Frederico primo, Henrico sexto filio,& Frederico secundo nepote, per annos quinquaginta, summum Episcopum ex auaritia,luxuria, contentione, bellis,discordijs,& cupiditate regnandi totum planè compositum,rapacem lupum sub chlamyde pastoris ita membratim delineauit, ita depinxit ad viuum,vt eum, quamuis de cætero non fuerit Lutheranus, in hoc vno pænè Lutherum diceres. Extat apud Auentinum Catholicum scriptorem Catholici Patris oratio: inde petant, siqui volent.

Acnnt.Annal. lib.7.fol.683.

Quod Episcopi Nobilesque Germaniæ cum populo suo contrà Innocentium quartum in causa Frederici Imperatoris sui communi consilio fecerunt: idem contrà Iohannem vigesimum secundum in consimili causa Ludouici quarti Imperatoris fecisse memorantur, vt quamuis à fidelitatis sacramento prohibiti, fidelitatis tamen sacramentum sumerent Ludouico etiam abdicato, idque ex communi legis vtriusque Doctorum omnium sententia.

Philippus Pulcher Franciæ Rex generali Concilio & consensu Nobilium & Episcoporum, non mòdò iniustam Papæ sententiam depriuationis emissam contrà se despexit atque contempsit, sed regnum vniuersum ab obedientia Papæ abduxit, & vt illius superbiam domaret, Papam cepit, & captum tenuit, vt intra sex septimanas cum summo etiam animæ mœrore moreretur. Nota est Pragmatica sanctio, quæ antiquitùs Paparum authoritatem infregit: & hanc papalem potestatem Reges excōmunicandi,& subditos absoluendi ab obedientiæ sacramento omnes canones Ecclesiæ Gallicæ,(illius partis quæ papalem religionem amplectitur) omnia decreta Parliamenti Regij ita conuellunt, vt ipsum corpus Sorbonæ, totaque Vniuersitas Parisiensis velut schismaticam & perniciosam doctrinam Iesuitarum condemnarit.

Tractat. inscript.le franc discours, ann. 1602.

Neque solùm Henricus octauus, Edwardus sextus, & Elizabetha Regina, quos Caluinistas & hæreticos vocatis, legibus suis vsurpatam istam Pontificis authoritatem expulerunt, eiusque ministros morte mulctarunt: sed alij Re-

ges

ges Angliæ, qui in media Papiſmi nocte regnarunt, papales cenſuras contemnendas, & earum miniſtros legibus coercendos putarunt.

Lex Edwardi tertij num à Caluiniſtis lata videtur, quæ perduellionem facit, machinari & concipere mortem Regis, bellum contrà Regem in ipſius regno mouere, aut Regis hoſtibus in ipſius regno adhærere, aut auxilium, aut ſolatium præbere intra regnum, vel alibi? 25 Edward.3.

Videtiſne vt ducentis annis ante natam Elizabetham proditionem ſacerdotalem religionis habitu inuolutam, Statutũ Edwardi tertij ſingulis membris, quaſi viſcoſis ſurculis, captam tenuerit atque implicatam?

Si machinari mortem Regis perduellio eſt, Ergò Grenwayus & cæteri Ieſuitæ, qui conſilium inierunt deſtruendi Regis & regni, perduelles fuiſſent ex lege Edwardi tertij, etiamſi legem Elizabetha Regina nullam tuliſſet.

Si bellum contrà Regem in ipſius regno mouere peduellio tum fuit: fuerunt igitur ſacerdotes perduelles, qui Catholicos animarunt, vt arma caperent, ſeque cum Catsbeo & Percio in rebellione coniungerent.

Si adhærere Regis hoſti in regno perduellio tum fuit, qui poteſtis, Ieſuitæ, aciem Edwardianæ legis effugere, qui ſeditionis inſtrumenta, ſub religionis ſpecie Papæ capitali Regis hoſti adhæretis?

Si Regis hoſtes iuuare atque animare vel intrà regnum, vel alibi, perduellio tum fuit: certè qui iam quocunque religionis prætextu vel externos Reges ſolicitant, vt regnum inuadant, vt Garnettus, Baldwinus, Creſwellus, alijque fecerunt: vel qui populo perſuadent, vt arma capiant ad Principem deponendum, id quod Grenwellus, Hallus, alijque ſuſceperunt; fuere perduelles, quamuis Elizabetha cum ſuis Caluiniſtis nihil contrà eos lege ſanxiſſet.

At Papam, inquies, Edwardi tertij lex nominatim non attigit. Certè. Sed cum nobiliſſimus Rex meminiſſet Regem Galliæ à Papa contra Iohannem Angliæ Regem excitatum, qui cenſuras papales contempſiſſet: ſubditos contrà Regem inflammatos, Nobiles & Epiſcopos ſua ſponte abalienatos,

primò

primò papalis ministros iniuriæ extitisse: quò sibi posteà subditorum suorum fidem confirmaret contrà Gallos, Hispanos, Romanos, aut alios quoscunque, per quos sibi regnoque suo periculum creari posse prospiceret, vt Papæ nominatim notandi inuidiam declinaret, legem vniuersalem tulit cum consensu Episcoporum, Nobilium, & populi sine vlla exceptione vel personæ, vel causæ cuiuscunque, qua proditorem fecit, quicunque Regis hosti in regno suo adhæsisset, vel iuuisset, vel animasset in regno suo vel alibi quemcunque, qui bellum contrà Regem moueret, generali verbo Papam Papæque emissarios includens non minùs, quàm si illum nominatim attigisset.

At decimo sexto Richardi secundi, Prælati, Duces, Comites, Barones, totusque populus Anglicanus, clerici ac laici Pontificem Romanum nominarunt, cum se associationis fœdere contrà Papā pro Rege iunxerunt, vt cōtrà papales citationes, suspensiones, excommunicationes & censuras, coronam Angliæ, quam semper liberam, & nulli reipub. subiectam, sed immediatè subiectam Deo, nec Romano Pontifici nominatim subditam esse dixerunt, ad mortem vsque defenderent: Regique in causis omnibus à Romano Pontifice susceptis contrà Regem, eiusque coronam & dignitatem, adiungerent sese contra Papam, vt cum Rege viuerent atque morerentur. Hic amor, hæc fidelitas antiqua populi totius Anglicani ergà Regem suum contrà Papam nominatim: tantum aberat, vt illum à Pontifice deponi sinerent.

Iam Hispani quanto studio perfidiam subditorum erga Regem quocunque religionis prætextu aut colore velatam detestati sint, declarant illa multa Toletana Concilia in libro, qui Apologia pro iuramento fidelitatis inscribitur, allegata: quibus videntur vestram illam æquiuocationem perstrinxisse, quam in multis obseruauerant, vt ore simularent iuramenti professionem, dum mente retinerent perfidiæ impietatem.

Concil. Tolet. 4. can. 75.

Videtisne vt in cimmerijs illis papismi tenebris veram tamen fidelitatis erga Reges suos lucem & flammam retinuerint contra Papas nobiles istæ nationes, Itali, Germani, Galli,

Angli,

Angli, Hiſpani? Nec in hac cauſa vel Epiſcopi à Nobilibus, vel Nobiles ab Epiſcopis diſſenſerint: ſed laici cum clericis, clerici cum laicis, Concilia cum Parliamentis planè conſenſerint, vt contrà cenſuras Pontificias dignitatem Regiam, & ſubditorum obedientiam & concordiam tuerentur? Vbi iam horum eſt antiqua Nobilitas, virtuſque populorum? Vbi illa magnanimitas Italorum, Gallorum, Germanorum, Hiſpanorũ? Quando nos alterum Fredericum ſecundum, aut Philippum Pulchrum videbimus, qui Pontificiam inſolentiam in Germania, & in Gallia coercebunt? Quando nobiliſſimæ nationes iſtæ tales Catholicos Epiſcopos parient, qui coronas Regum ſuorum, & cõſcientias populorum à Pontificia tyrannide vindicabunt? Habent Angliam, Scotiam, aliaſque illuſtriſſimas gentes ſibi in hac cauſa præeuntes. At iſtas ſchiſmaticas appellatis, quemadmodum & illos antiquos, quos antea commemoraui, ſchiſmatis inſimulatis. Ergò tum omnes gentes ſchiſmaticæ, Italæ, Germanæ, Gallæ, Anglæ, Hiſpanæ, quæ communi cõſilio Pontifici reſtiterunt. Verùm videte, ſi credatis Abbati veſtro Sigeberto, ne difficilius vobis ſit, à Pontifice qui ſic contrà Reges inſoleſcit, abſtergere notam hæreſeos, quàm populis adeò Catholicis, qui tum Reges ſuos contrà Papas defenderunt, ſchiſmatis labem aſpergere. Sed ex ijs, quę diximus, ſatis apparet, SATVRNINE, quàm ſit illud planè falſum, quod eſt à te ſuprà dictum, Concilia & Parliamenta tum nationalia ſemper comprobaſſe Regum ſuorum depoſitionem per cenſuras Pontificias, quarum inſolentiam, crudelitatem, perfidiam, ergà Reges ſuos, vt vides, publicè condemnarint. Sic profectò ſe res habet: nunquã deſtruxit gratia naturã aut extinxit diuinitas humanitatẽ nunquã transfixit ciuilẽ iuſtitiam, ſed transformauit fides, aut ſuſtulit humanum affectum, ſed plus quàm humanum fecit. Qui cùm ſanctus ergà parentes corporum: quantò ſanctior ergà patriam patriæque parentes eſſe debebit? Eſt enim patriæ charitas Regumque noſtrorum reuerentia, non præcepta nobis à magiſtro, ſed à natura penitùs innata atque inſita: quam qui religionis prætextu imminuere atque eradere conetur, is authori naturæ Deo ſe opponens, non Paſtor, ſed

impoſtor, nec ſanctus Pater, ſed crudelis carnifex animarum & corporum cenſeri debet, Vos autem, perinde ac religio Catholica ciuilem honeſtatem ex hominum animis delere deberet; zeluſque papiſticus omnem naturalem affectum extinguere: ita Pontificis veſtri gloriam Principum noſtrorum ſanguine,& ſynagogæ veſtræ magnitudinem in patriæ ruinis, ac parietinis extruendam putatis. Quòd ſi Reges Catholici regales maiorum ſuorum ſpiritus retinerent, non audaciùs ſine mandato Dei dominari cuperent ſuperbi pontifices, quā id illi gladio Dei prohiberent. Et exemplo Proteſtantium Regum clariſſimorum non modò noxia ſarmenta quædam huius iniuſtæ & exoticæ poteſtatis circumciderent atque amputarent, ſed peſtiferam ſtirpem, ac radicem ipſam è regnis ſuis exciderent funditùs atque euellerent vniuerſam. Fons autem omnis mali eſt ſpiritualis ille primatus, quo ſe caput Eccleſiæ viſibilis iactat, vicarium Chriſti, iudicē & patrem Regum, vniuerſalem, Epiſcopum Epiſcoporum: ad quē origo omnis ſpiritualis iuriſdictionis à Chriſto immediatè deſcendit ſcilicet, ad alios omnes Epiſcopos ab ipſo mediatè deriuandæ: quod maioríne Regum an Epiſcoporum iniuria fiat, ſatis conſtituere non poſſum. Verùm hunc ſpiritualē primatū, vnde excōmunicationis illius, de qua tam multa dicta ſunt, & Regum depoſitionis, & abſolutionis ſubditorum ab obedientia, vis tota ac natura pendet, PATRIOTTA conuellet in Symbolo; in quo primùm papiſmi caput petet, corpus deinde conficiet. Pragmaticum Antichriſtum in ſcena vidimus: nunc Dogmaticum in Cathedra audiemus.

DOGMA-

DOGMATICVS ANTICHRISTVS,

Siue.

SYMBOLVM PAPÆ,

Vel

PASTOR REGNANS.

Dialogi liber secundus.



Ostquam Iacobus sereniſſimus magnæ Britanniæ Rex duobus Breuibus Pontificijs, & Bellarmini epiſtolæ pro iuramento fidelitatis reſpondiſſet: Matthæus quidam Tortus, ſub cuius larua latuit Bellarminus, cum alibi multos blaſphemos in Deum, tum duos illos contumelioſos in Principem, inſolentes quidem certè & cruentos articulos, vnum de primitiua dignitate, alterum de priuatiua poteſtate Pontificis, ex nouo Papæ Symbolo deſumptos, quantum potuit, exaggerauit, conflato ex duodecim nouis articulis Romanæ-catholicæ fidei latiùs ſumptæ, annexo Tridentinæ Synodo, vt in Bulla Pij quarti ſuper iuramento profeſſionis Orthodoxæ fidei proponitur. Quod in duo ferè membra diduci poteſt; vnum, quo fides Chriſtianorum in Deum; alterum, quo fidelitas erga Principem corrupta eſt. Ex illo ſuperſtitionis & idololatriæ, ex hoc perduellionis & ſeditionis articuli. Sic inde mali Chriſtiani, hinc mali ciues facti ſunt, vt difficile dictu ſit, vtrum Eccleſiam illi magis, an hij rempub. perturbarint. Vnde occaſionem ſumpſit Leonellus Sharpus Theologus Anglus explicandi totum Symbolum Pontificium, & dialogiſmo illuſtrandi. Nam cum doctiſſimus Epiſcopus Ciceſtrienſis contrà Tortum, vel laruatum potiùs Cardinalem, liquidò demonſtraſſet, editum fuiſſe

ſymbolum Apoſtolicum, cui Iacobus Apoſtolus illum articulum de Chriſto ante martyrium ſuum contuliſſe dicitur, priùs quàm Apoſtoli Hieroſolyma diſceſſiſſent: ideóque
Anno 44. priùs quàm D. Petrus Romam veniſſet, vel Baronio teſte: atque inde neceſſariò concluſiſſet, priùs completam fidem Catholicam, quàm inchoatam ſedem Apoſtolicam: ex eo ferunt nobiliſſimo CALANDRO, Papiſtæ moderato atque honeſto, ſcrupulum iniectum, non modò de primatu Petri, & illa annexa primatui deſtructiua poteſtate, ſed de tota fide Romano-catholica, quam ſymbolo tantùm Pontificio, non Apoſtolico, Niceno, aut Conſtantinopolitano contineri videret.

Iaque cum ſuperiores illi viri doctiſſimi vnà cum GVILIELMO ARGENTINO CALANDRVM iterùm inuiſerent, Commodùm, inquit CALANDER, iterùm conueniſtis ad quæſtionem nobis valde difficilem diſceptandam, de nouo fidei ſymbolo, quod Pius quartus iam antè compoſuit, & Paulus quintus nuper recudi iuſſit: mihique priuatim ARGENTINVS modò recitauit, vobiſque, vt ſpero, ſtatim expromet. Quod ab Eccleſia præſcriptum penitùs recuſare mihi quidem adhuc (vt verè dicam) religio eſt: & totũ admittere, niſi Scripturæ ſanctæ teſtimonijs confirmatum, ſine magno conſcientiæ ſcrupulo non poſſum. Didici enim nuper attendere Scripturæ ſanctæ, quam nobis in hac vita velut in caliginoſo loco verſantibus, quaſi lucernam accen-
2.Pet.1. ſam eſſe D. Petrus diſertè affirmat; quam etiam D. Paulus
Epheſ.2.20. Eccleſiæ fundamentum facit. Nec poſſum tamen ab Eccle-
1.Tim 3. ſia Catholica, cui aſſueui, quam idem D. Paulus columnam & firmamentum veritatis appellat, temerè diſcedere, à qua ſymbolum fidei mihi eſt præſtitutum. Ita dubius hæreo inter Scripturam & Eccleſiam, quas Deus, vt Solem & Lunam, duo magna luminaria nobis dedit, quò nobis ad vitam prælucerent.

Tum PATRIOTTA, Rectè tu quidem in theſi, CALANDER, vt Solem & Lunam, inquit, ſic Scripturam & Eccleſiam, quaſi duo nobis luminaria dicis prælucere, niſi quòd erres in hypotheſi, vt pòſt magis intelligetur.

Ac

Ac Scriptura ſancta quidem in ſeipſa lumen habet, vt Sol: Eccleſia lumen, ſed à Scriptura ſumptum, vt Luna à Sole. Et has duas datas nobis à Deo fateor, vt nos ad vitam æternam dirigant. Sed Scriptura nos dirigit magiſterio ſuo, Eccleſia miniſterio. Eſt enim Scriptura ſancta ſapientia Dei in Chriſto inſpirata diuinitùs ſanctis hominibus ad æternam Eccleſiæ ſalutem & perfectionem, vt illam definiuit Apoſtolus. Eccleſiæ Scripturam Deus quaſi cœleſte depoſitum commendauit, vt illam diſcernat, exponat, cuſtodiat, & promulget hominibus: eſt igitur Scriptura hominum magiſtra, Eccleſia Dei miniſtra. Itaque veritatem baſim Eccleſiæ, Eccleſiam columnam veritatis vocat Apoſtolus: vt currus ſui Salomon axim auream, columnas argenteas facit, axim doctrinam de Meſſia ſolidam, columnas doctores illius fidos intelligens. Impium eſt igitur de Scripturæ ſanctæ maieſtate detrahere, & iniquum de Eccleſiæ veræ miniſterio derogare. Scriptura enim eſt veritas Dei. Et Eccleſia eſt domus Dei. Veritas eſt aureum fundamentum huius domus. Et hæc domus eſt argentea columna huius veritatis: id eſt, exciſa ex veritate tanquam ex rupe, vt obſeruat Chryſoſtomus. Ita ſi baſis Eccleſiæ Scriptura, tum eſt columna orbis Eccleſia, vt idem ſcitè dixit. Iam ratio docet ſuſtineri non fundamentum ædificio, ſed ædificium fundamento. Et religio inde concludit, quòd veritas facit Eccleſiam, non Eccleſia veritatem. Eſt enim approbatio veritatis Eccleſiæ cauſa conſtituens. Nam anteà quàm approbauerit ſcriptam Dei veritatem, eſt turba infidelium & idololatrarum: poſtquam approbauerit, incipit eſſe familia fidelium cultorum Dei, id eſt, Eccleſia. Porrò quamuis Eccleſia per Spiritum internoſcat Scripturã genuinam à falſa: tamen Scriptura iam cognita ſemel atque agnita, vt antè conſtituit, ſic pòſt demonſtrat Eccleſiam. Nam quæ nota certior rei demonſtrandæ, quàm cauſa conſtituendæ? Porrò quodcunque priuilegium Eccleſia iure vendicat, id accepit à Scriptura, vt quę Eccleſiam columnam veritatis appellat. Ergò Scripturæ veritas & antiquior tempore, & clarior lumine, & maior authoritate, quàm Eccleſia, quæ cum eſſentiam, lumen, poteſtatem à Scriptura ſuam ſemel acceperit,

perit; tum demum illa quasi columna ministerio suo sustinet veritatem hominum respectu, terræque incolis ostendit: estque firmamentum quo niti homines & possint & debeant. Vnde Prophetica & Apostolica doctrina dicitur fundamentum Ecclesiæ: Ecclesia doctrinæ firmamentum, non fundamentum. Perspicuum est igitur à veritate constitui & fulciri Ecclesiã: & ab Ecclesia iam constituta sustineri & ostendi veritatem velut è specula viatoribus, vt illos dirigat in cœlum. Solebant gentes in tabulis leges suas describere, & descriptas

Phemoria. affigere columnis, vt à populo legerentur. Apostolus hoc loco describens Ecclesiam, eiusmodi columnæ comparat, cuius vsus fuit, vt legem ostenderet, cum lex ipsa non esset. Ita vera, orthodoxa, catholica fides Scripturæ tabulis descripta appenditur Ecclesiæ, tanquã pulcherrimæ columnæ, fulcroq; firmissimo, quod tamen non sua, sed aliena firmitate nitatur. Igitur Apostolus 2. ad Ephesios definit Ecclesiam, cum 2. ad Timotheum describat. Illic enim arguit à causis, hîc ab effectis: vtroque loco intelligit Ecclesiam Ephesinam, id est, particularem. Primo loco docet, quid illam faciat, secundo quid illa faciat. Nec tam quid semper faciat, (necesse est enim diruto fundamento Ecclesiã cadere, id quod primò contigit Ephesinæ, vt post Romanæ) quàm quid semper facere debeat. Est enim hæc admonitio potiùs, quàm commendatio: elogio monet officij. Quare rectè facies, CALANDER, vt te D. Petrus admonuit, si Scripturæ sanctæ semper attenderis, quasi candelæ: Ecclesiæ, quasi candelabro, tamdiu, dum candelam illam toti domui lucentem & continet & sustinet. Nam si à Solis sui luce destituta, cœca iam ipsa alios occœcare conetur, dum nouos articulos fidei condit, veteres recondit: nomen Ecclesiæ retinet, naturam penitùs amittit, id quod de Romana Ecclesia verè dici potest.

Hic SATVRNINVS, Ecclesiam Romanam, inquit, temerè traducis, à qua putes nouos articulos fidei condi. Nam articuli fidei, quos proponit, in duo genera tribuũtur. Alij sunt immediatæ reuelationis, alij ex ea deducti & explicati. Non condit Ecclesia nouos fidei articulos primi generis. Secundi generis articulos, qui fide catholica credi debẽt, cõdit Eccle-

sia

ſia pro re nata, vt illos neceſſarios iudicarit. Itaque Vincentius Lyrinenſis Prophetice & Apoſtolice doctrinæ lineam Eccleſiaſtici & Catholici ſenſus regula dirigi cenſet oportere, vt fruſtrà iactet Scripturæ textum, qui ſenſum reijciat Eccleſiæ.

Tum PATRIOTTA, Quàm abſurde dicitur, inquit, Eccleſiam non condere immediatas reuelationes Dei. Niſi illud abſurdius, putare idem eſſe deducere atque explicare, quod condere: nam conditum oportet eſſe articulum priùs, quàm ex eo deduci dogma poſſit, aut explicari. Ergo articulus fidei ponitur id, quod ex articulo deductum eſt. Ineptè. Articuli principia ſunt: deductiones, ſunt concluſiones. Aliud eſt articulus, aliud ex articulo deducta concluſio: quæ tam contraria ſæpe eſt, vt ipſum articulum euertat. Id quod in ſymboli veſtri explicatione manifeſtum fiet. Fateor cum Vincentio Lyrinenſi, Propheticæ & Apoſtolicæ doctrinæ lineam Eccleſiaſtici & Catholici ſenſus regula dirigendam. Semper autem oportet Eccleſiaſticum & Catholicum ſenſum cum Prophetico & Apoſtolico textu conſentire. Nam vbi nos textus deſerit, ibi gloſſa nos iuuare non poteſt. Vnde concludo, nihil poſſe eſſe Catholicum aut Eccleſiaſticum, quod non ſit Propheticum aut Apoſtolicum. Iam quia Vincentius reſtringit Propheticam & Apoſtolicam lineam ad Scripturæ canonem, quem ſatis ſuperque ſufficere ad fidem confitetur, ſequitur, nihil canonice Scripturæ contrarium dici poſſe Catholicum, quamuis ab Eccleſia definitum. Quare, CALANDER, ſiquem articulum fidei Romana Eccleſia ſecundi generis coniecit in ſymbolũ, qui articulo primi generis aduerſetur: gloſſamue Eccleſiaſticam adiecit definitioni Scripturæ canonicæ repugnantem: citiùs illa Eccleſia deſinet eſſe Catholica, quàm ille articulus incipiet eſſe Catholicus. Veniamus igitur, ſi placet, ad Symbolum, rogemuſque ARGENTINVM, vt illud nobis aperiat.

Tum ARGENTINVS, Ego verò, inquit, ac lubens. Idque ita profitebor, vt ſuper forma iuramenti profeſſionis orthodoxæ fidei in bulla Pij quarti proponitur.

1. Ego igitur GVILIELMVS ARGENTINVS Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, aliaſque obſeruationes & Symbolum Papæ.
conſtitutio-

constitutiones Romanæ. Ecclesiæ firmiter admitto & amplector.

2. Sacras Scripturas iuxtà sensum eum, quem tenuit & tenet mater Ecclesia, cuius ius est de vero sensu & interpretatione Scripturæ iudicandi, recipio & admitto. Neque vnquam admittam aut exponam nisi, iuxtà vnanimem consensum Patrum.

3. Septem profiteor esse verè & propriè sacramenta nouæ Legis à Domino nostro Iesu Christo instituta, necessaria ad salutem generis humani: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, extremam Vnctionem, Ordinem, Matrimonium. Recipio receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus.

4. Omnia & singula quæ de originali Peccato & Iustificatione definita sunt in sacro Concilio Tridentino, admitto & amplector.

5. Profiteor in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro viuis & mortuis.

6. Credo in sacra Eucharistia verè & realiter & substantialiter esse corpus & sanguinem Iesu Christi: fieriqúe conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem eius: quã conuersionem Catholica Ecclesia transubstantiationem vocat. Confiteor etiam sub vna specie tantùm totum Christum recipi & verum sacramentum.

7. Constantur teneo Purgatorium esse, animasq; ibi detentas fidelium suffragijs iuuari.

8. Sanctos cum Christo regnantes, colendos & inuocandos esse: & quòd preces suas Deo pro nobis offerant, eo umue reliquias esse venerandas.

9. Et firmiter teneo, imagines Christi, & beatæ semper Virginis aliorumqúe Sanctorum habendas esse, debitaqúe veneratione prosequendas.

10. Indulgentiarum potestatem à Christo relictam esse, vsumqúe earum maximè salutarem esse.

11. Sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrum & magistram agnosco: Romanoqúe Pontifici beati Petri Apostolorum Principis successori,

ſucceſſori, & Ieſu Chriſti vicario veram obedientiam ſpondeo & iuro.

12. Cætera item omnia à ſacris canonibus & œcumenicis Concilijs, præcipuè à ſacroſancta ſynodo Tridentina definita & declarata indubitanter recipio: ſimulque contraria omnia & hæreſes ab Eccleſia reiectas reijcio & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem extrà quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſentia ſponte profiteor, eandem integram & immaculatam, vſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſimè Deo adiuuante, retineri & doceri, quantum in me erit, curaturum: ego idem G. ſpondeo, voueo, & iuro, ſic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

Simul illud metuo, quod adiunxit ſanctiſſimus Pater, Nulli ergo hominum liceat omnino, hanc paginam noſtræ ordinationis, inhibitionis, derogationis, voluntatis, ſtatuti, decreti, & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hæc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beati Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno incarnationis Dominicę 1564. idibus Nouembris, pontificatus noſtri anno 5.

Habes à me, CALANDER, duodecim articulos ſymboli Pontificij apertos & explicitos: habe ſi placet, alios deductos ex illis occultos & implicitos. Dabit mihi, ſpero, veniam SATVRNINVS meus, vt tibi, qui propè iam à cœlo abes, horâq; migrationis tuæ quotidie expectas, ſymboli ſenſum interiorem, quaſi viatici loco tradam: citiùs profectò, cum hinc abieris, hac te munitum fide D. Petrus cœli ianitor in cœlũ intromittet. Magiſtri loquuntur ſapientiam inter perfectos, habentq; myſteria quædam, quæ non ſtatim omnibus euoluunt omnia, ſed quibuſdam aliqua, prout hęc illorum captui vel affectui conuenire arbitrentur. Nec iam omnia effundam, ſuum cuique articulo ſenſum ex praxi myſticum reſeruabo: interea bona cum venia tua, SATVRNINE, paulùm inuerſo ordine, Primatũ, articulũ 11. ordine, ſed primum authoritate proponam (ex quo quidem omnes alij pendent) quem à te, ſi non omnibus, at præcipuis maximè cuperem, nunc certè, ſi vn-

quam, acerrimè nostrorum hæreticorum machinis oppugnatum.

Primatus caput fidei præcipuum, & præcipuum fidei Catholicæ fundamentum, vt ait Bellarminus in Torto, in Scripturis apertissimè fundatus.

Credo igitur D. Petrum in Scriptura apertissimè constitutum primatem & Principem Apostolorum, & Ecclesiæ vniuersæ: & Papam Romanum Petri successorem huius primatus & Principatus vniuersalis ex asse hæredem esse: quem æternæ vitæ clauigerum, Pastorem vniuersi gregis, caput Catholicæ Ecclesiæ, & fundamentum, infallibilem fidei regulam, omnium rerum & personarum summum iudicem, habentem idem cum Christo tribunal, idem consistorium: Vice-christum, immò Vice-deum, immò vt Deum ipsum in terris mihi colendum & adorandum esse statuo.

Credo potestatem summam interinsecam esse primatui duplicem, sacram & temporalem: sacram qua Romanus Pontifex vt dominus spiritualis, per excommunicationem possit Reges & Principes non solùm hæreticos in fide, tanquam lupos rapaces, verùm & Catholicos in fide, sed malos, tanquam arietes furiosos arcere à grege Christi, dominioque priuare, eorumque subditos iuramento fidelitatis atque obedientiæ suæ liberare. Temporalem, qua Papa vt dominus temporalium in terris possit de coronis omnibus disponere, easque vel directè vel indirectè in ordine ad spiritualia, vt à te SATVRNINE, superiore Dialogo demonstratum est, auferre vni, & conferre alteri, prout illud ad spiritualem finem conducere iudicarit. Voueoque & iuro spiritualem obedientiã summo Principi meo spirituali, Pontifici Romano, iuxtà mysticas illas regulas, quas Magistri nostri secundum currentem ritum præsentis Ecclesiæ ad eiusdem conseruationem præscripserunt.

Hic SATVRNINVS, Næ tu parùm cautus, inquit, videris, ARGENTINE, qui non contentus publica professione fidei, quam Pius quartus præcipuè doctoribus imposuit, implicitos & occultos inde deductos articulos, id est, mysteria, quæ vocamus, audientibus præsertim hæreticis, diuulgaris: quæ priùs quàm symbolum ederetur, credi à vobis oportuit, enuntiari non oportuit.

Videtur igitur, inquit PATRIOTTA, vt Aristoteles habuit

buit alios libros exotericos, quos omnibus scripsit, alios acroamaticos, quos paucis prudentibus, qui dicebantur editi, & nõ editi: sic Papa doctrinã habere aliam popularem, aliam mysticam, vt multa Ecclesiæ vestræ dogmata Proserpinæ videantur esse mysteria. Vides autem quomodo nonnunquam excidant hominibus minimè malis, & in vulgus emanent.

Tum ARGENTINVS, Quantum odi semper hæresim, inquit, tanti Catholicam fidem amo, cuius me pudere idcircò non debuit, cum illam ex me CALANDER exquireret, vosque adessetis, qui cuiuis hæretico cauillanti strenuè possetis opponere. Peropus id quidem fuit, inquit CALANDER, cum adessent alij, qui non minùs strenuè possent respondere. Nos igitur rudes laici discamus: docti doceant. Tuæ sint recitantis modò partes: quærentis, meæ. Vetus est Papistarum cantilena, Oportet discentem credere: verior, Oportet discentem quærere. Nimis tu multa credis, ARGENTINE: vt sunt homines in multis nimis increduli, ita vereor in multis ne nimis sint creduli. Vbi credere quod nõ oportet cœpimus, quod oportet non credemus. Quàm sæpe & quàm sine causa apud nostros audias, Est de fide: quam extrà Scripturæ sanctæ cancellos euagantem, nimis latè patere suspicor. Hæc igitur Catholicæ fidei Dogmata, vt vocantur, quæ sunt à nostris in symbolum congesta, statu ac veluti puncto cuiusque controuersiæ breuiter & verè proposito, breuiter & solidè disceptari à vobis & discuti cupio. Principiò primarium articulum de Primatu, de quo tamen non omnia requiro, sed selectissima, quemadmodum posteà de cæteris, vt errores Romanæ Ecclesiæ iam præ senio delirantis, vt sunt ab honestis quibusdam Pontificijs obseruati, nobis appareant.

Tum SATVRNINVS, Valdè honestos scilicet oportet, inquit, esse illos quosdam Pontificios, qui Pontificem Patrem reprehendant: & Ecclesiam matrem senem delirij accusent. Nam quòd articulos Catholicæ fidei disputari cupias, CALANDER, vehementer erras. Humiliter recipiendi, non curiosè arguendi sunt. Nam vt rectè Augustinus, Credendi simplicitas, non intelligendi viuacitas à Christiano homine postulatur. Reuerenter vt credat, quæ docet Ecclesia, non

argutè discutiat, demisseque sese Ecclesiæ iudicio sine disquisitione submittat.

Atqui, inquit CALANDER, si nullos Ecclesiæ matris errores esse fateare: miror cur Petrus de Alliaco doctissimus Cardinalis multa concedat non solùm in moribus, sed etiam in fide opus habere reformatione. Cur Adrianus sextus malè fontem attingens, à culmine Pontificio dixerit luem omnem in Ecclesiam defluxisse, & per legatum suum Chæregatum Germanis emendationem rerum promiserit. Miror etiam cur legati tres in Concilio Tridentino illam Ieremiæ Prophetiam sibiipsis, populoque Pontificio accommodarint: Duo mala fecit populus hic: me dereliquerunt, inquit Dominus, fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas non valentes continere aquas. Et in Concilio Cornelius Episcopus Bitontinus palàm agnouerit apostasiam Ecclesiæ Romanæ in doctrinæ capitibus, & vitæ. Vtinam, inquit, illi non vnanimi consensu à religione ad superstitionem, à fide ad infidelitatem, à Christo ad Antichristum, à Deo ad Epicurum penitùs defecissent, dicentes impio corde, & ore impuro, Non est Deus. Neque iamdiu vllus pastor, aut Papa ista curauit. Nam omnes, inquit, sua quærebant, ac ne vnus quidem quæsiuit ea, quæ pertinent ad Iesũ Christum. Miror etiam cur post Concilium non multi modò priuati Doctores illius decreta vellicarint, vt Sixtus Senensis, Canus, Lindanus Episopus, Catharinus, Pighius, Ouander, Ferus, alijque multi: sed Pius quintus ipse fassus sit cultum Ecclesiæ Romanæ diuturnitate temporis ab antiqua institutione deflexisse. Ergo hij reuerendissimi Doctores, & Cardinales, & sanctissimi Papæ, magnæ mihi dubitationis & causam & veniam præbent. Neque verò primos illos immediatæ reuelationis articulos disputari cupio, quos omni mea fide reuerentiaque complector, sed istos secundæ editionis articulos, qui deducti finguntur ex illis, & primos planè destruunt. Nam quòd Augustino authore, credendi simplicitas à nobis, non intelligendi viuacitas postuletur: non humile necessaria discendi studium ab eo, sed curiosum alta sapiendi desiderium reprehenditur. Nam credendi simplicitas non minùs brutam

tam ignorantiam excludit, quàm superbam scientiam. Itaq; cœcum illud idolum, fidem implicitam, qua docemur reuerentèr excipere, quicquid docet Ecclesia, & credere secundũ quod Ecclesia credit, quamuis quid credat Ecclesia nesciamus, ampliùs adorare non possum. Nec Bellarminum audio dicentem, fidem in assensu, non in cognitione consistere, & meliùs per ignorantiam definiri, quàm per notitiam. Vnde docti aduersarij nostri nimis verè concludunt, vt antè clero-papismum nihil aliud esse quàm perduellionis catechismum, sic laico-papismũ nihil esse aliud, quàm merum idiotismum, & vt doctorum nostrorum vulpinam astutiam, sic discipulorum asininam ignorantiam iure derident. Qualem Carbonarij fidem prædicant à Staphylo celebratam. Quidam, inquit, Carbonarius moriens, & tentatus à diabolo, quam tandem fidem haberet, respondit, Ego credo, & morior in fide Ecclesiæ Christi. Iterum interrogatus quæ esset fides Ecclesiæ, respondit circulariter, Ea fides in quam ego credo. Ita diabolus sine vllo alio responso superatus aufugit, si credimus Staphylo. Ergò fides Romano-catholici est fides Carbonarij: fides circularis. Obsecro te, SATVRNINE, vt me doceas priùs, quàm assentiar: & scribas ad reuerendissimum Bellarminum, vt fidem illam implicitam, id est, nihil aliud quàm cœcam & affectatam ignorantiam, remouendam è Symbolo curet, qua grauitas & prudentia Catholicæ religionis vehementèr deformatur. Iam tandem didici distinguendum esse inter figmenta humani cerebri, & dogmata Christianæ fidei: cuius fundamenta sunt non opiniones hominum, sed oracula Dei: & illa quidem à Prophetis & Apostolis instinctu Dei literis commendata, quibus omnia necessaria & principia fidei, & præcepta vitæ plenissimè cõntinentur, vt Patres audio dicere. Veniamus igitur ad Symbolum.

Bell. de iusti. fic. lib. 1 cap. 7

Apolog. Staphyl. pars 1. Pag. 53.

In quo primùm quæro, primatus Petri vnà cũ illius cõsectarijs, num in Scriptura apertissimè fundetur, vt scribit Cardinalis in Torto. Nullam enim iam doctrinam creditu necessariam habeo, nisi in Scriptura fundatam, vt docet Papa Gregorius primus. Malus equidem textuarius sum, raró legi libros Prophetarum & Apostolorum, quorum lectione nobis

laicis ferè interdixit Ecclesia, verens, ne legendo in hæreses incidamus. Sed me iam huius & pudet & pœnitet ignorantiæ & negligentiæ meæ. Nec tamen reuereri desino Patres & veteres & nouos, quorum me filium fateor, mancipium nego. Et illos Scripturæ discipulos habeo, non magistros: testes & interpretes veritatis, non arbitros & iudices. Nec eorum tam nominibus, quàm rationibus moueor.

Non quæro igitur quid ex se promant, sed quid ex Scriptura probent: in causa fidei nullam posthac Ecclesiæ definitionem admittam, nisi vel manifesto Scripturæ sanctæ testimonio, vel necessaria saltem ex eo deducta conclusione nitatur. Nolo igitur nuda authoritate rem agi, sed vt res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet. Nec argumentorum numero ducor, sed pondere. Numerus memoriam obruit, pondus scientiam gignit. Nec delector ambagibus, breuitatem postulo. Vnum ego solidum argumentum è Scriptura breuitèr & rectè conclusum multis in speciem & pompam congestis hominum argutijs anteponam. Nec ab hoc vno desilire vos feram ad aliud priùs, quàm à vobis hoc penitùs ventilatũ & excussum videro. Accinge te igitur, SATVRNINE, ad primatum Petri, & successionem Papæ, & illam quam annexam primatui dicitis potestatem è sacris Literis confirmandum: sed ne à statu causæ aberres, memento tibi probandum primatum non ordinis atque discriminis, qui Petro conceditur, sed primatum potestatis & iurisdictionis, qui negatur. Est enim hoc, vt dicit Bellarminus, præcipuum dogma Catholicæ fidei, & primarium totius religionis fundamentum.

Tum SATVRNINVS, Nimis tu quidem, inquit, CALANDER, restringis fidem Catholicam, si intra Scripturæ cancellos continueris. Nam si Scripturam tantummodò admittas, actum est de Ecclesia catholica, vt Venetorum legato Paulus Quintus sapientèr respondit. Faciam tamen vt iubes, & ista tria simul complectar, de primatu Petri, de successione, & potestate Pontificis. Nec enim diù stare Ecclesia, sine Primate & Principe, nec Princeps sine successore, nec successor sine summa potestate vnquam potuisset.

Cum igitur Christus soli Petro claues regni cœlorum, id est, Ecclesiæ promisit, principatum promisit. Cum soli Petro ligandi & soluendi potestatem commisit, potestatem clauium commisit. Cum verò soli Petro pascendi vniuersi gregis dedit officium, dedit principatum. Ergo illic primatus Petro promissus, hic datus. Nam vt qui claues vrbis accipit, dominium vrbis accipit; sic qui claues accepit Ecclesiæ, dominium accepit Ecclesiæ. Et quoniam pascere est idem, quod regere, & Petrus solus iubetur oues pascere, non aliquas, sed omnes: ergò solus Petrus promissum priùs ijs verbis accepit in totam Ecclesiam principatum. Quibus adiuncta est trinæ amoris confessioni trina honoris cõfirmatio. Potestatem autẽ excõmunicandi probant illa verba Christi annexa primatui, quæ ad Petrum solum dirigebat, Quodcunque ligaueris, & quodcunque solueris. Et quidem duplicem, vnam ligandi Reges, alteram soluendi subditos, neque solùm à peccatis, sed à votis, legibus, iuramentis. Nam illis verbis (Quorumcunque peccata remiseritis, &c.) potestas ordinis datur omnibus, limitata suprà peccatum. At illis verbis, Quodcunque ligaueris, &, quodcunque solueris, datur potestas iurisdictionis illimitata & vniuersalis soli D. Petro, non restricta ad peccata, nec ad personas; quia non dixit, Quemcunque, sed Quodcunque. Vnde sequitur, Iacobum magnæ Britãniæ Regem vel non omninò pertinere ad ouile Christi, vel Petro eiusque successori Pontifici Romano summo Pastori subiectum esse, non minùs quàm Regem Galliæ & Hispaniæ. Et vt Catholicos in fide, sed malos, Reges tanquam furiosos arietes, sic hæreticos Principes tanquam rapaces lupos, per eundem arceri à grege iure posse, dominioque priuari: & ligatis Dominis, ne regnent ampliùs, subditos solui, ne pareãt.

Tibi dabo claues. Matth. 16.
Quodcunq; ligaueris, & quodcunque solueris.
Pasce oues & agnos meos. Ioh. 21.
Ioh. 20.

Hic PATRIOTTA, Ne ouum quidem, inquit, ouo similius, quàm SATVRNINVS Bellarmino. Qui tanquam vno loco diffideret primatum & principatum Petri probari posse, tres congessit, quibus illum apertissimè fundatum gloriatur in Torto.

Hic priùs quàm argumentum SATVRNINI expendamus, Pontificios doctos inter se litigantes libet attendere,

quo

quo tandem Scripturæ textu primatus Petro datus esse dicatur.

Contar. de sacra. Christi legis, lib. 3. pag. 203. Bellar. de Pont. lib. 1. cap. 12.

Cardinalis Contarenus datum esse dicit, cum Christus diceret Petro, Tibi dabo claues. Contareno contradicit Cardinalis Bellarminus, & negat tum datas esse claues, sed promissas, & cum clauibus primatus donum datum dicit, Ioh. 21. cum dixit ei Christus, Pasce oues meas. Vt obseruauit SATVRNINVS. Subtiliùs id, inquit Contarenus, quàm veriùs.

At non plus est promissum Petro Matth. 16. quàm est omnibus Apostolis datũ, Ioh. 20. Vt Christus illud suum, Quodcunque solueris, Petro dictum, verbis illis, Quorumcunque peccata remiseritis, Apostolos omnes alloquens optimus interpres exposuit ipse. Et simul hanc omnem potestatem clauium cum communem omnibus Apostolis, tum ad peccata restrictã esse disertè docuit, vt Ambrosius, Augustinus, Theophylactus, Bernardus censuerunt. Ergò clauibus non astruitur Petri primatus.

Sed singularem hoc loco Bellarmini subtilitatem attendite, quam etiam SATVRNINVS adhibuit. Primis verbis potestas iurisdictionis illimitata soli Petro data intelligitur, non restricta ad peccata, vel ad personas, quia non dicit, Quemcunque, sed Quodcunque: secundis, potestas ordinis limitata supra peccatum omnibus communicata: ô mirum interpretationis acumen. Potest igitur Pontifex quemuis aperire carcerem, quamuis difficilem soluere quæstionem, siquidem ista omnia verbum illud vniuersale, Quodcunque solueris, planè continet. Nota iam & trita sunt, quæ Patres & veteres & noui, & Pontificij & nostri, de genuino veroque clauium sensu scripta in commentarijs reliquerunt; qui omnes ius clauium & potestatem ligandi & soluendi remissione & retentione peccatorum comprehenderunt: clauem, qua cœlum vel aperitur, vel occluditur, faciunt interpretationem legis, vt Tertullianus; scientiam Scripturarum, vt Chrysostomus; positam in criminibus, non in possessionibus, vt Bernardus; datam omnibus Ministris, vt ligent & soluant, id est, vt retineant, remittantue peccata, vt ex Christo Ambrosius, Augustinus,

nus, Theophylactus vt verbũ iræ & verbũ gratiæ rectè secent ac distribuant, vt D. Paulus, illud contumaci, hoc pœnitenti. Clauis scientiæ clauem potentiæ dirigit: id est, ratio doctrinæ executionem disciplinæ, qua vel contumaces excludantur, vel reconcilienter pœnitentes. Hæc est vis, hic vsus clauium, quas Patres duas fecerunt, ordinis, & iurisdictionis. Clauem ordinis potestatem ministerij, qua annuntient Euangelium, administrent sacramenta, & per Euangelij prædicationem remittant retineantuè peccata. Clauem iurisdictionis potestatem coercendi peccatores, per excommunicationem, id est, ex Ecclesia expellendi contumaces, & recipiendi pœnitentes, vt Gropperus in enchiridio Concilij Coloniensis sub Hermanno & Adolpho, qui clauem vtramque non ad Petrum solum pertinuisse, sed ad omnes Apostolos & ad eorum successores transmissam esse concludunt. Et multò antè Cusanus, Nihil, inquit, dictum est Petro, quod non dictum est alijs: nam vt dictum est Petro, Quodcunque ligaueris, sic dictum est cæteris, Quodcunque ligaueritis. Hic habetis Cusanum oppositum Bellarmino, Cardinalem Cardinali. Claues Petrus accepit vnus, inquies, sed accepit non vt homo vnus, sed vt vnitas Ecclesiæ, vt Pius secundus dixit. Habetis hic Papam oppositum Cardinali. Non vt in persona sua Petrus accepit, sed vt in persona Ecclesiæ. Nam si hoc Petro dictum est tantum, Tibi dabo claues, non habet Ecclesia. Si habet Ecclesia, Petrus quando claues accepit, Ecclesiã totam designauit, vt docuit Augustinus. Itaque Caietanus Cardinalis, cum ex hisce se laqueis expedire non posset, Si loquamur, inquit, formaliter & propriè, claues promissæ Petro sunt suprà claues ordinis & iurisdictionis. Sed hoc, inquit Cardinalis Bellarminus, non est verum. Nunquam enim, ait, auditum plures in Ecclesia claues fuisse quàm duas, quas etiam omnibus Apostolis æquè concedit, ac Petro. Vnde contrà Bellarminum argumentabor:

Concil. Colonien sub Herman sacra confessio

Concilij Colo nien. sub Adolpho.

Tracta. 142. in Ioh.

Petrus nullam accepit aliam potestatem quàm promissam in clauibus, vt ait Bellarminus.

At Apostoli cæteri totam illam potestatem habuerunt, vt Patres, & doctissimi Pontificij docent, & Bellar-

minus volens nolens fatetur.

Ergo Petrus nullam aliam habuit poteſtatem, quàm cæteri Apoſtoli.

Habet tamen viam Bellarminus, qua elabatur. Datas, ait, claues Petro immediatè, cæteris mediatè per Petrum.

——— *Centum adde catenas,*
Effugiet tamen hæc ſceleratus vincula Proteus.

Nec tamen effugiet. Nam ſi cæteris datæ eſſent mediatè per Petrum, aperirent & clauderent, ligarent & ſoluerent, non in nomine Chriſti, ſed in nomine Petri. Et quomodo tum verum eſſet, quod Paulus de ſe ſcribit, Paulus Apoſtolus neq; ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſũ Chriſtum? Nam, ſi credimus Bellarmino, venit mediatè vel ab homine Petro, vel per hominem Petrum. Quomodo ſeſe pronuntiat Paulus inferiorem primarijs Apoſtolis non fuiſſe, quippe qui cum doctrinam ſuam, tum etiam vocationem à Chriſto immediatè cum ipſis accepiſſet? Ergóne mendacium Cardinalis impinget Apoſtolo, vt Paulum à Petro mediatè claues accepiſſe contendat? Omnes Apoſtoli claues à Chriſto acceperunt, ſuper omnes Apoſtolos Spiritus in linguis deſcendit igneis: omnes Apoſtoli colũnæ dicũtur Eccleſiæ, vt ex Scriptura Patres obſeruarunt. Quid? Num clauem Petro maiorem melioremuè quàm cæteris Apoſtolis datam legit Bellarminus? Num linguam igneam cæteris ampliorem illuſtrioremuè capiti Petri quaſi Principis audiuit, quàm cæterorum capitibus inſidentem? Num ex duodecim columnis vnam cæteris omnibus firmiorem aut ſtabiliorem eſſe poſitam accepit, vt illi magis ædificium, quàm cæteris incumberet? Quod ſi non nouit Bellarminus, deſinat ineptire, & poteſtatem Petro immediatè datam à Chriſto, cæteris autem mediatè per Petrum, quaſi delegatam comminiſci. Animaduerte iam, CALANDER, ſceleratasne dicam an ridiculas conſequentias ex hoc loco de clauibus neceſſariò ſe inferentes:

Claues Petro promiſſæ ſunt:
Ergo nulli niſi Petro.
Duæ claues datæ inſignia miniſterij:

Ergò

Ergò tres coronæ insignia imperij.

Nam cum dedit Christus claues, dedit principatum, vt ait Bellarminus.

Petrus accepit claues regni cœlorum:

Ergò regnorum terrenorum.

Potest excludere Reges hæreticos è cœlo:

Ergò è solio.

Potest ligare peccata:

Ergò sceptra.

Potest exercere potestatem in criminibus:

Ergò in possessionibus.

Potest absoluere homines pœnitentes à peccatis:

Ergò subditos rebelles à iuramentis.

Habet clauem, qua Regum peccata soluat.

Habet igitur clauum, quo capita comminuat.

Ita Bellarminus clauem Petrinam in clauum Herculeum commutauit.

Potest quodcunque soluere & ligare.

Potest igitur tanquam Oedipus quoduis ænigma soluere, potest Turcas & vrsos ligare.

Hæ verò consequentiæ declarant non Regem propter hæresim priuandum regno, sed Cardinalem per phrenesim priuatum ingenio. Omnino Petri clauis clauis cœli, qua per prædicationem æterni Euangelij cœlum fideli & pœnitenti aperuit, infideli & impœnitenti clausit. Quã Pontifex suppositicius successor Petri secus adhibet, vt olim quidam non infacetè lusit in hunc clauigerum Principem.

Non ego mirarer Stygiæ si forsitan aulæ
Romuleus possit clauiger esse Petrus.
Innumeris etenim ditauit manibus vmbras,
Et reserat Stygias, ingrediturque fores.
Sed miror quòd cum spacio sic distet vtrunque,
Possit & ætherei clauiger esse poli.
Sed neque iam miror. Cœli nam claudere forsan
Tecta solet, Stygias sed reserare fores.

Vt stella decidua iuxtà prophetiam Iohannis clauem cœli in clauem Abyssi commutarit.

Reiectus à clauibus Bellarminus, recipiat se oportet ad illud suum propugnaculum, Pasce oues meas.

Quid igitur, bone vir, locum de clauibus vrges amplius pro primatu, quibus nihil Petro promissum plus quàm omnibus Apostolis datum, Patres & antiqui & noui, & alieni & tui luculentèr probant?

Sed hoc loco, quia pascere est idem quod regere, & Petrus solus iubetur oues pascere non aliquas, sed omnes, ideò Petro soli datus est in vniuersam Ecclesiam principatus: armatus duplici gladio, duplici potestate, sacra & temporali, quã in isto loco senex iste, credo, per interualla lunaticus vidit vt Pentheus,

Et Solem geminum, & duplices se ostendere Thebas.

Quam Patres antiqui & noui saniore cerebro, & acrioribus oculis, videre nunquam potuerunt. Pastoritiam autem vocationem tanti putat Bellarminus, vt eius respectu Pontificem præponat Regi, vt Pastorem oui: quod rectè forsitan conclusisset, si Christus dixisset Petro, Pasce oues tuas. Non dixit, sed Pasce oues meas. Verùm non modò Pontificem præponit Regi: sed componit Cardinalem. Ineptè. Fuit Episcopus Eliensis quondam sacræ Paulinæ Ecclesiæ Cardinalis, vt iam Bellarminus est S. R. Ecclesiæ Cardinalis. Nec tamen licet æquè doctus, se composuit Bellarmino præ modestia, cum posset. Nam quamuis vt est Episcopus Eliensis est inferior Bellarmino, tamen vt erat S. Paulinæ Ecclesiæ Cardinalis, non erat inferior. Et tamen adeò delirat Cardinalis vt se Regi Eliensis Domino componat? Sed ad argumentum reuertamur.

Celebre est illud quod Patres ferè vnanimi consensu scribunt in hunc locum: Pascere idem esse, quod docere. Quod non vni Petro proprium, sed omnibus Apostolis & Ministris commune: Apostolos omnes ex æquo gregis vniuersi Pastores fuisse, Iacobum & Iohannem non magis fuisse oues Petri, quàm Petrum Iacobi & Iohannis, qui æquè columnæ appellantur: Pascere & dominari non esse synomina, Petro interprete, sed contraria: Confirmatum autem ter denuò Petrum nominatim, quia Petrus Christum ter nominatim abnegasset.

Non

Non igitur honoris ergò, vt tu dicis, sed solatij potiùs: vel si etiam honoris; non vt is Petro præ alijs auctus esset, sed vt Petro renouatus: à quo Christus ternam amoris confessionem petiuit, vt ternam negationem terna confessione deleret.

Præclarè Chrysostomus, Cum Christus Petro dixit, pasce oues meas, Christo ait propositum fuisse, docere Petrum, & reliquos omnes, quantum amaret Ecclesiam, ideò, vt nos curam eiusdem totis animis susciperemus. Et alibi homil. 87. perpēde, inquit, verba, pasce agnos meos, id est, fideles meos, non tuos: petiui an me amares; quem amorem erga me profiteris, ergà illos ostende: pasce illos, non teipsum. Væ pastoribus Israelis, qui seipsos pascunt, Ezech. 34. non gregem meum: væ pastoribus, qui dispergunt oues pascuæ meæ. Audi Paule quinte: seipsos pascunt, qui suam vtilitatem & gloriam quærunt, non Dei gloriam, non fidelium salutem, quos gubernant. Chrysost. l. 2. de sacerd.

Nec minùs luculenter Augustinus, Cum dictum est Petro, inquit, dictum est omnibus. Amas me? pasce oues meas. Et alibi, Sicut oues meas, non sicut tuas, gloriam meam in illis quære, non tuam: lucra mea, non tua. Audi Paule quinte. Tu Reges non Christi oues putas esse, sed tuas. In illis docendis non quæris Christi gloriam, sed in subiugandis tuam. Non id laboras, vt oues Christo lucrifacias, sed vt tibi lanam acquiras. Immò non tondes modò, sed deuoras gregem, dum subditorum fidei, Regum saluti, paci & internæ & externæ perniciosam doctrinam expromeres. Et tu amas Christum? Teipsum amas, Christum non amas, non plus certè, quàm dominus tuus Apollyon, cuius vices in terris geris. Possem Chrysostomo & Augustino alios Patres adiungere: possem de tuis excitare Marsilium Patauinum & Cusanum, qui pasturam in verbo & exemplo constituunt, verbo sano, exemplo bono: eamque omnibus non Apostolis modò, sed Ministris communem esse decernunt. August. de Agon. cap. 3. Tractat. in Iohan. 132.

Aliter Bellarminus:

Pasce, dixit Petro. Ergò solus Petrus debet pascere. Bell. lib. 1. de Pont. cap. 16.
Semel autem dixit, pasce oues: oues, id est, sacerdotes,

Bellar.l.1.de Pont cap.16.

Episcopos, & Apostolos, qui agnos pepererunt. Bis agnos, priùs intelligens Iudæos, deinde gentiles.

Ergo Petro commisit gregem vniuersum. Et quia pascere est idem quod regere: ergo Petro in gregem vniuersum dedit Principatum.

Stapleton. doctrin. Princip. con.2.l.6. cap.10.

Maldon in Ioh.21.

Locus illustris & euidens, inquit Stapletonus, per oues Pastores & Episcopos & Apostolos significari: per agnos, reliquos fideles. Adeò fœlix Bellarminus, nullum vt vnquam tam ridiculum & futile commentum excuderit, quod non alius statim arripuerit, & stultis commendarit. Maldonatus vide, inquit, ne ista subtilitas doctis risum prębeat. Agni & oues confunduntur, Ioh.17. Agni nomen est blandius, inquit, & maiorē amorem præ se fert, sed nihil est discriminis in re sed in voce.

Nam quòd pascere dicas idem esse quod regere: vndè vniuersalem Petri monarchiam videris elicere cum Bellarmino, non minùs ieiuna, quàm inflata interpretatio est.

ποιμαίνειν non est regere, sed pascere: & ποιμένες non sunt rectores, sed Pastores. Et βόσκειν & ποιμαίνειν sunt synonima: priore verbo vsus est tertio loco Christus, βόσκε. Iam assume ex Iohannne rectè translato, & quid inde concludis? Mandatum est Petro vt pascat gregem: ergo, vt regat.

Sed esto, idem sit pascere quod regere. Regere cum Episcopis applicatur, est idem quod dirigere. Id est, regere prudentia & consilio, non potestate & imperio.

At Bellarminus sic Christum interpretatur. Pasce Petre. Id est, impera, & regna.

Baronius procedit vlteriùs in excōmunicatione Venetorum, ad Paulum quintum: duplex esse ministerium Petri, pascere & occidere. Dixit enim ad eum Dominus, Pasce oues meas. Et audiuit è cœlo vocem, Occide & manduca. Non est autem ista occisio crudelitas, inquit, sed pietas atque sinceritas. Probè verò. Paulus quintus ex charitate & pietate sua scilicet homines occidit, quam Seneca sæuam pietatem vocat. Sed occidit vt intrà sua viscera recondat, inquit. Ita credo, vult Papam non modò tondere gregem, sed deglubere. Baronius adhibet verba charitatis, sed exempla crudelitatis. Nam Gregorium septimum & Alexandrum tertiū Senenses suos

ſuos Paulo quinto proponit imitandos. Valdè ſecuros Reges Chriſtianos eſſe oportet, ſi ſemel Pontifex Gregorizet aut Alexandrizet. Vt ſuum regere etiam Bellarminus extendat ad caput & iugulum, agit aliquantò tectiùs, ſed nihilò honeſtiùs. Nam cum ſcripſiſſet in ſua ad Blackwellum Epiſtola, Neminem vnquam Pontificem mandaſſe, vt Princeps occideretur; & author Apologiæ excepiſſet, mandaſſe bellum, in quo poſſet occidi: reſpondet in Torto, Bellarminum non loquutum eſſe de cæde, quæ accidere poſſet in prælio, ſed de parricidio, quod patrari poſſet à ſicario. Honeſta verò diſtinctio: quaſi non ſit æquè parricida, qui iuſſu Pontificis Regem ſuum aperta vi, ac qui occulta fraude necauerit. Vt iſte Cardinalis bellum & arma minans, nihilo melior videatur eſſe Cardinale Comenſi, cuius extant literæ, quibus Parræũ promiſſa à Pontifice mercede & indulgentia confirmauit, vt boni ſpiritus ſui conſilium, ſic enim ſcripſit, ad effectum perduceret, id eſt, vt Reginam Eliſabetham pugione interficeret. Nihilò melior in ſereniſſimum Iacobum Bellarminus, inquam, ſed occultior. Siccine Petrus pauit Eccleſiam? Non eſt hoc pabulum, ſed venenum. Siccine rexit gregem Domini ſui, vt ſi vir gregis ipſe aries deerrauerat, eum vel clàm, vel palàm occidendum curaret? Da Paſtori pedum. Quid Paſtori cum gladio? Immò verò, inquit, Petrum Chriſtus, cum Paſtorem fecit, fecit Principem. Nam cum iuſſit paſcere, iuſſit regere. Nec ei miniſterium modò delegauit, ſed imperium. Atqui, vir optime, aliud eſt internum & ſpirituale regimen, quod Petrus per verbum, ſacramenta, claues, exercuit in animas: aliud externum & terrenum imperium, quod Paulus quintus per fraudem & violentiam exercet in coronas. Obſecro te, CALANDER, quantùm diſtare putas horum duorum expoſitiones à Patrum & ſuorum Pontificiorum commentarijs? Obſerua conſequentias ex hac interpretatione pendentes, partim ineptas, partim impias.

Petrus iubetur paſcere gregem Dominicum:
Ergo nullus niſi Petrus.
Petro paſcendi & docendi labor eſt impoſitus.
Ergo imperandi & regnandi honor eſt delatus.

Petri munus est Reges docere:
Ergo deponere: Reges instruere, ergo destruere.
Petro spirituale regimen est datum. Ergo terrenum imperium.

Vtrum qui tales nectit consequentias (& hæ certè necessariò ex hac Bellarminiana interpretatione colliguntur) vobis ad scholas an ad Antyciras relegandus videtur? Omnino CALANDER, mandatum est omnibus veris Pastoribus in Petro, vt gregem Dominicum curæ commissum suæ pascant & regant, sed ita, vt spirituali pascant sanæ doctrinæ pabulo, & regant salubris disciplinę baculo. Quòd si Paulus quintus gregem non pascat, sed depascat, & ouium non gressus regat, sed crura & capita confringat, næ ille secùs & præbet pabulum, & exercet baculum, quàm Christus instituit. Quarè Rex Iacobus multò malit ieiunare quàm à tali pastore pasci, qui eò pascit vt occidat & manducet. Quid alij Reges faciāt, ipsi viderint: vt volent, rideant in sinu, cum legunt hasce ineptas scholarium argutias: sed caueant tamen sceleratas rebellium insidias, quæ latent in nouo Bellarmini Dictionario, in quo,

Pascere & regnare synonima sunt.
Docere Regem est abdicare Regem.
Excommunicatio Regis est depriuatio.
Absolutio peccatorum à peccato, est absolutio subditorum ab officio.

Annon sentiunt istam esse Grammaticā superbi & sanguinarij Antichristi? Libenter igitur Rex Iacobus relinquit gregem Pontificium, vt se recipiat ad Dominicum, qui noscitur à Christo, & sequitur illum, & fugit alienum. Nam carnales istos Cardinales non moratur tam plumbeos in argumentando:

Petrus est ianitor cœli:
Ergo dominator terræ.
Petrus est pastor:
Ergo Princeps.
Petrus est Piscator hominum:
Ergo regnorum.

Datum est ei rete, quo capiat pisces æquè magnos ac paruos.
Ergo datum est ei dominium æquè in Reges ac subditos.
Petrus iubetur pascere oues:
Ergo iubetur pascere reliquos Apostolos.
Iubetur bis agnos pascere:
Ergo Iudæos & gentes. Et per consequens omnes Christianos.

Nonne ista cohærent, vt ægri somnia? Nonne Bellarminus videtur exponere ludibrio Scripturam, cum sic ratiocinatur, contra regulam Aquinatis, qui planè negat symbolicam Theologiam esse argumentatiuam? In qua tamen totum suum primatum extruxit, & dogma Catholicæ fidei pronuntiat esse in Scripturis apertissimè fundatum. Rident Philosophi Epicurum fabricantem mundum ex atomis. Et non explodent Theologi Bellarminum extruentem regnum Ecclesiasticum ex tropis? Nam certè quidem tam facilè reperies in orbe Vtopiam Mori, quàm in textu monarchiam Petri. Quæ tamen primarius Pontificij symboli articulus fingitur. Ex quo varij pendent cum superstitionis ac idololatriæ, tum coniurationis & rebellionis articuli: vt Papismus nihil aliud sit quàm falsæ erga Deum & Regem fidei catechismus. "

Nam potestatem illam duplicem, Ecclesiasticam & temporalem, quam intrinsecam primatui, ab eoque inseparabilem fingitis, quasi duplicem machinam erexistis ad euertendam cum veritatem diuinam, tum regiam dignitatem. Nam vtramque tanquam à Petro, ad Papam tanquam Petri successorem, (id quod assumis, non probas) transtulistis. Ecclesiasticam, qua per excommunicationem Reges liget, & soluat subditos: neque solùm à peccatis, sed à votis, legibus, iuramentis. Ita per excommunicationem Papa coronas Regibus, animas subditis suffuratur, dum illorum authoritatem, horum obedientiam tollit. In vtroque Dei Testamentum violat, quo cum ciuilis potestas Principis, quamuis mali, tum obedientia subditi firmissimè sancitur, de quibus tibi in superiore dialogo plenè cumulateq; satisfeci. Nec minùs

temporalem illam Pontificis iurisdictionem infregi, cum tu illam introduceres.

Intereà Reges Catholicos in fide, si mali esse cœperint, cur furiosos arietes vocet: Reges autem & Principes Protestantes, quos hæreticos existimat, lupos rapaces appellet iste insolens Cardinalis ipse hircus & vulpes, causa nulla fuit, nisi quòd Reges putaret esse patientes. Qui si se Reges esse meminissent, docerent istum pragmaticum Cardinalem, vt sacris magis attenderet, minùs se Regum negotijs immisceret. Nec ab huiusmodi sceleratis impostoribus vel diuini Testamenti veritatem corrumpi, vel Regij Imperij maiestatem dissolui vllo modo paterentur. Sequetur enim ex Testamenti corruptione Imperij dissolutio. Quare si sanum consilium audirent, non iam ampliùs istos præstigiatores, qui perniciosis argutijs controuersias facient immortales, tam vrgendos argumentis, quàm cogendos armis iudicarent; sine quibus profectò nunquam illi aut contumeliam Deo, aut iniuriam Regibus facere desistent.

Tum SATVRNINVS, Intereà nimis tu quidem, inquit, PATRIOTTA incalescis contrà doctissimum Cardinalem, lumen nostri sæculi.

Tum ille, Omitte, inquit, laudes Cardinalis tui: & proba primatum. Nam Pontificij tui de textu, quo primatus apertissimè fundetur, nondum inter se potuerunt vnquam conuenire.

Tum SATVRNINVS, Quid apertius, inquit, quid euidentius, quàm Petrum caput Apostolorum, & petram super quam promisit Christus se Ecclesiam suam ædificaturum, vocari? Matth. 16. Nam quamuis D. Paulus Christum Ecclesiæ caput appellet principale & inuisibile, quod totum Ecclesiæ corpus animet; tamen aliud ministeriale & visibile constat à Christo constitutum fuisse, quod totam extrà gubernet Ecclesiam, cujus mentionem facit Corinth. 12. Non potest caput dicere pedibus, non estis mihi necessarij. Quod non potest intelligi de Christo capite principali. Potest enim Christus æternus Dei λογος nobis dicere, Non estis mihi necessarij. Sequitur igitur, intelligendum esse de capite mini-

Ephes. 1.

ministeriali, id est, Petro, Petrique successore Pontifice Romano. Et quamuis Paulus affirmet Christum esse vnicum Ecclesiæ primarium fundamentum, 1. Corinth. 3.11. tamen cum ipse alibi dicit, Ecclesiam superstructam in fundamento Apostolorum, ideoque in persona Petri principis Apostolorum, vt & Christus illum prius petram vocauit, & Esaias cum prophetico Spiritu diceret, in persona Dei, Ecce pono in Sion lapidem electum, preciosum, lapidem Angularem, fundamentum fundatum: vt Christum intelligit primarium fundamentum, de quo Apostolus, Fundamentum aliud, &c. 1. Cor. 3. sic Petrum, quem Christus petram vocauit, & Papam preciosum illum & angularem lapidem, & fundamentum fundatum, sed secundarium præsignauit. Quemadmodum etiam Oseas de vno capite prophetauit, quod filij Iudæ & filij Israel congregati sibi posituri essent. Ex quo constat vnum totius Ecclesiæ vniuersalem Pontificem esse debere, Christum autem & eius vicarium vnum caput constituere. Vnum visibile & ministeriale caput, ex quo tota penderet Ecclesia, in remedium schismatis: vnam petram, vnum fundamentum secundarium, quo tota Ecclesia niteretur in remedium lapsus & ruinæ, personam Cathedramque Petri.

Esay. 28. 16.

Bell. in præf. de Rom. Pont.

Cap. 1.

Saunder. de visib monarchia, lib. 4. c. 5

Patres interrogemus synceros Scripturæ interpretes; Optatum, qui nomen Cephas, vt significat caput, sumptum à Græco verbo κεφαλη censet: ideoque Petrum caput Apostolorum appellat. Nam quòd Syriacè saxum, Græcè caput significat: eo verbo vtraque Petri prærogatiua describitur. Personam verò Petri petram Ecclesiæ & dictam & positam à Christo Hieronymus testis est, qui disertè affirmat Petrum fuisse super quē Dominus fundauit Ecclesiam. Et ad Damasum tomo epist. 2. Ego Beatitudini tuæ, inquit, id est, Cathedræ Petri communione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Et Augustinus, cum mentionem fecisset sedis Petri, Ipsa, inquit est petra. Et Cyprianus, Qui Cathedram Petri, suprà quàm ædificata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit. Longum esset numerare Patres, qui Petri personam petram à Christo dictam & positam esse dixerunt, super quam promisit se Ecclesiam non solùm ædi-

Ad Marcell. tom. epist. 2.

Aug. in Psal. cont. part. Donat.

Cyprian. de vnit. Eccl cathol.

ficare, sed ædificaturum: ideò tres adduxi, qui Petri non personam modò, sed cathedram petram appellant, vt in Pontifice Romano perpetuitatem ædificationis iuxtà Christi verba denotarem. I iam PATRIOTTA, & nega, si potes, primarium hoc dogma Catholicæ fidei, primatum & principatum Petri, in Scripturis apertissimè esse fundatum. Ex quo diuersa origo, & præstantia colligi potest Ecclesiastici & sæcularis principatus: quòd Papa, Princeps spiritualis, vt Petrus, immediatè à Christo potestatem sumpserit imperandi suis subditis: sæculares autem Principes mediatè suam potestatem acceperint imperandi suis subditis, interueniente vel electione, vt Imperator & Rex Poloniæ; vel successione hæreditaria, vt Hispaniæ, Franciæ, & Angliæ Reges; vel donatione, vt feudatarij Principes: vel bello iusto, vt olim Godefridus & alij Domini terram sanctam acquisierunt. Ergo Papæ, vt Petro, summo Principi spirituali immediatè à Christo in Ecclesia constituto, tanquam capiti & petræ totius Ecclesiæ, spiritualis obedientia conscientiæ causa à Christianis omnibus deferenda est: Regibus autem sæcularibus mediatè per humanos titulos constitutis, sæcularis modò obedientia tantùm politiç causa propter obseruationem boni ordinis atque moris, salua semper obedientia superiore præstāda est. Quod eò dictum existimari velim, vt tibi CALANDER, reuocem in memoriam illud, quod ignorare non potes; Ita tibi iuretur fidelitas ad Regem, ne abiuretur fidelitas ad Christi vicarium: quem ego vsum huius articuli cæteris Catholicis omnibus respectu suorum Principum breuiter proponendum putaui.

Tum PATRIOTTA, Multa paucis complexus es, inquit, SATVRNINE, & quidem ferè omnia, certè præcipua, quæ vestri è Scripturis afferunt pro primatu, vt ventum iam planè videatur ad Triarios: quos si Dei gratia fudero, cæteras quiuis veluti fractas disiectasque copiolas vestras facilè profligabit.

Ac primùm quidem quo sensu Christus ęternus Dei filius, caput, petra, fundamentum Ecclesiæ dicatur, breuitèr dispiciendum. Ita quantum Christo derogetur, dum diuo Petro

tro tribuantur, CALANDRO facilè constabit. Deus omnia subiecit pedibus Christi, inquit Apostolus, & ipsum posuit caput super omnia Ecclesiæ, quæ est corpus eius, & complementum eius, qui omnia in omnibus implet. Ephes.1.22.23.

Caput igitur Ecclesiæ Christus vniuersæ, non solùm quòd omnia membra intus animet, ijsque sensus omnes & motus spiritualium gratiarum instillet, sed quòd omnia sibi subiecta regat etiam & gubernet suo Spiritu: ita Christi corpus Ecclesia. Est igitur ea relatio inter Christum & Ecclesiam, vt nec ille possit dici caput, nisi respectu huius corporis, nec hæc corpus, nisi respectu illius capitis. Vt non minùs absurdum sit Ecclesiam fingere bicipitem, quàm Christum bicorporem. Ergo Paulus cum Christum solum vocaret caput, cæteros omnes & homines & Angelos in membrorum ordinem coegit. De Angelis constat versu 21. de hominibus, cap.4. & quidem ijs, quos erat militanti Ecclesiæ præfecturus, quorum nullum constituit caput, omnes reliquit in corpore. Nam cum de perpetuo militantis Ecclesiæ regimine ex comparato atque ex composito scriberet, & ad vnitatem spiritus in vinculo pacis conseruandam multas colligeret vnitates, Vnum corpus, vnum spiritum, vnam spem, vnum Dominum, vnam fidem, vnum baptisma, vnum Deum & Patrem omnium nostrûm; vnum caput visibile prætermisit, cum tamen eius hoc loco si vspiam, mentionem facere deberet. Ephes.4. Quid? Oblitum ne Petri Paulum fuisse putabimus, cum vnicuique Apostolorum datam esse gratiam diceret iuxtà mensurã donationis Christi, ab eoq;, cum in altum ascenderet, nõ vnum datum Apostolum, qui cæteris omnibus præsideret, sed multos Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores & Doctores, quos priùs Episcopos appellat, ad collectionem Sanctorum, ad opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi: vt non monarchicum in terris, quod tantoperè celebrat tuus Bellarminus, sed aristocraticum Ecclesiæ regimen à Christo Paulus relictum senserit. Et id satis esse dixerit ad vnitatem spiritus & fidei conseruandam, vt occurrat ijs, qui Ecclesiam clamitant ἀκέφαλον, sine visibili capite, constituto scilicet in remedium schismatis. Quòd si tum vixisset Bel-

larminus, monuisset, credo, Paulum, ne Petrum vniuersæ Ecclesiæ caput prætermitteret. Nunc autem, Bellarmine, non est integrum Apostolo consilio iam vti tuo. Scripto igitur Christum ipsum, semper viuentem & præsentem spiritu & maiestate, caput Ecclesiæ vnicum declaratum, & hoc loco, vnum Dominum appellatum, omnes colere atque adorare debemus.

At Christus, inquis, est caput vnicum principali modo, quatenus corpus animet: Pontifex iure Petri ministeriale caput Ecclesiæ, vt gubernet. Atqui duplex Ecclesiæ caput ex duorum munerum differentia constituere, aliud principale, quod animet, aliud ministeriale, quod regat, non est diuidere, sed discerpere capitis functiones. Nam regere siue internas, siue externas totius huius corporis functiones, præcipuũ & proprium est eius capitis munus, vt docet Paulus, cuius est corpus animare.

At Paulum alibi de ministeriali capite loquutum fingitis. Cum diceret, Caput non potest dicere pedibus, Non estis mihi necessarij. Quod non potest, inquis, intelligi de Christo. Est enim ille eiusmodi caput, quod potest nobis dicere, Non estis mihi necessarij. Quod vt verum esse concedam, quatenùs Christus est æternus λογος & ipsa perfectio, (sic enim hominibus non indiget. Implet enim omnia & impleri non potest.) at quatenùs est caput Ecclesiæ, opus habet corpore & membris, vt sit caput ex natura relationis. Hæc enim ex illa natura ita nexa sunt, vt non possit caput esse sine corpore, plus quàm corpus potest esse sine capite: vnde Ecclesia dicitur corpus Christi, & complementum eius qui omnia implet in omnibus. Quod fit non dignitate aliqua humana, sed dignatione diuina. De corruptione loci ad Corinthios, deque friuolis argumenti tui & absurdis consequentijs, non ita multò post audies.

Intereà quo sensu Christus, quẽ D. Petrus filiũ viuentis Dei confitetur, petra & fundamentum Ecclesiæ nominetur, attende. 1. Corin. 3. 11. & Matth. 16. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, Iesus Christus. Christus igitur est vnicum Ecclesiæ fundamentum,

vnica

vnica petra, in qua tota Ecclesia fundari debet.

Quod eo sensu accipiendum est, quòd nobis natus, pro nobis mortuus & rediuiuus, & receptus in cœlum, factus est nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio, redemptio, satisfactio, purgatio, salus denique & gloria: vt Paulus illum primo capite descripsit, bonorum horum omnium non dimidium aut partem, sed complementum in Christo quærendum esse. Neque enim dicit nobis datum esse Christum in supplementum vel adminiculum sapientiæ, sanctitatis, redemptionis; sed solidum omnium effectum vni Christo vendicat, in quo nos completos esse dicit: quo loco priùs docuit quo sensu Christus dicatur vnicum fundamentum, deinde post vnicum fundamentum Ecclesiæ posuit, vt in Christo solo, velut æterno & immobili fundamento fundati, in eo solo omnem nostram fidem ac fiduciam poneremus. Et obseruatu dignum est, Paulum, Cephā, & cæteros Apostolos vocari architectos, non fundamentum: architectos, qui Ecclesiam totam in Christo solo ædificarent, non fundamentum, in quo ædificaretur. At Apostolus ait Ecclesiam superstructam in fundamento Apostolorum & Prophetarum. At aliud est personale fundamentum, de quo hoc loco: aliud doctrinale, de quo apud Ephesios. Vbi non Petrum solùm intelligit, sed omnes Apostolos, vt sunt doctores Ecclesiæ, esse doctrinalia fundamenta, quemadmodum in Apocalypsi. Vbi Apostoli duodecim domus Dei fundamenta memorantur. Coloss. 2.

Veniat nunc SATVRNINVS, & iam vel ipse iudicet, vtrum Petri personam possit petram & fundamentum Ecclesiæ dicere. Si dicat etiam adhuc, (noui enim eius litigiosum & minimè cedens acumen,) dicat igitur Petrum pro nobis natum, pro nobis mortuum, pro nobis resurrexisse, & in cœlum ascendisse: Petrum nobis factum à Deo sapientiam, iustitiam, sanctificationem, redemptionem, satisfactionem, purgationem, vitam & gloriam: in Petro nobis æquè ac Christo, tanquam fundamento, fidem nostram esse ac fiduciā collocandam. Nam isto sensu Christus est petra & fundamentum Ecclesiæ.

Viden', CALANDER, horum hominum manifestam blasphe-

blaſphemiam, qui Petrum & iure Papam, petram, & funda-mentum Eccleſiæ ſecundarium nominant? mihi quidem certè nulla peſtis videtur eſſe capitalior, quàm eorum, qui merum hominem rupem Eccleſiæ fecerunt. At hominem ſanctũ faciunt. Attamen hominem: vt Mariam beatam mulierem, ſed mulierem; cum ipſa dicitur contritura caput ſerpentis. Vt Petrum virum ſanctum, attamen mortalem & peccatorem. Et tum ſanè vix virum, cum timens mortem, negauit vitam. Vt ait Gregorius. Tamen eum petram dicunt, quem Chriſtus pòſt ſathanam appellauit. Qui tam infirmum & debile Eccleſiæ Chriſtianæ fundamentum fundatum ponunt, quid proponunt aliud, quàm quod Athei rideant, & Iudæi execrentur? Deſinant igitur ampliùs cum Eccleſiæ dedecore & damno inſanire: & æternæ Eccleſiæ æternum fundamentum Dei filium ſolum eſſe fateantur.

At Regis, Domini, Epiſcopi, Paſtoris cæterorumque ſimilium nomina Chriſto tributa, tribuuntur etiam Regibus & ſacerdotibus. Fatemur, & concedimus, eiuſmodi nomina quæ miniſteriũ exprimunt, tributa Chriſto, poſſe tamen magiſtratibus ſiue ciuilibus, ſiue Eccleſiaſticis tribui, ſuo quodam modo: quæ verò arctiſſimam Chriſti & Eccleſiæ coniunctionem exprimunt, cuius virtute ſalus ad nos & vita diſfunditur, vt nomina capitis, petræ, fundamenti, ea cuiquã mortalium reſpectu totius Eccleſiæ tribui poſſe, id verò etiã atque etiam pernegamus.

At Patres Petrum petram appellant, ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam. Vt Hieronymus, alijque Patres quidam affirmant. At Cuſanus veſter antè reſpondit ex Hieronymo, etſi Petrus per petram lapis fundamenti intelligi deberet: tamen ſecundum illum ita ſimiliter alij Apoſtoli fuerunt lapides Eccleſiæ, vt Apocalyp. 21. duodecim lapides: ergo quot Apoſtoli, tot fundamenta; quod dicitur reſpectu Apoſtolicæ Doctrinæ, vt antea Paulus expoſuit.

Cuſan. lib. 2. de concord Eccleſ. cap. 13

Alij, & quidem rectiùs, Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, de Chriſto exponunt. Vt Auguſtinus, Tu es ergo, inquit, Petrus, & ſuper hanc petram, quam confeſſus es, ſuper hanc petram, quam cognouiſti, dicens, Tu es filius

Aug. de Verb. Dom. ſecund. Matth. Serm. 13.

Dei

Dei viui, ædificabo Ecclesiam meam, id est, Super meipsum filium Dei viui ædificabo Ecclesiam meam. Super me ædificabo te, non me super te.

Et Gregorius, Christus, inquit, se petram vocat. Alij fidem & confessionem Petri petram appellant: vt Chrysostomus, Super hanc petram, dixit, non super hunc Petrum: non enim super hominem, sed super fidem ædificat Ecclesiam.

Chrysost. sermone de pentecoste, & homil. 55. in Matth.

Et Hilarius, Vnum est immobile fundamentum, vna est hæc fœlix fidei petra Petri ore confessa, Tu es filius Dei viui: super hanc igitur confessionis petram Ecclesiæ ædificatio est. Hæc fides Ecclesiæ fundamentum est.

Hilar. de Trinit. lib. 2.

Et Ambrosius, Dominus dicit ad Petrum, Super istam petram ædificabo Ecclesiam meam: hoc est, in hac Catholica fidei confessione. Fides ergo Ecclesiæ fundamentum: non enim de carne Petri, sed de fide dictum est, Quia portæ mortis ei non præualebunt.

Amb. in secund. cap. epist. ad Ephesios.

Ex quorum grauissimis testimonijs, ne plura consecter, omni exceptione maius conficiam argumentum.

Id (iuxtà Scripturam & Patres) quod Petrus confessus est, id in quod credidit, fuit estque petra.

At Petrus confessus est Christum, non seipsum: Petrus credidit in Christum, non in seipsum.

Ergo (iuxtà Scripturam & Patres) non Petrus, sed Christus fuit estque petra.

Quod argumentum ex venerabili Beda potest elici, qui scribit Christum fuisse petram, super quod fundamentum etiam Petrus ipse ædificandus fuit.

Beda in cap. 21. Iohannis.

Eiusque firmamentum Scripturæ consentaneum sumi potest ex Petro de Alliaco R. Ecclesiæ Cardinale, Pontificij primatus defensore acerrimo, qui tamen veritatis ipsius luce victus, Per petram, inquit, non videtur Petrus intelligi, sed Christus: Quis enim, inquit, constituat Ecclesiæ firmitatem in Petri infirmitate? De qua ancillam interroga, quæ custodiuit fores, & respondeat illa, cuius verbo Petrus exterritus, vt ait Gregorius, dum timuit mortem, negauit vitam. Quare cum Petrus vacillasset, & eius vicarius non firmitèr

Pet. de Alliaco recommen. Scriptu. Pag. 269.

consistat, cumque iam discrepent de summo Petri sacerdotio Pontifices, & litigent de summo Pontificio sacerdotes, quis præsumat dicere vllum hominem cuiuscunque sanctitatis aut dignitatis, siue sacerdotem, siue summum Episcopum, siue Petrum, siue Petri Vicarium, siue alium quemcunque nisi Christum ipsum, esse Christianæ Ecclesiæ fundamentum? Christus igitur super seipsum, vt super firmissimum fundamentum, Ecclesiam suam stabiliuit contrà Ecclesiam diaboli: & super hanc firmissimam petram firmissimè confirmauit Petrum ipsum, de eo dicens sententiã præmissam, Super hanc petram. Hæc Petrus de Alliaco: Lutherum, aut Caluinum putes loqui.

Et tamen ausus est Cardinalis Bellarminus Prophetiam Esaiæ de lapide electo, precioso, lapide angulari, fundamento fundato, posito in Sione, ad Papam scilicet accommodare, parasiticum mancipium Antichristi, contrà clarissimam expositionem Petri ipsius, 1. Petri. 2. cui Th. Aquinas & Card. Caietanus, & Maldonatus ac Pererius Iesuitæ, alijque multi Pontificij subscribunt. Id cum paucis ausus est Bellarminus in Scripturam, quod complurium doctissimorum Papistarum reformidauit audacia. Et hunc tu audias, CALANDER, in primario articulo fidei, vt vocat, à suis tantoperè dissidentem? aut hosce omnes tutus admittas, quos vt Madianitas vides in causa tanti momenti mutuo se marte iugulantes?

SATVRNINVS certè, qui nihil videtur esse aliud quàm ipsissimus Bellarminus, progreditur longiùs à Christo ad Petrum, à Petro ad Papam, à Papa ad Cathedram Papæ delabitur, eamque petram, scilicet, super quam ædificanda sic Ecclesia, detortis, aut cõfictis ex Hieronymo, Augustino, Cypriano testimonijs probare conatur.

Cicero de oratore.

Meminit Cicero cuiusdam insani, qui reperiens in littore scalmum, ex eo nauem ingentem ædificare constituit. Similis est horum insania, qui Cathedram Petri reperientes in Patribus, in Cathedra ædificatam somniant Ecclesiam.

Hieronymus ad Damasum inquit, Ego Beatitudini tuæ, id

id est, Cathedræ Petri communione consocior: super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Hoc est, super Cathedram, vt tu refers. At Hieronymus ita: Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, &c. Vos verò Christum in hac sententia, velut ignotum hominem præteritis, & verba Hieronymi delumbatis, quibus se nullum primum, nisi Christum sequi profitetur. Cathedræ Petri meministis, Super illam petram, inquit Hieronymus, ædificatam Ecclesiam scio. Illam Petram quin refers ex Grammaticæ regulis ad Christum, potiùs qui præcedit, quàm ad Petrum, qui sequitur in sententia? præsertim cum Hieronymus addat verbum, scio, Ecclesiam ædificatam super illam petram. Iam Christum esse petram, super quam ædificatur Ecclesia, nulli dubitant: Petrum autem esse petram, multi negant. Et tu tamen sic insanis, vt è Cathedra, tãquam ex scapha, Ecclesiæ nauem ædifices?

Bellè tu quidem, SATVRNINE, eraso Christi nomine, sententiam, quasi barbam, Hieronymi nouacula quadam abrasisti.

Mirabor autem si Augustinus, qui Petrum Ecclesiæ fundamentum non ferat, Papam ferat: & qui personam Petri ab hoc honore remouerit, Petri Cathedram admittat.

At cum mentionem fecisset sedis Petri, ipsa (inquit) est petra. Itane? Verba omnia apponamus adiacentia.

Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, & in ordine illo Patrum, quis cui successit, videte: ipsa est petra, quam non vincant superbæ inferorum portæ.

Tum SATVRNINVS, Hic tu aliud agens, PATRIOTTA, alterum illum articulum Catholicæ fidei, de Papa Petri successore, ex Augustini authoritate confirmas.

Atquî, inquit ille, ad confirmandũ articulum catholicæ fidei authoritas Augustini sine Scripturæ testimonio satis esse non potest, vel ipso iudice Augustino: qui de facto narrat, vt acceperat, Epis. Rom. sedẽ Petri sedẽ fuisse: in eaq; alios alijs successisse: sed fidei articulũ non facit. Quare cũ dicit, Ipsa est petra, non potest ipsa referri vel ad sedem, vel ad successionem Episcoporum in sede. Nam in eo sibi ipsi contradiceret, qui

Christum Ecclesiæ petram facit, nisi potiùs, ad Petrum ita intellectum, vt dixi, cum alijs Apostolis, qui doctrinæ respectu petræ dici quodam modo possunt. At non dicitur, inquies, ipse est petra, sed ipsa est petra. Ergo relatio est non ad personam hoc loco, sed ad sedem, id est, Cathedram.

Quasi verò librariorum vel fraude vel incuria non maiores in Augustini opera corruptiones irrepserint, quàm à pro è: Ipsa pro Ipse. Quamuis quid impedit, quò minùs, ipsa est petra, referantur ad Petri personam æquè ac illa verba in Euangelio (super hanc petram &c.) ad personam Petri à Rhemensibus referuntur.

Sed detur ad tempus, id quod nunquam euinces, ibi Petri Cathedram intelligi: non dicit Augustinus, ipsam esse petram super quam ædificatur Ecclesia: sed ipsam esse petram, quam non vincant inferorum portæ. Ita non promittit Romam semper restituram, sed testatur Romam tum restitisse portis inferni, cum fidem incorruptam seruaret, quam Petrus reliquisset. Nam si nunc viueret, vt omnia quæreret, Romã illam in media Roma non reperiret. Hodierni Romani non sunt Romani; sunt cadauera Romanorum eorum qui fidem à Paulo & Petro primam acceperunt, quam isti velut animam, efflarunt.

Lib. de vnitate Ecclesiæ. Iam respondeat Cyprianus ipse pro se, qui parem potestatem Apostolis omnibus à Christo tributam dixit: & hoc fuisse & cæteros Apostolos, quod fuit Petrus, pari consortio (Ibid.) præditos & honoris & potestatis. Respondeat, inquam, ipse pro se, quomodo Cathedram Petri suprà cæterorum Cathedras efferre potuerit, & illam iusta de causa deseri noluerit, (Contrà Stephanum.) quam ipse in iniusta oppugnarit.

Sed habet Cyprianus, vt & Hieronymus & Augustinus, alijque Patres, iustam querendi causam, tot libros supposititios pro veris & genuinis inductos: & falsas clausulas fraudulenter insertas, & veras violenter resectas, vt mortui iam cogantur alieno arbitrio & loqui, & tacere, non suo.

Modò Hieronymus mandatu vestro tacuit id, quod priùs dixerat. Nunc Cyprianus loquitur id, quod nunquam senserat.

Qui

Qui cathedram Petri, super quam ædificata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit? Cyprianus de vnitate Ecclesiæ.

Cyprianus paulò ante sic scripsit, Christus super vnum Petrum ædificat Ecclesiam, intelligens Petrum primum esse lapidem positum in Christo fundamento, super quem reliqui deinde erant ordine suo superstructi. Primum igitur ordine, non potestate: ergò dixit omnibus Apostolis datam æqualem potestatem à Christo: sed exordium ab vnitate proficisci, vt Ecclesia vna monstretur. Fundamentum igitur ædificij apud Cyprianum nihil est aliud quàm exordium. Hoc erant vtique & reliqui Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis, sed exordium ab vno. Hoc est igitur proprium personæ Petri, vt sit primus lapis positus in fundamento, super quem, &c. Quomodo igitur deriuatur ad Cathedram Petri, super quam ædificetur Ecclesia? Petrus in cathedram, super quem in super quam commutetur? Adeoné Patrem infirma & labili memoria fuisse putas, vt intrà nouem lineas tam manifestò sibi ipsi contradiceret? Personã Petri loco suo moueret, vt cathedram Petri constitueret? Antecessorem ordine deijceret, vt induceret successores? Primum in ædificio lapidem gradu deponeret, vt reponeret posteriores? Non faceret: non sic insaniret. Non igitur Cypriano mala memoria, sed scribis quibusdam mala fides, qui clausulam hanc textui Cypriani alienam prorsus atque heterogeneam intulerunt. Multi doctissimi huius ætatis Pontificij correctores in edendo, multi celeberrimi typographi in imprimendo Cypriano elaborauerunt: omnia quæ poterant, manuscripta exemplaria antiquissima & purissima ex omnibus Christiani orbis bibliothecis nobilissimis conquisiuerunt, & inter se diligentissimè contulerunt: & in hoc consentiunt omnes, clausulam hanc in nullo se suorum exemplarium reperire potuisse. Excepto Pamelio quodam Canonico Brugensi, qui nuper in antiquo exemplari manuscripto Abbatiæ Cambronensis clausulam illam à se repertam dicit homo obscurus, & in editionem suam Antuerpianam intulit typographo Stelsio: cum tamen ipse Pamelius octo sibi ad manum fuisse manuscripta exemplaria fateatur è varijs de-

ſumpta bibliothecis, quorum in nullo dicit repertam hanc clauſulam, niſi in exemplari Cambronenſi. Credamus iam ſi poſſumus, vnum exemplar manuſcriptum Cambronenſe eſſe incorruptum, cætera corrupta eſſe omnia. Vnum cæcum exemplar tot & prælo impreſſis, & manuſcriptis illuſtribus exemplaribus præferamus. Vnum Pamelium Canonicum Brugenſem tot eximijs Pontificijs Rembolto, Canchio, Coſtero, Eraſmo, Grauio, Manutio, Morelio anteponamus. Vnum omnibus fideliorem arbitremur. Quæ certè omnia faciamus priùs eſt neceſſe, quàm hanc ſpuriam & irreptitiam clauſulam admittamus. Eat iam SATVRNINVS, & cathedram Petri petram Eccleſiæ catholicæ eſſe glorietur. Libet tamen huius Petrini argumenti conſequentias pro inſtituto pauliſper expendere.

Petrus confeſſus eſt Chriſtum filium Dei viui petram & fundamentum Eccleſię, contrà quem portæ inferni non præualebunt.

Ergo Petrus eſt petra & fundamentum Eccleſiæ, contrà quem præualuerunt.

Vel ſic.

Petrus reſpectu doctrinæ eſt fundamentum, vt & reliqui Apoſtoli:

Ergo ratione perſonæ.

Vel ſic.

Petrus lapis primus ordine poſitus in fundamento, eſt petra.

Ergò Pontifex ſucceſſor Petri, vt præſumitur, eſt petra.

Perſona Petri:

Ergò cathedra Petri.

Obtuſior eſt lapide qui ſic colligit.

Vno verbo, Petrus iſto loco primatum tenet ipſe gradus tantùm atque ordinis.

Ergò tribuit Papæ Romano primatum iuriſdictionis & poteſtatis.

Annon hęc ſtructura primatus ex petra eſt textura funiculi ex arena? Quàm iſta ridiculè diſſeruntur? Illud verò quàm impiè à Bellarmino? qui Prophetiam Eſaiæ de Chriſto electo lapide,

de, precioso, summo lapide angulari, fundamento fundato, vt Petrus exposuit, ad Papam accommodauit.

Christus est primarium fundamentum: Papa secundarium scilicet. Non est hoc argumentum ductum à disparatis, vt in nos ludit Tortus, sed ab immediatè contrarijs. Non enim cœlum longiùs distat ab inferno, quàm Christus à Papa, id est, ab Antichristo.

Sed latent semper sub chlamyde Petri domini Papæ, vt latere dicuntur sub Mariæ chlamyde Dominicani.

Salsè Erasmus vt multa, Quid est charitas, inquit? Est pallium monachorum. Operit enim multitudinem peccatorum.

Similiter possum virtutem Petri vocare chlamydem Pontificum: tegit enim multitudinem improborum. Vnde libenter arripiunt illud Optati, qui nomen Cephæ, Syriacè saxum, Græcè caput significans, impositum Petro dicit à Græco verbo κεφαλη, vt obseruat Bellarminus, ideoque Petrum caput Apostolorum appellat. Quod doctissimus Valla miratur cuiquam in mentem venire potuisse: & Cardinalis Caietanus eximius sanè scriptor apud Pontificios, refellit ex Euãgelio. Ait enim ab Euangelista, vt huic errori occurreret, nomen Cephæ interpretari Petrũ, non caput. Et Ferus planè ridiculam huius nominis interpretationem esse disertè affirmat. Sed non magis ista nominis deriuatio, quàm illa rei probatio ridicula videri debet, quam ex illo Pauli loco (Non potest caput dicere pedibus, non estis mihi necessarij) prauè detorto Bellarminus violenter expressit contrà scopum & mentem Apostoli: qui sumit caput metaphoricè pro quolibet mẽbro excellentiori, quod eximijs donis præditum est: oculos, aures, manus, pedes, pro membris inferioribus, quę donis minoribus ornantur, vt Chrysostomus exponit, Bonis pollebãt inquiens, alij maioribus, alij minoribus, præcipuè linguarũ. Qui maiora acceperant, eos qui minoribus erant præditi, contemnebant: hij rursus dolebant, & maioribus inuidebant. Hoc dissidium in corpore mystico componere voluit exemplo concordiæ membrorum in corpore naturali, vbi caput non dicit pedibus, Non estis mihi necessarij, &c. sed omnia membra

Bellar. l. 1. de Rom. Pontif. cap. 17.

Valla declamati. de donatione Constantini.

Commen. in Ioh. cap. 1.

Ferus in hunc locum.

Chryso. homilia vigeſ. nona. in 1. Cor

membra inter se mutua cuiusque indigentia continentur. Ex hac metaphora Bellarminus vnum totius Ecclesiæ visibile & ministeriale caput constitutum somniat.

Obserua iam ineptas consequentias ex hac interpretatione necessariò pendentes.

Si vnum caput ministeriale totius Ecclesiæ ex hoc loco sumitur: ergò quia Paulus mentionem facit oculorum, aurium, manuum, pedum, quæ membra bina sunt; duo sint in Ecclesia, qui cum duobus oculis; duo, qui cum auribus; duo, qui cum manibus; duo, qui cum pedibus comparentur necesse est. Pulchrum verò corpus Ecclesiæ quod ex nouem membris tantummodò constat.

Ac quoniam vrgent analogiam capitis & pedum, quæro, quos Ecclesiæ pedes intelligant? Alij Reges, vt Cardinalis Polus; alij doctos viros, vt Turrianus, potissimùm ordinis sui Iesuitas: Reges, qui imperio; Iesuitas, qui ingenio caput hoc putridum sustentent, immò verò etiam ad Indos perferant, vt in nouo orbe dominetur. Quibus pedibus Papa reuera non potest dicere, Non estis mihi necessarij: ideo Iesuitis maiorem honorem habet, quàm ventricosis illis & inertibus monachis, qui in preculis horarijs ad globulos recitandis tempus ferè consumunt. Vt illud etiam quadret argumento capitis vestri, quod Paulus ibidem habet, mẽbris inhonestioribus maiorem honorem circumponi: ex quo forsitan Ordines alij concludent, Iesuitas esse cæteris omnibus monachis inhonestiores.

Sed quæro, cur non multa ministerialia capita, si multi ministeriales pedes? Vbi duo oculi, quibus caput hoc metaphoricum sine cerebro secreta Regum inspiciat? vbi aures duæ, quibus rumores omnes exaudiat? vbi manus duæ, quibus omnium pecunias corradat & corroget? Si respondeas, non esse duas capiti necessarias; cui multæ suppetunt, fatemur id capiti vestro satius esse ad rationem fisci, sed non ad vim argumenti. Est enim dualitas horum membrorum necessaria ad constituendam capitis vnitatem, vt seruetur analogia.

Verùm hoc nomen tam augustum, caput Ecclesiæ, caput fidei, proprium Christo, qui viuit & regnat in cœlis, ita vt

adsit in terris semper Ecclesiæ suę maiestate & Spiritu, immò verò etiam insit, vt illam per verbum animet & gubernet: cum homine mortali & peccatore communicari sine blasphema contumelia certè non potest. Quædam Bellarmini blasphema sunt, quædam friuola: quædam & blasphema & friuola, vt est hoc de metaphorico capite ductum argumentum: quo tamen primatus præcipuum Catholicæ religionis fundamentum niteretur. In quo videte quid cordati homines suspicentur, qui Cardinalem virum doctum existimant; tantum illius ingenio tribuunt, vt potiùs quàm tam ineptum disputatorem sentiant, vt videtur, occultum credant præuaricatorem. Caput suum defendit adeò flaccescentibus viribus, adeò ridiculis argumentis, vt sine impulsu aduersarij, etiã imbecillitate sua cadere videatur. Quod M. Callidio causam capitis sui negligenter & frigidè defendenti dixit Orator, Tu M. Callidi, nisi fingeres, sic ageres? idem huic, eximio capitis sui patrono rectiùs dici potest, Tu Bellarmine, si ita sentires, vt dicis, causam tantam tam otiosè, tam languidè tractares? Cicero in Bruto.

Nam quod ex præmissis, SATVRNINE, differentem originem cum Bellarmino colligis Ecclesiastici & sæcularis Principatus: & ex diuersa vtriusque potestatis origine diuersam obedientiæ naturam elicis vtrique debitam, & hunc duplicem huius articuli proponis vsum Catholicis omnibus considerandum: quia totus hic locus Regiam dignitatem propiùs attingit, eum REGIO nostro tractandum relinquo. Quare, CALANDER, REGIVS tibi rogandus est, vt hac de parte nobis, quid sentiat, explicet, meque labore disputationis leuet.

Tum CALANDER, Equidem, inquit, cum omnes responsionis tuæ partes diligenter attendo, persanè paruum in textu huius nostri vniuersalis Ecclesiastici Principis impressum vestigium video. Nam si Christus omnibus Apostolis & Ministris æquè ac Petro clauem dedit, non sceptrum: & pedum, non gladium: & Petrum non caput constituit corporis, sed membrum; nec fundamentum ædificij, sed architectum, vt non modò Veteres multi, sed & Pontificij Scrip-

turæ congruenter docent: vbi, quæso, reperiam in textu apertissimè fundatum, vt dicunt, vniuersalem hunc Ecclesiasticum Principatum? Nisi fortè, vt Homerum principem Poetarum, Demosthenem principem oratorum, Platonem principem Philosophorum, ita Petrum principem Apostolorum libeat dicere. Quarè te rogo, mi Carole, vt, quemadmodum PATRIOTTA Dei veritatem varijs sophismatis implicatam enodauit: sic tu Principum dignitatem Pontificijs vsurpationibus oppressam, ita, vt REGIVM decet, vindices, quam ego semper habui etiam tum, cum maximè papizarem, vitá mea chariorem.

Tum REGIVS, Omnis, inquit, potestas est à Deo, estque vel ordinata, vel permissa. Ordinata duplex, Ecclesiastica, & sæcularis. Ecclesiastica, si spectes Christum, est monarchica, nā illi soli data est omnis potestas à Patre & in cœlo & in terra. Si homines spectes, est aristocratica, vt ex Paulo PATRIOTTA confirmauit. Ergò tuus iste Princeps spiritualis SATVRNINE, à se lectus monarcha, Rex voluntarius, vicarius Christi putatitius, vniuersalis Episcopus, creatus non à Christo Regum tutore, sed à Phoca regicida, eodem propè tempore, quo pseudopropheta frater Mahumetus; successor non Petri, sed Romuli: quam potestatem immediatè imperandi Regibus habeat, cum non habuerit ipse Petrus, non intelligo, nisi permissam. Vt habet Draco, à quo bicornis bestia potestatem omnem acceperit, vt testatur Iohannes in Apocalypsi. Est igitur hæc potestas non ordinata, sed permissa: non in solatium orbis, sed supplicium: non sanctum institutum, sed Sanctorum flagellum. At spiritualis quædam potestas est immediatè à Deo. Certè, quæ promouet regnum lucis: sed quæ promouet regnū tenebrarum, est immediatè à diabolo, qualem vestram Pontificiam fuisse lugubris multorum sæculorum experientia comprobauit. Ergo Principi tuo spirituali Draconis locum tenenti spiritualis obedientia non plus est debita quàm Draconi.

Sæcularis verò potestas, siue in multis, siue in paucis, siue in vno constat, quamuis in Nerone, tamen immediatè ordinata est à Deo, vt docuit Paulus, ideoque ab eo Dei vocatur

Rom. 13

ordina-

ordinatio. At idem, dicet aliquis, poteſt dici de ſæculari poteſtate tyrannica, vt Tiberij & Neronis, quod de Pontificia poteſtate tyrannica, vt Gregorij ſeptimi & Pauli quinti, certè quoad abuſum. Sed ordinatio poteſtatis ſæcularis eſt à Deo, abuſus à dæmone. Igitur Pilati poteſtas, quæ Chriſtum condemnauit, dicitur non permiſſa deſuper, ſed data deſuper. Erat igitur iniqua, ſed non erat vſurpata, vt cenſuit Auguſtinus. Iniqua reſpectu tyrannidis, non vſurpata reſpectu ordinationis. At huius Prælati, veriùs dicerem Pilati, vt loquitur Bernardus, non iniqua modò eſt poteſtas, ſed vſurpata. Concludo iam igitur ex Apoſtoli principio pro ſæculari poteſtate contrà Bellarminum.

Omnis poteſtas ordinata, eſt immediatè à Deo. Teſte Paulo.

Omnis ſæcularis Principatus ſiue democraticus, ſiue ariſtocraticus, ſiue monarchicus, eſt poteſtas ordinata. Siquidem ratio radius diuinæ lucis dictat omnes ſocietates horum alteri, ſiue puro, ſiue mixto, ſalutis omnium cauſa ſubiectas eſſe oportere. Ergo omnis ſæcularis Principatus immediatè eſt à Deo.

Nullus autem poteſt intelligi Princeps ſæcularis ſine poteſtate imperandi ſuis ſubditis. Omnis igitur Princeps ſæcularis habet poteſtatem imperandi ſuis ſubditis immediatè à Deo.

At titulus poteſtatis non eſt diuinus, inquit, ſed humanus, itaque ſæcularis Princeps mediatè dominium & poteſtatem imperandi hijs vel illis ſubditis accipit, interueniente ſcilicet vel electione, vt Imperator: vel ſucceſſione, vt Rex Franciæ, Hiſpaniæ, Angliæ: vel donatione, vt Feudatarij Principes, (vt Papæ in ſuo dominio, ſic enim potuit dicere) vel bello iuſto, vt olim Godefridus, &c. Imperitè. Qui non diſtinguit inter titulum poteſtatis & poteſtatem ipſam. Titulus eſt conditio ſine qua non huic vel illi Regi acquiritur poteſtas in hos vel illos ſubditos. Poteſtas eſt illa authoritas & iuriſdictio quam Deus immediatè dat Principi, vt docet Paulus. Abuſus eſt igitur Rege Gallorum nobiliſſimo exieſuitus, vt ita loquar, Cardinalis, cum exempli cauſa, Siquis, inquit, Regem Chriſtianiſſimum ſciſcitetur, quo iure Franciam poſſideat, legeſue condat, nõ reſpondebit iure diuino, ſed titulo, ſucceſ-

Bellarmi. in reſponſione ſua ad libellum inſcriptum, Reſponſio Doctoris Theologi ad Epiſtolam ſibi ſcriptam à reuerendo amico de monitoria cenſurarum à P. & promulgatarum contrà Do. Venetos.

successionis hæreditariæ. Immò verò pro sua sapientia nobilissimus Rex aliter respondisset, interrogatus cur imperet subditis, legesque condat: Se hoc facere non iure successionis hæreditariæ, sed ordinatione potestatis quam immediatè accepit à Deo. Hæreditas potestatem non tribuit, sed est conditio in eo homine necessaria, cui Deus immediatè potestatem tribuit. Vt subditi reuerentiam Regibus deferant non modò respectu sanguinis, sed etiam Numinis.
Age,& quid si quis Paulum quintum percontetur, quo iure papatum teneat, respondebit, vt docetur: Non titulo electionis humanæ, sed iure diuino scilicet. Ergo Pontificis potestas est iure diuino, vt videtur, quamuis electio sit à Cardinalibus. Quid ni igitur Regis potestas sit iure diuino, quãuis successio sit à maioribus? Nam quorum videtur par conditio, cur sit dispar iurisdictio? Iniquè igitur Cardinalis, qui negat Regi, quod dat Pontifici.

Sed tentauit iste petulans Cardinalis patientiam Regis Christianissimi, vt alius ex eadem societate nouitius crudelis dentem excussit, cum peteret iugulum. At benedicunt iam Iesuitæ Regi. At Rex, quoties mandit cibum, mirum ni maledicat Iesuitis. Qui pendente lite de eiectione Iesuitarum, vulnus à Iohanne Chastillo accepisset, & sanguis ex ore manaret, falsè dixisse scribitur, vt solet; Nunc demum ore meo conuictos eijci Iesuitas oportet. Vt eodem ore doleant amici reductos denuò, tanquam absolutos, qui authores tàm infandi parricidij extiterunt. Quorum discipulus magnanimum Regem transfodit. Eodẽ modo Baronius
Tom. 11. iracundus senex Regem Catholicum excepit Philippum secundum satellitem Ecclesiæ suæ, quòd Siciliam & Neapolim ab Ecclesia detineret. Cui parcent, qui Hispano non parcunt? Quid expectet ab istis defensor fidei, qui sic Christianissimum & Catholicum exceperunt?

Sed quamuis nulla sit veritas, aliqua tamen est æquitas in Bellarmino. Nullis parcit Principibus, ne suis quidem. Catholicos in fide, si mali esse cœperint, per summum pastorem arcendos à grege & dominio priuandos dicit, non minùs quàm hæreticos. Illos vt furiosos arietes ne cornibus feriant,

ant, hos vt rapaces lupos ne vastent gregem. Adeò contumeliosè Excellentias Gloriasque orbis Christiani appellat iste insolens Cardinalis.

Non miratur orbis sacerdotes tàm esse arrogantes, miratur Reges tam esse patientes, vt coronas regales quasi pilas pedales ab illis vltrò citroque iactari sinant: & libertates regnorum distinctionibus scholarum minui paulatim atq; atteri.

Ferit enim iste Cardinalis, vt malus sagittarius, amicos suos Reges circumstantes, dum omnia sua tela collineat rectà, sed frustrà in Iacobum magnæ Britanniæ Regem, quem Deus ab illius scelere defendat. Sed ad argumentum. Omnes enim Principes sæculares negat potestatem habere immediatè datam à Deo imperandi subditis.

Sed benè habet, quòd eodem capite totidem verbis affirmet, Principes sæculares potestatem habere immediatè à Deo imperandi suis subditis, quatenus superiores. Et rationem attexit sanè bonam, eò quòd præceptum obedientiæ sit immediatè à Deo, & hoc verum est. Neque enim superior erit, si imperare nequit; nec subditus, si ad obediendum non sit obligatus. Et tamen iterum in extremo, Si Principes, inquit, sæculares potestatem immediatè non habeant à Deo in laicos, nedum in clericos: igitur in nullos. Quod antè concessit. Itanè planè, dicet aliquis? Ita certè, videte locum, & videbitis Bellarminum affirmantem & negantem idem prædicatum de eodem subiecto, & quidem respectu eiusdem, in eodem capite. Eat iam magnus iste logicus, qui aduersarios remittit ad euoluenda Aristotelis Analytica, & postquam eadem ipse relegerit, doceat nos quomodo duo contradictoria possint simul esse vera.

Principes sæculares non habent potestatem à Christo immediatè imperandi suis subditis.

Et, Principes sæculares habent potestatem à Christo immediatè imperandi suis subditis. Vtrobique loquitur non de titulo, sed de potestate. Manifesta contradictio.

Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?

Sed sæpe sibi senex infirmæ memoriæ contradicit, vt Pater Paulus, & Fulgentius, & Marsilius, & Cicestriensis hominem

miserè irretitum teneant.

Vt in Torto singulare hominis acumen elucet, cuius tota disputatio manifesta petitione principij nititur.

Nam vt probet Regium iuramentum non modò ciuilem obedientiam à Papistis, sed Catholicæ fidei abnegationem requirere, sumit controuersum pro concesso, nempe, inter omnes Catholicos conuenire, posse Pontificem maximum Reges hæreticos iure deponere, & eorum subditos ab obedientia liberare. Et hanc Catholicam doctrinam affirmat esse, non probat, quod tamen firmissimè probandum erat, si vellet iuramentum improbare.

Pag. 2.

Addit porrò, Cum Reges terræ ad Ecclesiam admittantur cum hac condicione, vt sceptra sua Christo subijciant, &c. id si nolint, ius esse ei, qui toti Ecclesiæ vice Christi in terris preest, eos à communione fidelium segregare, subditisq; interdicere ne illis pareant.

Quàm falsò, docet Cicestriensis: nunc acumen hominis obseruamus; dolemus Bellarminum mendicare palàm, idque bis vnum, quod positum est in quæstione. Quæritur inter nos, habeatne Pontifex potestatem deponendi Principis, eiusque subditos ab obedientia liberandi.

Hic Bellarminus tanquam Apollo Pythius oraculum ederet ex tripode, satis pro imperio pronuntiat, eum qui vice Christi in terris Ecclesiæ præest habere. Ait enim illum habere potestatem excommunicandi: igitur deponendi. Probat excommunicationem intrinsecam esse primatui, cum probare deberet depositionem esse intrinsecam excommunicationi. Alioqui non disputat ad idem Cardinalis. Ita statu controuersiæ vel detorto vel penitùs ignorato, totus aberrat à scopo, & nobiscum Andabatarum more confligit.

Et quia potestas abdicandi Regem per excommunicatiotionem Papæ negatur. Ideò, inquit, potestas excommunicandi omnino negatur. Non sequitur, fallacia est à secundum quid ad simpliciter. Et cū dixisset, & ad nauseam vsque repetisset, Vicarium Christi tantam potestatem habere: nullis ad eam rem argumentis, nullis probationibus vtitur. Vt credi sibi sine ratione postulet, tanquam Papæ, cui non necesse

dicit

dicit fuisse iuramentum confutare argumentis: tunc enim, inquit, imprudens Princeps haberi deberet, si iniquam actionem prohibere se non posse crederet, nisi interdicto rationes adiungeret, & librum integrum Philosophorum more conscriberet. Bellè equidem, vt videntur, excusant suum illud animal irrationale. Qui dogmata Catholicæ fidei suæ ponunt, vt mathematici postulata. Non debetis igitur, ô Reges, in causa tanta, quæ ius vestrum propriè attingit, posthac expectare rationes à Roberto Bellarmino plus quàm à Paulo Quinto. Loquitur vt Princeps, non vt Philosophus. Non promit argumenta, sed edicta. Non disputat, sed determinat in causa Pontificia contrà Regiam, & quidem contra innumerabilium Papistarum multò doctiorum honestiorumque sententiam, vt in responsione Cicestriensis apparuit. Vt multis quidem viris prudentibus videatur Bellarminus magnam doctrinæ opinionem potiùs, quàm doctrinam consequutus. Nam in illa tota disputatione satis apparet sophisma mendicum esse totius Bellarminianæ responsionis fundamentum: adeò plumbeus videtur & hebes in logicis: nec minùs rudis in grammaticis, vt constat ex ea parte, in qua de obedientia spirituali & ciuili disputat SATVRNINVS, & ipsissima Bellarmini verba promit ex Torto: Iuretur, inquit, Bellarminus, fidelitas ad Regẽ, sed ita, ne abiuretur fidelitas ad Christi vicarium.

Petitio principij basis Bellarminiani argumenti.

Loquitur incongruè in contemptũ omniũ grãmaticorũ. Sed aliud peius, quòd sentit incongruè in contemptũ Regum & Imperatorum. Non enim tam illius grammaticam taxamus, quàm Theologiam. Et hoc idcircò obitèr obseruamus, quòd alijs barbariem orationis obijciat ipse manifesti barbarismi reus, & orationem aduersarij lutulentam immeritò vocet, oblitus ipse quòd suam puluere Stygio conspersisset. Id quod hîc manifestè declarat os Bellarmini ROBERTVS SATVRNINVS, qui cum sæcularium Principum potestatẽ deiecisset, vt vnius scilicet Principis spiritualis potestatem eueheret: tum spiritualem obedientiam Christianorum ita vnius Pontificis voluntati obligauit, vt illius obtentu Principibus possit eripere, cum velit, ciuilem obedientiã subditorũ.

Sed

Sed vt errauit in origine vtriuſque poteſtatis, ſic errat in obiecto & termino vtriuſque obedientiæ.

Nos verum obedientiæ ſpiritualis obiectum ponimus Deum ipſum, terminum Dei verbum: obliquum ille, Pontificem obiectum, terminum Pontificis voluntatem.

Nos verum obedientiæ ciuilis obiectum facimus diuinam ciuilis Principis ordinationem; terminum, ſpiritualem ergà Deum obedientiam: ideò dicit Paulus, obediendum illi propter conſcientiam, non rei ipſius à Principe imperatæ, ſed authoritatis à Deo inſtitutæ.

Ille Pontificem loco Dei ponit ſpiritualem obedientiam nobis imponentem propter conſcientiam rerum ipſarum, quas ipſe mandauit: ciuilem verò pro arbitrio terminantem obſeruatione boni ordinis atque moris. Vt ciuili magiſtratui pareant ſubditi non propter conſcientiam, vt dicit Paulus, ſed propter politiam, vt dicit Bellarminus: & clerici obediant non ex ſubiectione neceſſaria, ſed ex diſcretione voluntaria: nec vi legis, ſed vi rationis, vt loquitur, teneantur.

Ita nobis ſpiritualis officij obſeruatio eſt ciuilis directio & limitatio: illi ſpiritualis obedientiæ obligatio eſt ciuilis ſolutio & relaxatio. Satin' plana eſt deceptio Bellarmini, qua ſub prætextu ſpiritualis obedientiæ ciuilem ſuſtulit? Ita præſtigiatoris more colludit, vt decipiat viſum Papiſtarum, & quidem fraude duplici. Vna, qua ſuadet, vt per ſpeciem ciuilis obedientiæ ſpiritualem ab illis abiurari falsò credant. Altera, qua per ſpeciem ſpiritualis obedientiæ ciuilem illis reuerà ſurripiat.

Vnde nouæ quidem illæ & in Theologiæ ſchola peregrinæ interpretationes Bellarmini: Ne obediatur homini contrà obedientiam Dei. Hoc eſt, ne obediatur Regi contrà obedientiam Epiſcopi. Et obediendum Deo potiùs, quàm hominibus. Hoc eſt, obediendum Papæ potiùs, quàm Regibus. Appello conſcientiam veſtram, Pontificij, hunccine fuiſſe putatis Apoſtolorum commentarium, vt quoad ſpiritualem obedientiam, quæ in fide, deuotione, amore Dei ac timore conſiſtit, homo mortalis & peccator loco Dei poneretur?

retur? Quid si Papa iubeat, quod Deus vetat, vt auferatis Cæsari, quæ sunt Cæsaris ex donó Dei, gladium, sceptrum coronam, subditos & vitam: annon hoc est per speciem spiritualis obedientiæ ciuilem obedientiam prohibere? & mandare, vt obediatur Pontifici iniusta imperanti, contrà obedientiam Dei, qui Regi vestram subiectionem obligauit? Rom 13.
Hæc verò non spiritualis obedientia, sed spiritualis impostura videri debet, qua per simulationem spiritualis obsequij, quod assumit Pontifex ex arbitrio humano, soluit vinculum ciuilis officij, quod Regi debetur ex iure diuino.

Obsecro vos, Reges & Principes Christiani, num è re vestra fore putatis, vt huiusmodi aphorismi subditorum vestrorum animis instillentur? vt talis obedientiæ catechismus non modò lateat in libris, sed in scholis etiam vestris templisque doceatur? Nullæ sunt Principibus periculosiores insidiæ, quàm quæ latent in simulatione officij, & in religionis Catholicæ nomine. Cuius obtentu rebellionem fouit Bellarminus in subditis reipublicæ Venetæ, quæ religionem Romanam profitetur: nunc fouet in subditis serenissimi magnæ Britanniæ Regis.

Tros Tyriusque illi nullo discrimine agetur.

Cauete, ô Reges, ne pestis vni intentata in cæteros omnes ingrauescat. Mali corui malum ouum SATVRNINVS, vt in probatione articuli de primatu, diuini corruptor Testamenti, sic in vsu articuli Regij hostis imperij. Habuistis igitur modò manifestum testamentarium; nunc habetis occultum perduellem.

Hîc CALANDER, Vtriusque vestrûm, inquit, alterius contra Papam, alterius pro Rege disputatio iustam mihi duo quærendi causam affert: primum, quomodo spiritualis & ciuilis potestas ex verbo Dei distinguantur, vt nec huius illa, nec hæc illius fines inuadat: alterum, spiritualem istam potestatem, quam Papa iam vniuersaliter vsurpat, prima Concilia restrinxerint necne. Quæ duo breuitèr & dilucidè discussa, lucem afferent tractationi cõsequenti, & cuiuis non litigioso plenè satisfacient.

Tum PATRIOTTA, Prudentèr tu quidem CALANDR,

inquit, ad principia reuocas omnia. Primum enim verum, & rectum eſt index falſi & obliqui.

Primùm igitur de duplicis poteſtatis diſtinctione reſpondeo, ſpiritualis & ciuilis, quarum vtramque Christus ordinauit. Spiritualem appello, quæ tantùm attingit animas, ciuilem, quæ regit corpora. Illam Chriſtus commiſit Miniſtro, hanc Magiſtratui: interdum pluribus, interdum paucis, ſæpiùs vni. Vocetur igitur illud Epiſcopale regimen, hoc Regale: vel illud ſpirituale, hoc ciuile. Vtrumque, vt dixit eſt à Deo. Spiritus ſanctus conſtituit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, Actor. 20. Et Sapientia, Per me Reges, inquit, regnant, & legum-latores iuſta decernunt. Ergo per Deum Reges regnant, vt Epiſcopi paſcunt. Illorum eſt dominatio, horum miniſtratio. At horum, inquies, eſt etiam regimen. Fateor. At horum internum in animas, illorum externum in corpora. Epiſcopi habent clauem verbi & ſacramentorum exercendam non in nomine Regis, ſed in nomine Chriſti, nec ſcientiæ modò clauem, ſed diſciplinæ, nec iuxtà ſuam, ſed iuxtà domini voluntatem. Reges habent gladium exerendum pro pietate & iuſtitia, quo vera & bona imperent, falſa & mala prohibeant, & malos cuiuſcunque vocationis puniant, bonoſque protegant. Epiſcoporum arma ſpiritualia ſunt, regum corporalia. Igitur Epiſcopi debent docere, admonere, redarguere, priuare ſigillis gratiæ, arcere à communione fidelium grauiter & publicè delinquentes, donec reſipuerint. Reges debent eoſdem pro qualitate delicti, vel libertatis, vel bonorum, vel membrorum, vel etiam vitæ amiſſione coercere. Eſt ergo regimen Epiſcopi ſuaſorium, Regis compulſorium: Epiſcopi directiuum, Regis coactiuum. Rex nolentibus præeſt, Epiſcopus volentibus. Ille timore ſubijcit, hic ſeruituti donatur. Ille corpora cuſtodit ad mortem, hic animas ſeruat ad vitam. Vterque caſtigat non ſolùm fures, homicidas, adulteros, periuros, perduelles, ſed blaſphemos, idololatras, hæreticos, ſchiſmaticos ſiue laicos, ſiue Eccleſiaſticos; ſed ille gladio corporali, hic ſpirituali. Vterque pietatis æquè ac honeſtatis curam gerit: hic præceptis vt doceat, ille legibus vt ſanciat. Vterque verſatur circà

Chryſoſt. de verbis Eſaiæ Vidi Do. homil. 4.

Bernar. de conſid. ad Eugenium.

Matth. 16.

Ro. 13.

Chryſoſt. ex Paulo, ibid.

Chryſoſt. ibid.

Hierony. ad Heliod. in epitaph. Nepotiani.

circà res ſacras, ſed non ſuprà res ſacras. Nam ſubiectæ non ſunt vel Paſtoris arbitrio, vel Regis imperio. Rex verſatur circà res ſacras & diuinas non adminiſtrandas & exequendas, ſicut Vzzias, ſed conſtituendas & ordinandas, ſicut Ezechias. Epiſcopus verſatur circà res diuinas faciendas & exequendas, vt annuntiet verbum, vt adminiſtret ſacramēta & claues. Conſilio & fidelitate Epiſcopi, imperio & authoritate Regis feruntur leges pro veritate.

Sunt qui ſtultè comparant has duas poteſtates, ſunt qui improbè committunt inter ſe, vt vna poſita deſtruat alteram, quas Deus ſapientiſſimè coniunxit, vt mutuas præſtent operas. Iam hæc ſpiritualis poteſtas, ſi Chriſtum reſpicias, eſt monarchica, ſi homines, eſt ariſtocratica, vt ex Paulo oſtendimus: ciuilis triplex, vel populi, vel optimatum, vel regia. Quā cum ornamus, cæteras non deformamus. Eph.4.

Negari non poteſt quin in ſpirituali perfectione & conſolatione Epiſcopus præcellat Regi. Deus enim non Regem conſtituit, ſed Epiſcopum ſatorem ſeminis ſui nuntium, gratiæ, œconomum myſteriorum regni: ſed in externa authoritate & potentia compellendi Rex præcellit Epiſcopo, dum mandat id quod Deus probat. Nec ita ciuile regimen præpono ſpirituali, ſed affirmo eundem Deum, qui docet ſimplices, & ducit volentes per os Miniſtri, trahere negligentes & cogere refractarios per gladium magiſtratus, quem ipſe Spiritus & Pater ſpirituum in eum finem ordinauit.

Immò verò qui ciuile regimen ſpirituali poſtponunt ſimpliciter, vt corpus animæ, carnem ſpiritui: carneam comparationem inſtituunt inter Epiſcopos & Reges, niſi Epiſcopos fingant ſine corporibus, Reges ſine animabus. Et qui inde inferunt, pium Regem non poſſe pœnā infligere impio ſacerdoti, deformant pietatem in Rege, tanquam temporalem, & impietatem exornant in ſacerdote, tanquam ſpiritualem. Et qui inde concludunt Regem Chriſtianum non poſſe res ſacras ſuis legibus promouere æquè ac Miniſter vel doctrina vel cenſura poteſt: plus tribuunt ſine cauſa tonſuræ clericali quàm chariſmati baptiſmali: & ſacerdotalem vnctionem regali perineptè quidem anteponunt. Et neſcire vi-

videntur quid illa clariſſima mundi lumina, Conſtãtinus, Iuſtinianus, Theodoſius, Valentinianus, Gratianus, Zeno, Carolus Magnus, Ludouicus filius, Lotharius nepos, alijque multi Imperatores & Reges ex Dei mandato iure imperarint Epiſcopis in cauſis eccleſiaſticis, & illis Epiſcopi iure paruerint. Vt ſuprà manifeſtum fiebat.

At Epiſcopus habet à Domino poteſtatem regendæ Eccleſiæ, vt eſt antè dictum. Ergò ſuperior Rege in regimine Eccleſiæ. Diſtinxi de regimine. Aliud eſt internum, aliud externum. Aliud internum adminiſtrare, aliud conſtituere. In adminiſtratione interni regiminis Epiſcopus præcellit Regi: in conſtitutione præcellit Rex Epiſcopo.

Superior eſt Paſtor in paſcendo, fateor. Sic fabri in ædificando, nautæ in nauigando ſuperiores Principe. Quid igitur? Num ſimpliciter ſuperiores? Stulta fallacia à ſecundùm quid ad ſimpliciter.

At actiones Epiſcopi præſtantiores operibus Regis, vt prædicatio verbi, adminiſtratio ſacramentorum, remiſſio aut retentio peccatorum. Ergo Epiſcopus Rege præſtantior.

At operatio & perfectio harum rerum pendet non ex Epiſcopi arbitrio, ſed ex Dei imperio. Duplex eſt poteſtas ſpiritualis, miniſterialis vna, imperialis altera. Miniſterialis eſt hominis, imperialis eſt Dei. Ergo harum actionum æſtimatio ſeruiat oportet gloriæ Dei, non ſuperbiæ ſacerdotis. Spirituale opus eſt Dei, corporale ſeruitium eſt Miniſtri. Homines in remiſſione peccatorum nõ exercent ius poteſtatis, ſed miniſterium ſuum exhibent. Illi precantur, Deus donat. Miniſterium ab homine, donum à cœleſti poteſtate. Ratio igitur à perfectione cœleſtium in Eccleſia gratiarum ducta, ad præferendam perſonam ſacerdotis perſonæ Principis, vitioſa eſt: quia ſubiectio debita gladio annexa eſt perſonę Principis, dignitas & virtus debita claui annexa eſt Epiſcopi non perſonæ, ſed doctrinæ.

Auguſti. contra Creſco. lib 4. cap. 6. Ambroſius.

Omnino vtrique ex lege Dei debita eſt obedientia. Nam qui dicit, Mandatum Regis obſerua, idem dicit, Obedite Prępoſitis veſtris, qui vigilant pro animabus. Sed hîc illud tenendum, Præpoſitos nõ intelligi Papas & Cardinales, qui ſua

commenta nobis obtrudunt: ſed pios ac Chriſtianos Epiſcopos & Paſtores, qui loquuti ſunt nobis verbum Dei, vt addit Apoſtolus; non enim Doctorum placitis obligamur, ſed Dei oraculis. Ergo obedientia requiſita, non eſt externa ſubiectio perſonæ ſacerdotis, ſed interna ſubmiſſio doctrinæ Chriſti, eiuſdemque approbatio & exequutio. Nam ratione perſonæ, vocantur Epiſcopi ſerui, eorumque munus, vt dixi, eſt miniſterium.

Itaque Rex maximus tenetur credere & obedire minimo Dei ſeruo Domini ſui voluntatẽ declaranti. Eam autem ſubiectionem debet Domino, non nuntio: doctrinæ, non perſonæ. Venit enim non in ſuo, ſed in Domini nomine; quod dici poteſt æquè de minimo Miniſtro, ac maximo Epiſcopo. Poteſt igitur Epiſcopus docere Regem ignarum, poteſt hæreticum redarguere, vt Propheta Iudææ Ieroboamum: poteſt impurum admonere, vt Iohannes Herodem: poteſt tyrannum increpare, vt Elias Achabum: poteſt etiam bonum, ſed grauiter & publicè delinquentem reprehendere, vt Nathan Dauidem; immò etiam ſacramento gratiæ priuare, donc reſipuerit, vt Ambroſius Theodoſium. Vtrum autem poſſit à conuerſatione fidelium ſubditorum per excommunicationem ſegregare, magna quæſtio eſt, quæ à Patribus variè diſceptata eſt. Quod qui fieri poſſe dicunt ab Epiſcopo, negant tamen ab eo poſſe Regem ſeparari ab obedientia ſubditorum, nedum abdicari à ſubditis excommunicatum, & occidi vel aperta vi, vel occulta fraude, vt quidam Pontificij iudicant. Quidam, inquam: nam honeſtiores aliter ſtatuunt, Regemque Epiſcopali committunt curæ, non ſubmittunt curiæ: eſt enim Rex ſeruus Domini, ſed Dominus Epiſcopi: vt ſuprà docui: ſubditus Epiſcopi pulpito, non conſiſtorio: vt ab eo dirigi debeat, non debeat iudicari. Datus eſt Epiſcopus, vt ſuadeat, non vt cogat, non vt inhiet coronis, ſed vt inuigilet animabus; & cum obediat ipſe Regi, tum alijs doctrinam obedientiæ præſcribat, ſicut Chriſtus, Paulus & Petrus exemplo præceptoque præierunt.

Tum CALANDER, Satis tu quidem mihi, PATRIOTTA, feciſti, in harum poteſtatum diſtinctione: nunc ſi placet,

alterum postulo de spiritualis quam Papa iam vsurpat latitudine, vtrum illam prima Concilia concesserint.

Tum PATRIOTTA, Primatum, inquit, ordinis Patres ferè concedunt Petro, & tanquam eius successori Pontifici Romano, quem nonnulli primæ sedis Episcopum appellant: primatum verò potestatis, vt dixi, vel in Reges, vel in suos coepiscopos denegant.

Quatuor aut quinq; patriarchas fuisse constat, inter quos regimen totius Ecclesiæ dispartitum est. Cæteros omnes æquales patriarchæ Romano in omnibus rebus iurisdictionis, cuius potestas cancellis quibusdam est circumscripta, quibus egredi non potest: vt ex illo celebri canone sexto Concilij Niceni maximè apparet. Quod conuocatum est authoritate Constantini Magni, anno 325. in quo 318. Episcopi conuenerunt, & viginti veros modò canones, vt Ruffinus numerat, ediderunt; quorum vera exemplaria in omnibus Ecclesijs patriarchalibus remanserunt, & in multis alijs etiamnum remanent.

Sextus canon Concilij, Romani Episcopi regimen Alexandrini Regiminis formam facit, vt suprà explicatum est. Ex quo liquet Romani regimen prouinciæ suæ finibus inclusum fuisse. Nam si in cæteras omnes prouincias excurrisset, non fuisset forma Alexandrini Regiminis, quod vna prouincia continebatur. Porrò parilem morem Romano Episcopo fuisse constat ex canone. Ergo Romano par Alexandrinus. Alioqui quomodo parilis mos esset? Nulla enim potuit esse paritas inter vniuersalem Episcopum & prouincialem.

Secundum generale Concilium fuit primum Constantinopolitannum à Theodosio seniore conuocatum anno 381. in quo 150. Episcopi conuenerunt, qui decretum illud Nicænæ synodi confirmarunt.

Tertium accessit Ephesinum primum, à Theodosio Iuniore coactum anno 431. constans ex 200. Episcopis: in quibus duobus orbis Christiani prouinciæ diuisæ sunt, & cuique patriarchæ sua prouincia assignata, & Constantinopolitanus nominatim æqualis Romano factus sine omni discrimine honoris, nisi quòd Constantinopolitanus locum haberet pri-

nium post Pontificem, & in responsionibus secundã vocem, & in subscriptionibus. Sequutum est quartum generale Concilium Chalcedonense congregatum à Valentiniano & Martiano, anno 451. quod ex 630. Episcopis constabat, qui sic canone 28. decreuerunt: Sanctorum Patrum vbique decreta sequentes, & canonem centum & quinquaginta Episcoporum agnoscentes, eadem quoque & nos decernimus, ac statuimus de priuilegijs sanctissimæ Ecclesiæ Constantinopolis nouæ Romæ. Etenim antiquæ throno, quoniam vrbs illa imperabat, iure Patres priuilegia tribuêre: & eadem consideratione moti centum quinquaginta Episcopi, sanctissimo nouæ Romæ throno æqualia priuilegia tribuêre: rectè iudicantes vrbem, quæ & imperio & senatu honorata sit, & æqualibus cum antiquissima regina Roma priuilegijs fruatur, etiam in rebus Ecclesiasticis non secus ac illam extolli, ac magni fieri, secundam post illam existentem.

At Concil. Calced. act. 3. Patres ita scribunt: Sanctissimo & beatissimo vniuersali Archiepiscopo & patriarchæ magnæ Romæ Leoni. Nota, inquit Binius, in hijs libellis vocari Leonem vniuersalem Archiepiscopum. Sed nota etiam, id quod Binius celauit, addi, Romanorum Archiepiscopo Leoni. Nota hîc authoritatem Pontificis Romani, inquit Surius. Sed fortè hæc verba è margine in textum irrepserunt, licet verissima sint; inquit Binius. Nos autem ab hisce duobus Romani Pontificis parasitis ad acta Concilij, quæ suprà posuimus, ipsa prouocamus.

Surius tom. 2. Concil. p. 111. & Bini. tom. 2. Concil. fol. 115.

At hic canon reiectus est (inquiunt) à Leone Romano Pontifice, de Constantinopolitani Episcopi priuilegijs & eminentia, eò quod supponat Romanam sedem non diuino, sed humano iure caput Ecclesiæ effectam esse, vt ait Binius, fol. 180. Vtri igitur credemus? Leoni, qui ex ambitione reiecit canonem, an Gregorio, qui totum Concilium tota deuotione veneratus est? Vt est apud Gratianum distinct. 15. cap. Sicut.

At Concilium (inquiunt) in Epistola Leonem scripsit caput vniuersalis Ecclesiæ. Quia Leo sic scribit lib. 3. Epist. 3. ad Eulogium Episcopum Alexandrinum: Vestra sanctitas nouit

uit quòd per sanctam Chalcedonensem synodum vni Pontifici sedis Apostolicæ (cui nunc Deo disponente deseruio) hoc vniuersalitatis nomen oblatum est.

Binius annot. in hanc synod. 188.

Cur igitur, inquam, nomen Oecumenici, non est præfixum epistolæ Patrum? Præfixum est, inquiunt, sed librarij alicuius dolo subtractum. Nugæ. Quasi non sit verisimilius epistolam Papæ admisisse fraudulentam additionem, quàm epistolam vniuersalis Concilij subtractionem? Sed esto, sic scripserit Leo. Vtrum æquius credere Papæ in sua causa priuatim loquenti, an sexcentis Episcopis in causa Ecclesiæ, publico Concilio contrà decernentibus? Præsertim cum Gregorius magnus disertè scribat, Neminem prędecessorum suorum titulo vniuersalis Episcopi vsum fuisse.

Porrò quintum Concilium œcumenicum, secundum Constantinopolitanum, Iustiniani imperio congregatum est anno 586. cui ducenti & octoginta Episcopi interfuerunt: qui superius decretum Chalcedonense verbatim recitantes, canone 36. renouarunt.

Ex quo perspicuum est Constantinopolim non minorem authoritatem in rebus Ecclesiasticis habuisse, quàm Romam: Romamque primatum ordinis obtinuisse, quòd sedes prima fuisset Imperij: quod tot Patres in quinque synodis congregati nunquam profectò dixissent, si primatum Petri institutione Christi fundatum fuisse iudicassent.

Quid? Num Patribus numero tam multis, pietate tam eximijs, doctrina tam illustribus, in quinque œcumenicis synodis tam primarium Catholicæ fidei dogma censemus ignotum fuisse?

Si primatus in Scriptura apertissimè fundatus, malè synodi, quæ primatum sustulerunt. Si bene synodi sustulerunt, certè primatus non est in Scriptura apertissimè fundatus. Si inuidiam illis obijcitis, quo minùs homines iustissimi rē tam apertam videre voluerint, mirabimur. Si ignorantiam, quo minùs oculatissimi videre potuerint, ridebimus. Neque aliam à vobis dari posse causam intelligimus, nisi aut cæcam inuidiam, aut inuidam cæcitatem.

O cæcum igitur & inuidum Cusanum, qui cum horum Conciliorum

ciliorum decretis acquiesceret, quicquid iuris ad Papam pertinet, id ei datum censet per Ecclesiam. O malitiosum & stupidum Marsilium Patauinum, qui nullam eum potestatem suprà Episcopos, aut Ecclesias alias, censet habere, lege vel diuina, vel humana, nisi eam quæ data est Papæ vel absolutè, vel ad tempus in Nicæno Concilio.

Concord lib. 2. cap. 13. Defensi. par. 2. cap. 18.

Si potestas hæc tota data primò Papæ per Scripturam, non igitur per Ecclesiam. Si per Ecclesiam, vt Cusanus & Marsilius dicunt, non igitur per Scripturam.

Sextum Concilium fuit Carthaginense, anno 418. in quo 217. Episcopi congregati sunt, quibus interfuit Augustinus. In quo Concilio, vt in cæteris, potestas omnium patriarcharum æquata, ius appellationis & prouocationis ab Archiepiscopo suæ diœcesis condemnatis, ad Romanum Episcopum, denegatum.

Quod tamen Cardinalis Bellarminus iure diuino licere affirmat Episcopis omnibus, etiamsi qui apud Antipodas à suæ prouinciæ synodo condemnati essent, ad Episcopi Romani tribunal prouocare. cap. vigesi. quinto de primatu Ro. sedis. Quem ego Cardinalem non in nostro orbe viuere censeo, sed apud Antipodas, qui tot viuis non modò nostris, sed & suis Doctoribus aduersa soleat figere vestigia: nisi fortè infrà Antipodas descenderit, qui tot sanctis Patribus mortuis audeat contraire.

Multas ille cum suis fraudes admittit, quibus huius Concilij authoritatem eludat. Bonifacius secundus vna quidem immanis calumniæ litura delet illius decreta omnia, planeque damnat. Nam ait Aurelium Carthaginensis Ecclesiæ olim Episcopum cum suis collegis (in quibus erat ipse Augustinus) instigante diabolo superbire temporibus prædecessorum suorum Bonifacij & Celestini contrà Romanam Ecclesiam cœpisse. Durum, dicere Augustinum cum suis collegis instigante diabolo superbire cœpisse contrà Romanam Ecclesiam, quòd tribus superbis R. Pontificibus, Sozimo, Bonifacio, Celestino in causa iusta, & omnium Ecclesiarum communi & decretis & literis restitissent.

Bonifa. 2. ad Eulalium de reconciliat. Carthag. Eccl. Concil. to. 2.

Apiarius quidam Presbyter improbus, quem propter nequitiam

quitiam ſuam miniſterij munere iure priuaſſet Vrbanus Epiſcopus, ad Sozimum Romanum Epiſcopū appellauit: qui miſit tres legatos, Fauſtinum, Philippum & Aſellum, ad Carthaginenſe Concilium, in gratiam & auxilium Apiarij: quibus inter cætera mandauit, vt ius appellationum ſuo ſuæque ſedis nomine poſtularent: ſiquis Epiſcopus vel accuſatus, vel abdicatus Romam prouocaret, poſſe Romanum Epiſcopum cauſam illam, vel per literas finitimis prouincijs dirimendam delegare, vel legatos à latere mittere, qui vice ſua ſedeant, & cum cæteris Epiſcopis totam definiant. Ad eam rem legatis ſuis titulum atque inſtrumentum ſui iuris manu ſcriptum ſua tradidit, canonem Concilij Nicæni, quo ſibi ius illud appellationum tributum eſſe contendit. Patres Carthaginenſes ſimul ac legatos audiſſent, reſponderunt, Nihil ſe vnquam huiuſmodi in canonibus Nicæni Concilij legiſſe, ſimulque legatis mandarunt, vt, ſi canonem illum haberent, Danieli ſcribæ publico traderent, palàm recitandum. Illi pro canone Nicæni Concilij exhibent caput Sardicenſis Concilij tertium, ſed mancum & mutilatum. Nam in authentico ſcriptum ita eſt:

Cōcil Carth. ſextum, cap. 3.

Dixit Oſius, Siquis Epiſcopus in aliqua cauſa condemnatus fuerit, & exiſtimet ſe non malam, ſed bonam habere cauſam, vt iterum iudicium renouetur, placet vobis vt propter charitatem honoremus memoriam Petri Apoſtoli, vt ſcribatur ab ijs, qui cauſam examinarunt, Iulio Romano Epiſcopo: & ſi iudicauerit renouandum eſſe iudicium, renouetur, & det iudices? Si autem probauerit talem cauſam eſſe, vt non refricentur ea quæ acta ſunt, quæ decreuerit confirmata erunt, ſi hoc omnibus placet? Synodus reſpondet, Placet. Concil. Sardi. cap. 3. apud Surium, Tom. 1.

At Epiſcopus Romanus verba illa decurtans Oſij, Placet vobis, vt propter charitatem honoremus Petri Apoſtoli memoriam, & ad Iulium Romanum Epiſcopum ſcribatur, ita procedit: Oſius Epiſcopus dixit, Placuit, vt ſi Epiſcopus accuſatus fuerit, & iudicauerint congregati Epiſcopi regionis ipſius, & de gradu ſuo eum deiecerint, ſi appellauerit qui deiectus eſt, & confugerit ad Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ,

&

& voluerit se audiri; si iustum putauerit vt renouetur iudicium, vel discussionis examen, scribere hijs Episcopis dignetur, qui in finitima prouincia sunt, vt ipsi diligenter inquirant, & iuxtà fidem veritatis definiant. Et siquis velit negotium suum rursus audiri, & Episcopum Romanum sua supplicatione mouerit, vt legatum à latere mittat, in sua sit potestate quod vult, & quod melius existimat.

Hic egregiam fraudem attendite, qua Romanus Episcopus Patribus Africanis imponere conatur.

Primò prætendit ipse canonem Nicænæ synodi pro iure appellationis. Legati canonem Sardicensis synodi supponunt.

At Sozimus & Bonifacius, quamuis hij canones non expressè fuerint in Nicæno Cõcilio, tamen vocarunt Nicænos canones, vt ait Bellar. quia Concilium Nicænum & Sardicense pro vno habebantur. Bell. lib. 2. de Rom. Pont. cap. 25.

Itanè pro vno? cum tempore, loco, & canonum varietate differrent? Nam, vt Baronius testis est, Nicænum anno 325. Sardicense anno 347. conuocatum est: sic vt octodecim anni inter duas synodos interessent. Nicænum in Asia, in vrbe Bithyniæ, Sardica in Thracia, confinis Illyriæ, vt idem Baronius. Quàm diuersi vtriusque Concilij canones, docet Surius. Conci. tom. primo.

Baronius aliter excusat, Sozimum & Bonifacium non allegasse canonem Concilij Sardicensis, sed tantummodò Concilij Nicæni canonem: nullam tamen in hijs de dolo malo suspicionem esse posse sed alterum de duobus contigisse, vel aliquos Nicæni Concilij canones in Sardicensi repetitos Nicæno Concilio excidisse, in Romano codice integros conseruatos fuisse: vel ab aliquo canonum collectore, quòd nomen Sardicense esset ab Arianis infamatum, in nomine Nicæni Concilij citasse. Baro. anno 347. nu. 7. & 10.

Duo fures responsionum suarum repugnantia facilè coarguuntur. Et non duos hosce senes falsarios ex responsionum differentia statim deprehendi videmus?

Iocus est videre Papas deceptos à librario, vt dicunt, qui pro Sardica Nicæam supposuit: & cum id legatorum verbis

 manife-

manifestè refellitur, qui in Concilio Carthag. synodum Sardicensem allegarunt, Suspicor, inquit Bellarminus, verba legatorum librarij culpa è margine in textum irrepsisse. Bene habet; boni viri dissidio furum, vt dicitur, bona sua recuperabunt. Iā legati dum Sardicensis Concilij canones allegāt pro Nicænis, verba quędam media, vt sibi putabant incommoda, resecant, quæ protulit Osius: Placet vobis vt propter charitatem honoremus memoriam Petri Apostoli, & ad Iulium Romanum Episcopum scribatur? Viderunt homines sapientes, si prouocationis priuilegium omninò ad Rom. Episcopum pertineret, non esse parasitum aliquem Osium apponendum qui illud precibus eblandiretur, sed cum authoritate quadā assumeret. Ideoque Gratianus in decretis eadē etiam verba simili dolo prætermisit. Pro iure suo cum alijs precariò quisquam agit, Si placet vobis omnibus?

Decret. 5. quæst 4. cap. Osius dixit.

Iam ad reliqua pergamus.

Vbi Carthaginenses Patres ad vnum omnes respondissent, se nunquam illum canonem inter Nicænos canones legisse, & habere se tamen verum exemplar, quod Cecilianus Carthaginensis Episcopus, qui Nicæno Concilio interfuit, Nicæa Carthaginem attulisset, de communi sententia decreuerunt, vt ab Episcopo Constantinopolitano, Antiocheno, Alexandrino, atque etiam ipso Romano, vera Nicæni Concilij exemplaria peterentur, si fortè in illis Canon ille reperiri posset. Neque per quinquennium re multum quæsita & deliberata inueniri quicquam potuit. Intereà vera exemplaria à Cyrillo Alexandrino, & ab Attico Constantinopolitano Episcopo venerunt, in quibus viginti tantùm canones, vt Ruffinus numerat, continebantur, exemplari Carthaginensi consentanea. De quibus ex tam diuersis, tamque longinquis in orbe locis, tamque illustribus ad suos missis exemplaribus, Augustinus cum collegis ad Bonifacium Episcop. Rom. ita scribit; Quis dubitet exemplaria esse verissima Nicænæ synodi, quæ de tam diuersis locis, & nobilibus Græcis Ecclesijs allata & comparata concordant?

Epist. Carthag. Concilij ad Bonifac. cap. 101. African. Concil. cap. 92.

Vnde statim Carthaginenses Patres decretum ediderunt, vt presbyteri si de Diœcesanorum suorum iudicijs quererentur,

tur, ab Episcopis finitimis audirentur. Quòd si & ab ijs prouocandum putauerint, non prouocent nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates prouinciarum suarum. Ad transmarina autem qui putauerit appellandum, à nullo intra Africam ad communionem suscipiatur.

Hic qui modò in Chalcedonensis Concilij decretum, affirmationem pro negatione furtìm intulerunt, exceptionem Africani Concilij decreto à totius decreti scopo penitùs alienam addiderunt: Nisi fortè Romanam sedem appellauerint. Concilium ex composito Romanam sedem excepit, cum nominatim conclusit, Nemini licere ad Romanum Pontificem prouocare. Vt Bellarminus ipse cæteroquî corruptor egregius, Gratiani corruptoris exceptionem illam minimè probarit, Nisi fortè Romanam sedem appellauerint. Nam hæc, inquit, exceptio non videtur quadrare. Nam præcipuè propter Romanam Ecclesiam Africani statuerant, vt non liceret appellare vltrà mare. Bellarm. de Roman. Pontif. lib. 2. cap. 24.

Decreto literas addiderunt, quas ad Celestinum Romanum Episcopum miserunt. Petimus, inquiunt, ne deinceps ad vestras aures eos, qui hinc veniunt, facilè admittatis, nec qui à nobis excommunicati fuerint, in communionem deinceps recipere velitis. Nam hoc quoque in Nicæna synodo definitum vestra Beatitudo facilè inueniet. Si enim etiam de inferioribus clericis & laicis illud seruandum videtur, hoc vult multò magis etiã de Episcopis seruari. Ne ergo qui in propria prouincia à communione suspensi sunt, à tua Sanctitate dedita opera, & vt non oportet, communioni restituti videantur. Presbyterorum autem similitèr & consequentium clericorum impudentes fugas, vt te dignum est, persequitur tua Sanctitas. Nam neque vllum Patrum decretum hoc Africanæ Ecclesiæ est prohibitum. Et Nicænæ synodi statuta, siue clericos inferioris gradus, siue ipsos Episcopos, proprijs Metropolitanis apertissimè commiserunt. Sapientèr enim & iustè perspexerunt, quæcunque fuerint exorta negotia, ea in proprijs locis terminari debere. Neque enim vnicuique prouinciæ sancti Spiritus gratiam deesse putarunt, per quam

iustitia à sacerdotibus & videtur prudenter, & stabiliter tenetur: maximè quòd vnicuique concessum est, si ei videatur, de Iudicum sententia ad synodos propriæ prouinciæ, vel prætereà etiam ad vniuersalem synodum appellare; nisi vbique est aliquis qui credat, vni cuipiam, quiscunque is sit, posse Deum nostrum iudicij iustitiam inspirare, innumerabilibus autem sacerdotibus in synodum congregatis denegare. Quomodo ergo firmum erit hoc transmarinum iudicium, ad quod testium necessariæ personæ, vel propter naturæ, vel propter senij imbecillitatem, vel propter nonnulla alia impedimenta deduci non possunt? Nam quod per Faustinum tanquam ex parte Nicænæ synodi istius missum fuerat, in verioribus descriptionibus Nicænæ synodi nihil eiusmodi inuenire potuimus. Itaque ne velitis permittere, vt fumosum mundi fastum in Christi Ecclesiam inducere videamur. Hæc Patres Carthaginenses ad Celestinum Romanum Episcopum publicè scripserunt, quibus appellationes ad Romanum Episcopum, quas Sozimus ex falsis Nicænæ synodi decretis vendicabat, ex veris, & authenticis refutarunt. Nam Nicænæ, inquiunt, synodi statuta, siue clericos, siue ipsos Episcopos proprijs Metropolitanis apertissimè commiserunt. Vetuerunt igitur, vt ne qui à nobis excommunicati sunt, à Romanis in communionem recipiantur. Vt est, inquiunt, in Nicæna synodo definitum. Legatos à latere Africani, vt nouas & veteri ignotos Ecclesiæ creaturas, reiecerunt: fugas ad Romanam Ecclesiam impudentes vocarunt: missionem legatorum à latere fumosum sæculi fastum iudicarunt. Neque decretum synodi nudum, sed grauissimis sanè rationibus communitum proposuerunt.

Vna est, quòd si Pontifici Romano tanta authoritas tribueretur, non modò rectè iudicandi prudentia, sed Spiritus sancti gratia ei soli tributa, cæteris autem etiam in synodo congregatis denegata omnibus videretur.

Secunda, quòd cum satis sit bis appellare, facultatem dedit synodus volentibus appellare à sententia sui Episcopi, primò ad synodum prouincialam, deinde ab ea ad synodum vniuersalem prouocandi.

Tertia

Tertia, quòd cum in iudicijs rescindendis præsentia testium requiratur, iniquam sanè legem statuunt Rom. Pontifices Christianis, è regionibus transmarinis tamque longinquis Romam necessariò veniendi: præsertim aut senio, aut valetudine, aut alijs etiam causis, quæ quidem innumerabiles esse possunt, impeditis.

Quarta, quòd ista appellandi consuetudine, cæterorum omnium Episcoporum authoritate minuenda, & in vnum transferenda, fumosus mundi fastus in Ecclesiã induceretur.

Hijs vsi rationibus Carthaginensis Patres illam iniustam Episcopi Romani petitionem reiecerunt, & veris ac genuinis exemplaribus à Cyrillo & Attico missis falsos & suppositi tios canones detexerunt. Ita vicit prudentia fraudem, modestia fastum. Nam Apiarium Patres denuò condemnarunt, & in Apiario Sozimum, Bonifacium, Celestinum: id est, in vno nequissimo perfuga tres vaferrimos falsatores.

Hic SATVRNINVS iratior, Sunt, inquit, ista sanè quæ vestri ex Cathaginensibus Patribus plerumque nostris objjciunt. Sed boni Patres ignorantia, vestri malitia peccãt.

Patres ignorantia duplici: vna, quòd crederẽt viginti modò veros esse canones Concilij Nicæni, cum essent septuaginta, quorum quinquaginta cremati ab Arrianis intercidissent, in quibus vt alia multa, sic ius illud appellationis, quod Romani Pontifices vendicabant, continebatur. Altera, quòd non distinguerent inter duas synodos Sardicenses, vt patet ex Sozomeno, quarũ vna fuit catholica & generalis 300 Episcoporum, quam Augustinus non vidit: altera verò hæretica lxxxvj Episcoporum, quam vidit Augustinus.

Sozome. lib. 3. cap. 10.

Iam præter illos viginti canones, quos Ruffinus numerat, alios fuisse canones quinquaginta, apparet ex epistola quadam Athanasij & Ægyptiorum ad Marcum Romanum Episcopum, à quo verum exemplar septuaginta canonum postularunt, postquam Arriani authenticum exemplar cremauissent, quod Athanasius Nicæa attulisset.

Episto. Ægyptiorum ad Marcum pro exemplari Concil. Nicæni, tomo Concili. 1.

Extat rescriptum Iulij Episcopi Romani contrà Orientales pro Athanasio, in quo præter illos viginti canones alij viginti septem repetuntur: quorum sex Papalem authoritatem

tatem clariùs demonstrant, quàm ille canon, quem Sozimus adduxit.

Porrò multi sunt alij canones Concilij Nicæni præter illos viginti, quos Ruffinus numerat.

Euseb. de vita Constan. cap. 3. Vnus, quo decreuit, vt Pascha die Dominico celebretur, vt patet ex epistola Constantini apud Euseb. Alter, quo

Ambro. epist. 82. decreuit, ne bigamus in clerum asciscatur, vt docet Ambrosius.

Hiero. præfa in Iudith. Tertius, quo liber Iudith in canonicos admittitur, vt testatur Hieronymus.

August. epist. 110. Quartus, quo vetatur, ne duo Episcopi simul sedeant in eadem Ecclesia, vt asserit Augustinus.

Quintus, quo decreuit, non licere nisi ieiunis offerre Eucharistiam. Vt Patres Africani testantur.

Denique doctores hæretici, vt Lutherus, Caluinus, & Centuriatores ex Socratis lib. 1. cap. 8. canonem allegant ex Concilio Nicæno, quo dicunt coniuges permissas sacerdotibus. At nulli horum canonum in illis viginti, quos solùm numerant, reperiuntur.

Ergo si Sozimus corruptor & falsator canonum Nicænorum dicitur, quia citauit nomine Nicæni Concilij vnum canonem, qui non inuenitur in illis viginti canonibus: eadem ratione corruptores & falsatores dicendi sunt Constantinus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Africani Patres, Centuriatores, Lutherus & Caluinus: omnes enim isti citant canones ex Nicæno Concilio, qui non numerantur inter illos viginti canones.

Postremò in Concilio Florentino, sessione viges. Iohannes quidam vir doctissimus asserit, se multis Veterum testimonijs posse ostendere, Concilij 6. Carthaginensis Patres tandem agnouisse corruptos & falsos canones Nicæni Concilij ad se ex Alexandria & Constantinopoli missos fuisse.

Tum PATRIOTTA, Qui te dignum, inquit, galero neget, SATVRNINE, qui, pro triplici corona tam gnauitèr mentiare, iniuriam tibi magnam facit.

Ignorantiam Carthaginensibus Patribus, inter quos fuit Augustinus, impudēter obijcis ex Bellarmino: malitiā, nostris.

Cum

Cum viderent Pontificij Sozimum suum in manifesto mēdacio deprehensum, fabulam istam excogitarunt de septuaginta canonibus Nicænæ synodi. Ad eam rem epistolam confinxerunt tanquā ab Athanasio missam, & Ægyptijs quibusdam Episcopis ad Marcum Pontificem; in quo queruntur scilicet ab Arrianis Alexandriæ vera exemplaria esse combusta, ideoque verum ab illo septuaginta canonum exemplar petunt. Et vt mendacium ferè mendacium parit, rescriptum Marci Athanasio & Ægyptijs procuderunt, datum decimo calendas Nouembris, Nepotiano & Secundo consulibus: qui dies fuit propè finem anni trigesimi regni Constantini: vt videre licet Sozomeni lib. 1. cap. 25. & 28. Quo quidem anno toto scribit Athanasiū abfuisse ab Ægypto in Cōcilio Tyri, nec redijsse domum, sed Constantinopolim fugisse, vbi remansit, donec est in Galliam relegatus.

Quomodo igitur potuit Athanasius hanc Epistolam ad Marcum ex AEgypto mittere, vbi non fuit cum Epistola mitteretur?

Deinde in epistola Marci mentio fit persequutionis in Ægypto, quæ nulla fuit sub Constantino, sed multò post sub Constantio, mortuo Marco.

Scitè ridet Cicero hominē, qui dixit sese meminisse quid actum fuerit ante se natum. Quis non rideat Marcum vestrum persequutionis in Ægypto recordantem exortæ post se mortuum. Tuscul. 1.

Iam Marcus præcessit Iulium, Iulius autem fuit Pontifex Romanus, cum Nicænum Concilium cogeretur, vt scribunt Sozomenus & Beda. Ergo tuus Athanasius, qui scripsisse dicitur ad Marcum, scribit, Nicænos canones fuisse crematos priùs, quàm condebantur. Sozom. lib. 1. cap. 17. & Bedæ distinctı. 16.

Viginti porrò canones cum essent posteà conditi, vbique seruati sunt incorrupti in publicis Ecclesiarum atque authenticis monumentis, quibus & Nicænæ fidei symbolum continetur, & hæresis Arriana conuellitur: cæteri quinquaginta Arrianorum malitia subitò perijsse dicuntur.

O stultos Arrianos, qui quinquaginta canones erascrint, qui nullam hæresis Arrianæ partem tetigerunt: Nicæno sym-

bolo,& epiſtolæ ad Alexandrinos miſſæ pepercerint,quæ totam illam hæreſim condemnarunt.

Oration.pro Flacco.

Lepidè iocatur Orator in teſtes quoſdam Doryleníes, qui in Flaccum producti, cum nihil aliud amiſiſſent, tabulas ſe publicas perdidiſſe dixerunt. O Paſtores, inquit ille, cupidos literarum: ſiquidem nihil iſtis, præter litteras, abſtulerunt. Si veras protuliſſent, criminis nihil erat: ſi falſas, erat pœna corruptarum literarum. Belliſſimum putarunt, dicere amiſſas.

Paulũ abſimiles ſunt iſti Pontificij teſtes, qui fingunt Arrianos è Nicæna ſynodo quinquaginta canones abſtuliſſe, qui nihil illis incommodarint: viginti cæteros illæſos atque integros, quibus damnati fuerant, reliquiſſe. Si veros Pontificij canones proferunt, lædunt cauſam ſuam: ſi falſos, lædunt famam. Tutiſſimum putant, quinquaginta dicere exuſtos: & quidem ab illis, qui nihil ex fraude ſua commodi percipere potuerunt.

Sed ſi tam ſtulti Arriani, certè Romani ſapientiores eſſe debebãt, quàm vt finerent viginti canones apud ſe remanere, qui primatum coarctarunt: quinquaginta perire, qui dilatarunt.

Sed adeò nullam videmus veriſimilitudinem in fabula, vt illam ipſe Bellarminus exploſerit. Nam illam incenſionem librorum ſcribit accidiſſe tempore Conſtantij Imperatoris, quando Athanaſio expulſo Georgius quidam Arrianus in eius locum ordinatus eſt, vt ipſe Athanaſius teſtatur in epiſtola ad omnes Orthodoxos: Conſtat autem, inquit, ex Chronico Hieronymi, Marcum Papam eo tempore fuiſſe defunctum. Ergo Marcus defunctus accepit epiſtolã ab Athanaſio. Ergo defunctus reſcripſit ad Athanaſium, ſi credimus Bellarmino.

Ludus eſt videre, quomodo mendaces iſti Pontificij fabulam hanc mutuis contradictionibus detegant.

At epiſtolam Marci reſcriptum Iulij confirmat, quo mentio fit viginti ſeptem canonum Nicænorum, præter eos viginti, qui à Ruffino numerantur.

Hîc verò fictitium Iulium habemus non mentientem modò

primatus

primatus gratia, verumetiam peierantem. Quanquam qui mentiri solet, vt ait ille, peierare consueuit. Non modò falsos fingit canones, sed iuramento sancit: Verum me dixisse testis est Diuinitas, vt ait in rescripto suo commentitio. Verum enim veri Iulij rescriptum missum ad synodum Antiochenam in causa Athanasij, ab Athanasio in secunda apologia positum, si tum isto comparetur, omnes circumstantias huius mendacij periurijque conuincet. Non longè abibo: cœcum & spurium hoc Decretale se ipsum planè redarguit.

Datum est enim primo Nouembris, vt ascribitur, Feliciano eiusq; collega consulibus: eodem ipso anno quo Constantinus est mortuus, Socrates lib. 1. cap. 40.

Iam Synodus Antiochena, quæ deposuit Athanasium, & ad quam Iulius scripsit, coacta est à Constantio quinque annis post mortem Constantini. Ita rescriptum hoc missum est ad Antiochenam synodum quinque annis anteà quàm synodus cogebatur. Non oculis cernis, non digitis attrectas tam crassum mendacium?

Sozom. lib. 3. cap. 5. Apolog. Atha. 2.

Porrò Iulius in rescripto Athanasium scribit secum mansisse Romæ integrum annum & dimidium, Antiochenorum præsentiam expectantem, postquam eos priore rescripto citasset; cui dies est ascriptus calend. Octobris, vt posteriori calendæ Nouembris eiusdem anni.

Ita inter duas Decretales intererant triginta dies & vnus. Quo temporis spacio Roma Antiochiam vt irent, & redirent cum responso, pegasos oportuit esse Papæ apparitores: quibus non equitandum fuit, sed volandum.

Sed si sex Iulij canones Papalem prærogatiuam clariùs demonstrarunt, quàm vnus canon Sozimi: certè sapientem Sozimum facis, qui deteriorem, & vnum elegerit, cum sex multò meliores afferre potuisset.

Nam quòd multos alios Nicænæ synodi canones, vt vocas, præter illos viginti, à magnis Authoribus commemoratos adducis: respondeant tibi Iesuitæ vestri, qui decreta synodi Nicænæ in duo genera distinguunt. Primum genus diatyposes vocant, id est, Constitutiones, vt ipsi interpretantur,

tantur: alterum ὅρυς nominant, id eſt, propriè canones, vt illi nobiſcum confitentur. Conſtitutionum, ſiue actorum numerum, vt fatentur, ignorant; canonum propriè vocatorum, numerum à Ruffino definitum eſſe concedunt. Ad primum genus referunt ferè hoſce tuos impropriè dictos canones, quorum aliquos in actis ſynodi Nicænæ eſſe affirmant, in canonibus negant. Vt diſertè Turrian. in procemio in can. Nicæn. apud Binium part. 1. pag. 169. De conſtitutionibus autem hiſce, quas vrges, ſingillatim alius proprius dabitur dicendi locus.

Hìc conſiſto, hìc habito, hìc hæreo contra omnes veſtrorum hominum corruptelas & impoſturas, vbi me pedem figere docuit Auguſtinus: Quis dubitet, inquit, exemplaria eſſe veriſſima Nicænæ ſynodi, quæ de tam diuerſis locis, & de tam nobilibus Græcis Eccleſijs adlata & comparata concordant? Credo Cyrillo Epiſcopo Alexandrino ſic reſcribenti ad Patres Carthaginenſes.

Sur. tom. 1. reſcript. Cyrill. Alexand. pag 586. Neceſſe habui fideliſſima exemplaria ex authentica Synodo in Nicæa Bithyniæ habita, veſtræ Charitati dirigere.

Epiſt. Attic. Epiſc. Conſt. ibid. fol. 190. Audio Atticum Epiſcopum Conſtantinopolitanum ſic reſcribentem: Sicut ſtatuta ſunt in Nicęa ciuitate à Patribus canones, in integro, ſicut iuſſiſtis, direxi.

Non debeo, non poſſum non aſſentiri ducentis & ſeptemdecim Patribus in Africano Concilio congregatis, quibus ſubſcripſit Auguſtinus.

Quiſquamnè ſanus ſuppoſititia quædam falſi Marci neſcio cuius, & Iulij reſcripta in tenebris, & in angulo procuſa, inter ſeque pugnantia, veris & indubitatis Nicæni Concilij canonibus, non ſolùm in Carthaginenſi, ſed in Alexandrino, Conſtantinopolitano, & Romano Archiuo conſeruatis, luce & palàm exſcriptis, & inter ſe concordantibus anteponat? aut tres ſuſpectos, vel cōuictos potiùs, in ſua cauſa teſtes priuatos audiat, priuſquam pluſquam ducentos in communi cauſa integerrimos & religioſiſſimos teſtes in Concilio congregatos? & illos quidem faſtum Eccleſiæ ſuæ ſine omni ratione pernicioſum inducentes, hos verò faſtum illum grauiſ-

ſimis

ſimis ſanè ſanctiſſimiſque rationibus, quantum poterant, coercentes?

At in ſcenam à Bellarmino ridicula perſona Iohannis cuiuſdam inducitur, ſine cognomine, quem virum doctiſſimum appellat, qui aſſerit in Concilio Florentino, ſcilicet poſſe ſe multis Veterum teſtimonijs oſtendere. Quid autem iſte Iohannes quidam aſſerit? Patres Carthaginenſes tandem agnouiſſe falſos & corruptos ad ſe Nicæni Concilij canones ex Alexandria & Conſtantinopoli miſſos fuiſſe. Palinodiam credo cecinere Patres Carthaginenſes, & quod in ſynodo publicè decreuerunt, id priuatim retractarunt. Quis aſſerit? Iohannnes quidam. Quis ei dixit? Nemo. Tantùm poſſe ſe dicit oſtendere ex multis Veterum teſtimonijs. Quin igitur oſtendit? Ergo quod pecus quoddam ignotum poſſe ſe dicit oſtendere, nec oſtendit, id nos quaſi legitimum palinodiæ à tam illuſtri prudentique Concilio factæ teſtimonium audiemus? Et quia Robertus quidam tam obſcuram in extremo perſonam induxit, & virum doctiſſimum appellat, idcirco nos illum vt idoneum & grauem teſtem contrà tot reuerendiſſ. Patres Carthaginenſes admittemus? Quibus iſte omnibus obijcere audet ignorantiam, nec in eo videt prodere ſeſe ſuam arrogantiam. Iohanni cuidam doctrinam aſpergit, inſcitiam Auguſtino, ſcilicet hic & fumum ex fulgore, & ex fumo dare lucem cogitat: hæres Mineruæ, qui ſecum natam, ſecumque morituram ſcientiam ſomniat. Nam alioqui nunquam obieciſſet ignorantiam Auguſtino, cęteriſque Carthaginenſibus Patribus, quaſi diſtinguere neſciſſent inter duas ſynodos Sardicenſes, cum ipſe maiorem proderet imperitiam, qui Nicænam & Sardicenſem confudiſſet.

Sed vt eò iam, vnde aduerſarium ſequuti neceſſariò digreſſi ſumus, reuertamur, tibique, CALANDER, primitiuæ Eccleſiæ de primatu iudicium breuiter colligamus: vides Pontifici Romano primatum ordinis & gradus conceſſum à multis, primatum verò poteſtatis & iuriſdictionis à ſex Concilijs denegatum. Non ignoro quid Victor ante Concilium Nicænum affectarit: quid poſt arrogarit Leo. Sicut duos filios Zebedæi legimus, alterum cupiſſe Chriſti dextræ, alte-

rum sinistræ assidere. Sed appetitus gloriæ non infert articulum fidei. Itaque Patres Ecclesiæ primitiuæ, nequis vnus se suprà cæteros efferret, quantum poterant, prouidebant: Nicæni Romano non minus quàm Alexandrino suam prouinciam assignabant, extrà quam egredi non posset: Constantinopolitani, Ephesini, Chalcedonenses, Romanæ sedi Constantinopolitanam exæquabant: Carthaginenses Romano ius appellationis ab Africanis synodis denegabant. Quos tam doctos sanctosque Patres non est credibile in sex Concilijs congregatos, eam Romano Episcopo iurisdictonem eripere voluisse, quam Scriptura tribuisset. Sed exorti sunt alij qui plus viderunt, & Scripturam meliùs intellexerunt, quàm duo millia Patrum, qui in sex illis Concilijs conuenerant. Nunc possunt cœleste Diploma nobis ostendere multis locis, quibus Deus Petro, Petrique successori, vt præsumunt, Pontifici Romano, vniuersalem principatum delegauit. Tibi dabo claues, & quodcunque ligaueris, &c. & Pasce oues meas: & Tu es Petrus, & super hanc petram, cæteraque generis eiusdem.

Patres autem illi, quamuis acerrimis oculis omnia Scripturæ sanctæ mysteria diligentissimè perscrutari solerent, tamen nec clauem Petro maiorem melioremuè, quàm cæteris Apostolis datam videre potuerunt: nec linguam igneam cæteris ampliorem aut illustriorum capiti Petri, quasi Principis, insidentem: neque ex duodecim columnis vnam cæteris omnibus firmiorem aut stabiliorem esse positam, sed omnes inter se æquales & pares: nec Petrum vnum omnium Apostolorum Pastorem constitutum, nedum Principem, efferentem sese suprà cæteros Apostolos, suprà Imperatorem, suprà Concilium. Itaque primo Hierosolymitano Concilio non
Act. 15. Petrus præfuit, sed Iacobus. Et Petrus à cæteris Apostolis
Act. 8. cum Iohanne missus in Samariam, obediuit. Non mittitur autem superior ab inferiore, sed contrà. Sequitur igitur Petrum non fuisse superiorem cæteris, sed parem. Immò verò toto Concilio inferiorem. Cui proper Cornelium Centurionem, ad quem profectus erat, accusatus facti sui rationem reddidit, in quo quidem se inferiorem Concilio confessus

est.

est. Quod non Petri mandato, sed communi omnium Apostolorum consensu celebratum est: multa in eo de Christianismi summa, id est, de iustificatione & salute electorum per gratiã Christi disceptatio prius, quàm Petrus sententiam suam non sedens, sed assurgens, modestè & placidè proferebat. Post eum Iacobus non modò sententiam dixit, sed decretum ipsum, quod totus Apostolorum & Presbyterorum consessus sequitur, pronuntiauit & dictauit. Visum deinde est non vni Petro, sed Apostolis & Presbyteris cum tota Ecclesia, lectos ex se viros Antiochiam mittere cum Apostolo Paulo & Barnaba: neque Epistola synodalis nomen Petri, sed omnium Apostolorum & Presbyterorum & fratrum præferebat. Quòd si Petrus à Christo primatum iurisdictionis accepisset, iniuriam Petro cæteri Apostoli fecissent, quòd non sint passi Petrum præsidere Concilio, quòd Petrum, vt inferiorem, in Samariam miserint; quòd à Petro facti rationem acceperunt, quòd Petri mandato non conuenerunt, quòd non siuerint Petrum suprà alios sedere, decretum proponere, legatos suo nomine mittere, Epistolam synodalem suo nomine consignare. Sed Apostoli Petro iniuriam non fecerunt. Sequitur igitur Petrum à Christo nullum primatum iurisdictionis accepisse: sed reliquis Apostolis æqualem, toto autem Concilio inferiorem fuisse.

Duplex Petro dominiũ Pontificij tribuunt. Faciunt enim eum Dominum & spiritualium & temporalium. Malè igitur Paulus Apostolus, quod cum reuerentia dictum velim, qui se Petro exæquarit, seque nulla re Petro inferiorem prædicarit, immò verò etiam cum esset in culpa, grauiter illum in os, quasi parem & collegam, & publicè reprehenderit. Nam Euangelium, inquit, mihi apud gentes concreditum est, sicut Petro apud Iudæos. Nam qui efficax fuit per Petrum in Apostolatu Iudæorum, idem per me fuit efficax ergà gentes. Cumque Iacobus, Cephas, & Iohannes, qui videbantur esse columnæ, gratiam mihi datam cognouissent, tum mihi & Barnabæ societatis dexteras dederunt. Vide, Cephas socium agnoscit Paulum, non habet subditum. Nec dominij apicem assumpsit, sed societatis dexteram præbuit: quod à Petro

2. Galat.

tro factum non solùm humilitate animi, sed muneris æqualitate. Et à Paulo scriptum absit vt putemus animi superbia, sed rei veritate. Absit igitur vt Petrum Pauli dominum arbitremur. Quòd si Christus Petrum vniuersalem Episcopum & principem præfecisset Ecclesiæ, quomodo Petrus & Paulus ausi fuissent decimooctauo demum post Christi passionem anno pacisci inter se, vt Petrus Apostolatum ergà Judæos, Paulus ergà gentes, non tantummodò sed potissimùm exerceret? Vnde Paulus à Veteribus non minùs princeps Apostolorum dicitur esse, quàm Petrus. Par autem in parem non habet imperium.

Neque verò Petrus ipse dominari voluit in clerum, ne plus sibi assumpsisse, quàm alijs permisisse existimaretur: sed se cæteris Presbyteris exæquauit, cum se non Archipresbyterum, sed compresbyterum appellauit, 1. Petr. 5. Nedum gladium & ciuile dominium vsurpauit, & sibi Cæsarem subiectum iudicauit: sed se cum alijs Christianis omnibus admonuit, vt Cæsari tanquam præcellenti, & cæteris magistratibus tanquam ab eo missis sese subijcerent: nec vnquam ciuile dominium exercuit. Non igitur habuit. Non est enim facultas, quæ nunquam educitur in actum. Non igitur Petrus plus suprà Reges, quàm suprà Apostolos.

Immò ne Christus quidem ipse, vt homo, suprà Imperatorem. Vt Deus, est Rex Regum, & Dominus dominantium. Vt homo, non Tiberio solùm, sed Pilato Tiberij in Iudæa procuratori se subiecit, Non haberes, inquiens, in me potestatem, nisi tibi data esset desuper. Porrò regnum suum ait non esse de hoc mundo, cum interrogaretur à Pilato quod tandem regnum vendicaret. Ex quo constat, Christi non temporale, sed spirituale regnum habendum, vt ex ijs verbis colligit Augustinus: Animaduertite igitur, inquit, ô Reges, nec inuidete: (Christus) est Rex, sed longè aliter quàm vos estis, qui dixit, Regnũ meũ non est de hoc mundo. Ne timete igitur, ne vobis eripiatur regnum huius mundi: aliud vobis dabitur, idque cœleste, cuius ille Rex est. Ergo Christo regnum temporale non fuit: Petro fuit? Quid est hoc aliud, quàm seruum Domino, legatum legante maiorem facere? Et si

August. in Psal. 47.

ſi nec Chriſto, nec Petro fuit: Papæ ſuppoſititio Chriſti vicario, & fictitio Petri ſucceſſori, non modò regnum temporale, ſed omnium regnorum temporalium ſummum dominium datum eſſe iudicatis? Vah ſtultam ſuperbiam, vah ſolennem vanitatem. Quam Chriſtus multis locis in Apoſtolis vellicauit; Cum diceret, Reges gentium dominantur eis, vos autem non ſic. Et Sicut miſit me Pater, ſic & ego mitto vos. Et Regnũ meum non eſt de hoc mundo. Et tamen Bellarminus auſus eſt ſcribere ſummo Pontifici datam ſupremam temporalem poteſtatem: quam Chriſtus ipſe, vt fatetur, non exercuit. Chriſtus ait, Reges gentium dominantur eis, vos autem non ſic. Bellarminus contrà, Vos autem ſic. Chriſtus, Sicut miſit me Pater, ſic & ego mitto vos. Bellarminus contrà: Non ſicut miſit me Pater, ſic & ego mitto vos: miſit me Pater in humilitate, & ignominia; ſed ego mitto vos in gloria & maieſtate. Chriſtus, Regnum meum non eſt de hoc mũdo. Bellarminus contrà, Immò eſt de hoc mundo & totius mundi: ſic ſolet manifeſtò Cardinalis Chriſto contradicere.

At quamuis Chriſtus vt homo, non exercuit temporalem poteſtatem, potuiſſet tamen ſi voluiſſet, inquit Bellarminus, Non autem hîc quæritur quid Chriſtus facere potuerit, ſed quid fecerit. Nec fundanda authoritas Petri in eo quod potuerit facere Chriſtus, ſed quod reuerà fecerit. Potuiſſet Chriſtus, ſi voluiſſet, in inſtanti totum mundum condere, ſed noluit. Noluiſſe Scriptura teſtis eſt, qua ſex ſibi dies ad hoc opus producendum ſumpſiſſe memoratur. Potuiſſet, ſi voluiſſet, vna ſanguinis guttula ſine morte ſua mundũ redimere, ſed noluit. Noluiſſe teſtis eſt illa Scriptura, qua mori pro nobis illum oportuiſſe perhibetur. Ita potuiſſet, ſi voluiſſet, vt homo, temporalium dominium exercere, ſed noluit. Noluiſſe ipſa teſtis eſt veritas, quæ dixit, Regnum meum non eſt de hoc mundo. A poſſibili igitur ad factum non valet argumentum in Chriſto, nedum in Petro. O ſuauem inſaniam Bellarmini, qua ſummã temporalem poteſtatem in poſſibilitate, tanquam in nube pendulam, ſuo Pontifici datam ſomniat.

At rationem hominis attendite: Deus Chriſtum conſti-

tuit hæredem vniuersorum. Ergo si voluisset, potuisset Christus Tiberium de solio suo, Pilatum de tribunali suo deijcere. Erat enim hæres vniuersorum. Potuisset etiam Petrus, si voluisset, Neroni sceptrum suum extorquere de manibus. Erat enim hæres Christi. Et potest iam Papa, si velit, cuiusuis non solùm hæretici, sed etiam Catholici Regis, si malus esse cœperit, diadema de capite deturbare. Est enim hæres Petri. Huc enim redeunt omnia denique, vt à Christo ad Petrum, à Petro ad Papam temporale totius mundi dominium deuoluatur. Vt Papa potestatem & habeat & exerceat in Reges scilicet, quam Christus habuit, sed nō exercuit, exercere verò potuisset. Apagè tam ineptas argutias, quæ tam perniciosas inferunt consequentias. Quòd si non modò Augustinum, sed Maldonatum suum consulere voluisset, potuisset intelligere locum illum de spirituali, non temporali hæreditate mundi, Christo à Patre concessa interpretandū. Quid enim? qui priuatæ hæreditatis herciscundæ iudicium recusauit, is publicam totius mundi hæreditatem assumeret? Et qui se Pilati potestati, datæ desuper, libens subiecit vsque ad mortem crucis, is se temporalem Tiberij, mundique Dominum demonstrauit?

At non erat (inquit Bellarminus) potestas Pilati ordinata, sed permissa. Et hic est loci sensus, Pilatum nihil potuisse facere aduersus Christum, si Deus id non permisisset. Quomodo etiam locus ille intelligitur, Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum, 22. Lucæ. Verùm quia D. Thomas, inquit, in cap. 13. ad Romanos, locum intelligit de potestate ordinaria, non dissentimus: sed quòd hæc potestas ad Christum se extenderit, factum id putamus ex ignorantia Pilati, qui Christi dignitatem nesciens, eum ceu priuatum Patris ciuem iudicabat. Quemadmodum si hoc tempore clericus sub nomine & habitu laici sisteretur Iudici sæculari, posset ea potestate iudicari qua laicus ex ignorantia iudicis, non tamen ideò sequitur clericos de iure subiectos esse iudicio laicorum, vel Christum subiectum fuisse iudicio Pilati. Hæc Bellarminus.

At Christus potestatem Pilati dixit, non permissam, sed datam

datam desuper. Potestas permissa erat illa potestas tenebrarum, qua Deus permisit, vt Iudæi Dominum gloriæ occiderent, in eoque grauissimè peccarent. Ideò dicitur potestas tenebrarum, non data desuper, vt Pilati iudicis, quam Augustinus non vsurpatam, sed iniquam esse dicebat. Quem locum, inquit, à diuo Thoma exponi de potestate legitima cum audiam, non repugno. Bene habet, quod malè affirmasti, honestè negas doctus à Thom. Loquitur homo iste tanquam è lintre, nunc in hanc, nunc in illam partem inclinat: nec alijs magis, quàm sibi ipse contradicit interdum. Sed videte quam versando sese in partes omnes elabendi rimam inuenerit. Quòd Pilatus hanc suam potestatem extenderit contrà Christum, id factum est, inquit, ex ignorantia Pilati, quia Christi dignitatem nesciebat: vt si clericus sub habitu laici sisteretur iudici sæculari, posset ex ignorantia iudicis iudicari vt laicus, quod tamen ius non infert, &c.

Quod ille tribuit ignorantiæ Pilati, Augustinus tribuit timori, ne offenderet Cæsarem, si Christum dimisisset. Sed hoc potest assignari eius ignorantiæ, quòd petat principium. Id enim sumit, quod est in quæstione, nempe clericum non posse iure iudicari à iudice sęculari, quamuis ex ignorãtia iudicis possit, indutus habitu laico. Quasi diceret, Alexandrum tertium in suis Põtificalibus iure non potuisse iudicari à Frederico Imperatore, sed coci sui habitu indutum potuisse ex ignorantia: vel Episcopum illum, qui contrà Richardum primum Angliæ Regem arma gessisset, non potuisse suspendi indutum habitu Episcopali, sed inuentum in tunica militari, potuisse ex ignorantia: vel Odonem Fratrem Guilielmi primi, scelestum perduellem, custodiæ mandari non potuisse vt Episcopum Baionæ, sed vt Comitem Cantij: vel Iesuitam aliquem proditorem, putà Garnettum aliquem, aut Oldcornum, non potuisse suspendi suis Missalibus indutum, sed aulico habitu vestitum potuisse ex ignorantia. Ego verò iam cuperem istos clericos ignorari potiùs, quàm cognosci. Sed peruersè facit innocentiam Christi pallium nocentis clerici: vt quia Christus non potuerit iure iudicari à Pilato, ideò clericus à iudicio laici quiuis eximatur. Est enim, vt dixi, ma-

nifesta petitio principij. Nam possum ita contrario modo rectiùs disputare: Personæ Christi nulla fuit exemptio à iudicio Pilati. Nulla est igitur exemptio Pauli quinti à iudicio Imperatoris. Nam si Christus summus Pontifex non erat exemptus ab Imperatoris iudicio, quòd Imperatoris potestas esset data desuper: certè Romanus Pontifex ab Imperatoriæ potestatis iudicio exemptus esse non debet. Actiones Christi sunt regulæ Papæ, non actiones Papæ sunt regulæ Christi. Quòd autem Cardinalis clericum inducit sub habitu laico coram iudice sæculari, malè ad rem accommodat. Nam iste exemptionem, vt docetur, adeptus, non diceret iudici, illum à cœlo potestatem in se habere, sed contrarium: Tu non habes in me potestatem desuper, nam ego sum clericus: cum autem hoc Christus non dixerit, sed contrarium, (habes in me potestatem desuper) exceptionē clerici non probauit. Nisi fortè clerici maior sit prærogatiua, quàm Christi. Sed certè clericum valde plumbeum induxisti, qui donatus, vt putas, priuilegio, id eloqui non possit, vt seruetur à periculo: similem asinæ eiusve pullo, vnde ducere solent argumentum aliud temporalis dominij Christi. Misit ille discipulos suos vt sibi asinam & pullum adducerent, cui, iuxta prophetiam Rex mansuetus insideret cum Hierosolymam ingrederetur; mandauitque, vt asinorum domino dicerent, Dominus ijs opus habet: vnde concludunt Christum temporalem totius mundi Dominum fuisse. Ineptè. Nam quòd mutuò peteret asinum, id Christi paupertatem, quòd eidem insideret, cum Hierosolymam intraret; id humilitatem & mansuetudinem indicabat, vt Patres exponunt; ergo qui inde temporalis in eo Principis dignitatem & celsitudinem colligunt, Dominus ijs opus habet, nequid grauius videar dicere. Quòd si authoritas Principis ex hoc loco elici potuisset, non dixisset, Dominus ijs opus habet, sed, Dominus mandat vt mittas. Cuius humilitatem cum Romanus Episcopus Celestinus peruersè cupiens imitari per vrbem asino veheretur, idque suis etiam Cardinalibus imperaret, irrisus est ab illis, qui non tam Papam asino, quàm asinum Papæ insedisse crederent; quòd dum Christi humilitatem referre vellet, Papæ celsitudinem

nem abiecisset. Et tamen adeò stupidi sunt, vt Christum, cum isto modo equitans Hierosolymam ingrederetur, in triumpho, temporalem exercuisse potestatem existiment. Ergo modum hunc quem in Celestino vix Papalem putabant, in Christo Regalem iudicant? quem in illo vilem, in hoc triumphalem arbitrantur? quem in illo signum infirmitatis putabant, in hoc ducunt specimen potestatis? Est certè Christus cœli terræque Rex, habetque regnum & spirituale & æternum. Sed regnum suum non esse de hoc mundo, quamuis sit in hoc mundo, coram Pilato est professus. Stetit igitur corā Pilato & Dominus & subditus Imperatoris: pòst illum iudicaturus, tunc ab illo iudicandus: inuisibili maiestate metuendus Deus, visibili humilitate miserandus homo: in cuius persona potentia Spiritus sub carnis infirmitate delituit, vt doceret Petrum, in eoque Papam cœlestibus gaudere gratijs, non terrenis titulis superbire: regnique non externam & euanescentem, sed internam semper & æternam animo gloriam cogitare.

Sed iam ex Scripturis suprà positis argumentum premamus, & ex Veterum interpretationibus propiùs vrgeamus.

Christo regnum de mundo nullum:

Nullum igitur Petro: nisi potuerit dare Petro, quod ipse non habuit.

Christus subditus Imperatoris, vt homo: Petrus igitur quomodo Dominus? nisi potuerit discipulus esse suprà magistrum. Quòd si Petrus subditus, Papa quomodo dominus?

Non erat Petrus superior cæteris Apostolis. Non igitur Papa superior cæteris Episcopis.

Petrus erat inferior Concilio. Est igitur Papa Concilio inferior.

Quibus autem gradibus auctus est Papa, ijsdem, si placet, minuatur.

Primùm euectus suprà Episcopos, vt Bonifacius tertius: pòst suprà Reges & Imperatores, vt Gregorius septimus: tum Imperatoriam & Pontificalem dignitatem assumpsit, & quidem iure Pontificatus, vt Bonifacius octauus. Postremò euectus suprà Concilia, vt omnia mali remedia tollerentur,

vtque populus Christianus calamitatem suam lugere forsitan posset, sanare non posset.

Petrus autem non erat suprà cæteros Apostolos. Cyprianus: Hoc erant vtique cæteri, inquit, Apostoli quod Petrus fuit, pari consortio præditi & honoris & potestatis.

Erat inter omnes Apostolos paritas potestatis, vbi igitur superioritas Petri?

Carthaginenses igitur Patres in Concilio, 42. capite decreuerunt, ne primæ sedis Episcopus appellaretur Princeps sacerdotum, vel summus sacerdos, aut aliquid eiusmodi, sed tantùm primæ sedis Episcopus: vbi igitur Papæ spiritualis, quo de Bellarminus somniat, principatus?

Post Gregorius primus titulum vniuersalis Episcopi non solùm in Iohanne Constantinopolitano, sed in seipso & in omnibus alijs detestatus vt nouum, scelestum, nomen singularitatis, esse vniuersalem pestem Ecclesiæ, corruptionem fidei, contrà canones, contrà Petrum Apostolum, contrà sensum Euangelij, contrà omnes Ecclesias, contrà Deum ipsum. Nunquam pium virum huiusmodi titulis vsum esse: nullum predecessorum suorum vti consensisse: & quicunque illo vsus fuerit, esse prænuntium & præcursorem Antichristi. Est autem hic titulus insignis, vniuersalis Ecclesiæ Episcopus, Romano Episcopo proprius, vt ait Bellarminus. Ergo nouus, scelestus, prophanus &c. titulus est Rom. Episcopo proprius, vt docet Gregorius.

Libro 4. epist. cap. 32.

Libro 4. epist. cap. 34. Lib. 4. cap. 38. 39.

Bellar. lib. 2. de Rom. Põt. cap. 31.

At hîc distinguit Bellarminus, Vnus est, inquit, sensus huius tituli, vt ille qui dicitur vniuersalis Episcopus omnium vrbium Christianarum, ita vt cæteri non sint Episcopi, sed vicarij tantùm illius, & hoc modo est prophanum vocabulum, vt loquitur Gregorius. Lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 31. Ita vt ex mente beati Gregorij vniuersalis Episcopus cæteris omnibus authoritatem adimere videatur, vt œcumenicus Episcopus sit idem ac solus Episcopus, quemadmodum Bellarm. exponit in Torto. Perinde ac si Gregorius à Iohanne Constantinopolitano, qui primus nominari voluit œcumenicus, omnes alios exauthoratos Episcopos iudicasset.

In quo sanè Bellarminus repugnat historiæ, quæ declarat omnes

omnes Græcos Episcopos Iohanni Constantinopolitano consensisse, vt Vniuersalis titulum sumeret: quod nunquam fecissent, si eo titulo concesso, sibiipsis omnem Episcopatus authoritatem ademptam esse duxissent. Porrò Bonifacium tertium ostendit Platina, eundem præëminentiæ locum sumpsisse, quem Iohannes vendicabat.

Deinde sibi ipsi eodem loco contradicit, quo scribit Græcos Episcopos sedem Constantinopolitanã non solùm sedi Alexandrinæ & Antiochenæ præferre, sed etiam æquare Romanæ, & vniuersalem facere voluisse. Quod quomodo stare potest cum eo, quod antè dixerat? Non enim prætulit se Alexandrinæ & Antiochenæ, sed vtramque sustulit sedes Constantinopolitana: nec se Romanæ æquauit, sed Romanam extinxit; siquidem œcumenicus est idem ac solus Episcopus: nec eam sibi parem, sed vicariam fecit. Siquidem cæteri non Episcopi, sed vicarij tantùm illiùs, vt Gregorium sensisse finxit.

Non enim Gregorius eo nomine sublatos omnes Episcopos, sed imminutos sensit: nec honorem abrogatum Patriarchis cæteris, sed derogatum: nec alios omnes depositos, sed vnum præpositum omnibus fuisse: nec id vnum egisse, vt solus esset, sed vt solus præesset: nec vt cæteri ne essent Episcopi, sed vt cæteris dignior Episcopus videretur: vt cætera sibi membra omnia subiugaret, non amputaret: essetque inter Episcopos, vt Lucifer inter Angelos, qui se prætulit omnibus, non omnes sustulit. Sic iste vniuersalis Episcopus cæteros Episcopos passus est esse, sed voluit subesse: si Gregorio meliori suæ mentis interpreti quàm Bellarmino, credendum arbitremur. Et hoc fecit Posteà Bonifacius tertius, & nihil sibi sumpsit tribuente Phoca Bonifacius, quod non Iohannes priùs tribuente Mauritio vendicauit.

Libro 4. epist. 36.
Libro 4. 34.

Quod sumpsit Bonifacius, Paulus quintus retinet, & multò amplius.

Retinet igitur nomen nouum, prophanum, scelestum, blasphemum, &c. vt censuit Gregorius: dum vniuersalis Episcopus appellatur.

Scitè dictum, & verè: Caput malum caput malorum. Malum

lum autem quo vniuersalius, eò maius. Caput igitur malum vniuersale malum maximum; ex quo quidem mala omnia in Ecclesiam & in rempub. defluxerunt: in Ecclesiam hæreses, in rempub. proditiones; dum Christi fidem perderet, & Imperatoris Maiestatem conculcaret. Quorum vtrunque
Lib.4.ep.39. prædixit Gregorius. Dixit enim Aniano, In isto scelesto vocabulo cõsentire, nihil esse aliud, quàm fidem perdere. Quantum detrimenti fides passa sit, ex sequentibus Catholicæ
Lib.4.ep.32. Romanæ fidei articulis apparebit. Scripsit Mauritio, Qui eo vocabulo gauderet, honori se per illud Imperij superponere. Quantum ex eo detrimenti Imperium ceperit, lugubres multorum Imperatorum exitus declararunt. Quos REGIVS noster vobis exponet. Verus, vt dixi, ah nimis verus Propheta Gregorius. Recteque, vt Gregorij doctissimus interpres Cicestriensis, vniuersalis Episcopus quoad imperium Lucifer, quoad Ecclesiam Antichristus.

At Gregorius ipse, (inquiunt) quamuis vniuersalis vocabulum improbauit, tamen vniuersalem iurisdictionem exercuit. In quo Gregorium fingunt non syncerè pium, sed prophanè politicum, similem Cæsari, qui Regis nomen odiosum repudiauit, vt Regiam authoritatem callidiùs exerceret.

Itaque fingunt Gregorij quandam epistolam ad Iohannem Episcopum Syracusanum, ita inscriptam, Iohanni Episcopo Syracusano, de Episcopo Constantinopolitano de crimine accusato. In epistola autem ipsa Bizancenus primas dicitur fuisse in quodam crimine accusatus, quem pijssimus Imperator iuxta statuta canonica per nos, inquit, voluit iudicari. Greg. lib. 7. epist. 64. Sed error nominis Bizanceni, vel Bizaceni, deducti non à Bizantio vrbe Constantinopoli
Gloss. in Gratia. edita à Greg.13. dicta, sed à Bizatio Africæ prouincia, correctus est in glossa iuris canonici, quæ dicit Anselmum & Gratianum fuisse deceptos inscriptione epistolæ S. Gregorij; quia Bizãcenus significat non Patriarcham Constantinopolitanum, sed primatem Africanum. Quæ res iustam sanè causam nobis affert suspicandi epistolam esse suppositițiam: vt & aliam, in qua Gregorium affirmantem inducunt, Constantinopolitanam

Ecclesiam Apostolicæ sedi esse subiectam, vt Eusebius eiusdem sedis Episcopus profitetur, Lib. 7. Ep. 63. quem locum Bellarminus citat, Lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 14. Sed Gregorij tempore nullos nisi Iohannem & Syriacum sedi Constantinopolitanæ præfuisse, qui vniuersalis Episcopi titulum vsurparunt, testis est Nicephorus in Chronico tripartito. Vnde constat falsum Eusebium inductum testem Romanæ prærogatiuæ, & spuriam epistolam à librario aliquo confictam, quæ testetur id scripsisse Gregorium mortuum, quod viuus non in alio modò, sed in seipso tàm grauitèr & sæpe reprehendit.

Cum hæc non successerit, alia aggrediuntur via, Complures aiunt prædecessores Gregorij fuisse, qui se inscriberent Episcopos Catholicæ Ecclesiæ, id est, vniuersalis. Idem autem esse vocari vniuersalem Episcopum Ecclesiæ, & Episcopum vniuersalis Ecclesiæ. In quo quidem habent Costerum sibi repugnantem in Enchiridio, & Lindanum in Panoplia sua, quorum iudicio hæc differunt, vniuersalis Episcopus, & vniuersalis Ecclesiæ Episcopus: vel vt tollatur homonymia, idem esse negant, vocari Episcopum Catholicæ Ecclesiæ, id est, vniuersalis; & Catholicum, id est vniuersalem Episcopū Ecclesiæ. Et rectè negant. Anne est idē dicere Tortū eruditum Theologū scholæ Papiēsis? & Theol. eruditæ scholæ Papiensis? Minimè. Nam in illa propositione falsa laus affingitur Torto, in hac Papiæ vera conceditur. Sic aliud est Papa Craholicus Episc. Ecclesiæ, aliud Papa Episc. Catholicæ Ecclesiæ. Nam in illa propositione Papæ titulus ementitus, in hac verum Ecclesiæ nomen exprimitur. At æquè pollet Catholicum, inquit, & vniuersale. Quid tum? At istæ propositiones non æquè pollent, Papa Romanus est Episcopus Catholicæ Ecclesiæ, id est, vniuersalis: ergo est Episcopus vniuersalis; non plus quàm ista duo enuntiata æquè pollent: Rex Hispaniæ est Rex Catholicus: ergò est Rex vniuersalis. Vel sic. Rex Hispaniæ est Rex Catholicæ Ecclesiæ. Ergo est Rex vniuersalis orbis Christiani. Non enim ad Pontificem, qui vocatur Catholicus, omnium Ecclesiarum magis, quàm ad Regem, qui Catholicus dicitur, omnium regnorum

Baronius & Bellarminus.

authoritas pertinet.

Quanquam iste vniuersalis Episcopus non summum modò dominium in spiritualibus, sed etiam in temporalibus vendicat, vt authoritas omnium in Papa, authoritatis executio tantùm in Imperatoribus & Regibus residere dicatur: quam auferre vni, & conferre alteri, tanquam vasallis suis, pro suo iure & arbitrio possit; vt fecit Gregorius septimus. Et si velit, vtramque potestatem & Pontificiam & Imperatoriam simul coniungere in seipso vi & iure Pontificatus sui, vt fecit Bonifacius octauus. Quorum neutrũ fecit diuinus Apostolus D.Petrus, sed pauper atq; humilis, qui sibi pascendi curã, non regnandi authoritatem datam sensit: non dominium, sed ministerium delegatum. Vt Bernardus ad Eugenium Papam dixit: Apostolis interdicitur dominatus. Ergo tu tibi vsurpare audes aut dominans Apostolatum, aut Apostolus dominatum? Forma Apostolica hæc est, interdicitur dominatio, indicitur ministratio. Quid igitur, inquies? Num negauit Eugenium Papã prouinciarum suarum dominum temporalẽ fuisse? Minimè. Sed respondet, Illas esto, vt alia quacunque ratione vendices, certè non Apostolico iure. Nec enim Petrus dare, quod non habuit, potuit. Quod responsum Cardinalis valdè probat, Lib.5. de Rom. Pontif. cap. 20. Vnde cõstat vi & iure Pontificatus duas hasce potestates in vno nec posse, nec debere cõfundi; vt Nicholaus primus Papa docuit ipse, Cum ad verum ventũ est, inquit, loquens de Christo saluatore nostro, vltrà sibi nec Imperator iura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium vsurpauit. Quẽ locum exponẽs Bellarminus, Nicholaus primus, inquit, disertè docet, Christum distinxisse actus, officia, & dignitates Pontificis & Imperatoris, ne aut Imperator iura Põtificis, aut Pontifex iura Imperatoris præsumeret vsurpare. Et tamen Bellarminus has duas potestates in Pontifice Romano confusas esse defendit vi & iure Pontificatus, quas à Christo, & Papa disertè distinctas confitetur. Quid huic homini facias? qui Christo, qui Papæ, qui sibi ipsi, cum libet, contradicit. Verùm in hac parte Bellarminum REGIO nostro fusius refellendum atque exagitandum relinquo. Hic ego tantùm ostendo

Bernard. de consid. ad Eugen. lib. 2.

Nich. Pap. in epist. ad Michael. Imp.

Lib. 5. de. Rõ. Pont. cap. 5.

Papam

Papam vsurpare temporale dominium suprà Imperatorem, quod nec Petrus, nec Christus habuit, & vterq; in Episcopo condemnauit.

Erat etiam Petrus inferior Concilio Hierosolymitano. Et Papa perdiù Concilio generali inferior est habitus etiam à suis. Vt Panormitanus, In rebus fidei, inquit, Concilium est suprà Papam, sic vt res ordinare non possit contrà determinationem Concilij. Hinc est, quòd Concilium potest Papam condemnare propter hæresim; vt generale Concilium Pisanum, Constantiense, Basiliense, complures Papas propter hæresim Papatu abdicarunt: in quibus decretum est, Concilium esse suprà Papam. Vnde Cusanus consuetudinem Ecclesiæ declarans, Concilium œcumenicum in omnibus rebus supremæ potestatis esse scripsit, immò suprà Papam ipsum. Possem alios illustres huius opinionis Pontificios recensere: sed hoc loco non est necessarium. Nunc autem Papa est euectus suprà Concilia, & primatum in eo suum præcipuè situm arbitratur, vt exutis Episcopis, deiectis Imperatoribus, subactisque Concilijs, quicquid iam faciat, impunè faciat. Et hunc nos Petri successorem credamus, qui nihil Petri simile habeat? Quod tamen Bellarminus sumit vbique quasi concessum, cum nihil sit tam controuersum. Quemadmodum etiam vicarium Christi passim affirmat, non probat: cum nihil sit ad fidem Catholicam-Romanam tam necessarium, quàm vt horum vtrunque ex Scripturis confirmaret. Omnino successor Petri in Patribus legitur: vicarius Christi non legitur. Non igitur id credendum fide Catholica, sed fide historica.

De elect. & electi potest. Cap. Significasti.

Concor. lib. 2. cap. 34.

De vicario Christi pòst videro: nunc de successore Petri paucis inquiram.

Neque verò hoc loco argumentabor illa, quæ sunt controuersa vehementèr, vtrũ Petrus Romæ fuerit; vtrum Episcopus, vtrum Episcopus Romanus fuerit; neque, si fuerit, disputabo vtrũ Petri dignitas personalis transire potuerit in successorem; quod negatur: cum concessa sit à Christo respectu confessionis, quã ediderit, nõ sedis quã occuparit. Neque, si sedis, cum duas habuisse Petrus memoretur, Antiochenam & Romanam, non iam inquiram cur priuilegium Petri Romæ

 potius

potiùs alligari debeat, quàm Antiochiæ. Porrò nec illud hoc loco discutiam, quod pluribus in tota Pontificij symboli explicatione quæretur, vtrùm Papa Petro successerit in fide: tantùm hîc quæram breuitèr, vtrùm successerit in sede, & vtrùm successio Papæ, ex qua tota Papismi ratio pendet, sit diuina, an humana constitutio. Nam si humana constitutio est, & humanis modò testimonijs confirmata: certè dogma Catholicæ fidei, vt Romulus ex suis Magistris asseruit, esse non potest. Si diuina, dicant nobis quo Scripturæ loco legant esse scriptum, Episcopum Romanum Petro successurum: aut vbi Petrus illum, vel alium quenquã sibi successorem surrogauerit. Respondent ferè, quod possunt, Christum cum diceret, Pasce oues meas, eodem loco intellexisse Petri successorem, cui simùl cum Petro summam & perpetuam in gregem vniuersum iurisdictionem delegauit.

At nec successor illic, nec Pontifex Romanus successor nominatur. Fac Petrum Apostolum cæteris Apostolis superiorem fuisse factum hoc loco: num etiam Romanum Episcopum successorem, mortuo Petro, Apostolis superstitibus superiorem factum iudicant? Respondeant, & hunc nodum, si possint, soluant Pontificij.

Baronius scribit Petrum mortuum anno 69. Iohannem anno 101. Ita duo & triginta anni inter mortem Petri & Iohannis intercesserant.

Quæro iam mortuo Petro siue Linus siue Clemẽs successerit: nam de illo magna apud illos controuersia est, vtrùm Linum Iohanne, an Iohannem Lino superiorem existiment? Si Linũ Iohanne, Episcopum Apostolo superiorem dicant, ridebimus: si negent, sequitur aut primatum cum Petro mortuum: aut non ad Linum Episcopum, sed ad Iohannẽ Apostolum, vt superstitem, peruenisse. Vbi est igitur successio Papæ? Vt nodum hunc soluant, magni quidam Pontificij respondent, Successionem Papæ, in quantum Petrus est Episcopus Romanus, originem sumere à Petri facto, non à Christi institutione. Est igitur hæc materia facti, non fidei.

Caieta. de diuina institu. Pontificis, cap. 13. & Bellarmin. lib. 2. de Pontif. cap. 12.

Age, & quod Petri factum fuit? Respondent, Quòd sedem Romæ suam constituerit, ibique mortuus fuerit. Addit

Caietanus,

Caietanus, quòd mors Petri non simplicitèr successionem Romæ dederit. sed quòd illic mortuus ex speciali Christi ordinatione. Quam Caietanus probat ex historia quadam, quæ narrat Petro metu persequutionis Romam relinquere cogitanti, iam iamque exeunti, obuiam venisse Christum. Cui Petrus inquit, Quò iam proficisceris, Domine? & Petro Christus, Romam, inquit, vt illic crucifigar. Eo Petrum admonens vt rediret, Romæque moreretur.

Ergo Papæ successio pendet ex Petri facto, ab eoque oritur: & ex hoc facto sumunt hæc omnia pro concesso, Petrum Romæ fuisse, Petrum Episcopum Romæ fuisse, Petrum Romæ mortuum, & mortuum ex Christi ordinatione. Quæ est autem horum certitudo, nisi credamus paucis quibusdam humanis historijs, quæ sunt obnoxiæ multis humanis erroribus? qualis imprimis est error ille, vnde datam tamen dicit Caietanus successionem Papæ, de reditu Petri ex occasione visionis.

Primus author fabulæ Linus scriptor stultus & spurius, vt ab ipso Baronio notatur. Sed fuerit historia; non ex Spiritus sancti reuelatione, sed ex traditione manauit, vt Canus Locor. Theol. lib. 6. cap. 8. Deinde quomodo constat Christo & Petro propositum fuisse, hoc facto successionem sic confirmare, vt Ecclesia semper illam sub pœna damnationis credere teneretur? Nam cum dicant esse de necessitate salutis subesse Romano Pontifici tanquam Petri successori, eumque virtute successionis suæ in omnibus rebus fidei & salutis nobis à Deo præfectum esse contendant; æquum fuit, vt successionem Papæ liquidiùs & certiùs nobis confirmarent, quàm ex cæca quadam & incerta visione, cuius authorem ipsi vt stolidum & spurium condemnarint.

Acta Petri & Pauli, Baron. ann. 69.

Porrò electionem Papæ humanam ordinationem existimant, quæ mutari potest: quod esset absurdum, si Christus Petri facto successionem Romæ propriam destinasset, formam electionis immutare. Itaque nemo tenetur credere hunc vel illum Papam, (puta Clementem octauum aut Paulum quintum) esse verum Petri successorem, vt scribit

Francis. Vict. Relect. 2. de potestate eccl.

De hæres. lib. 1. cap. 9.

Alphonsus. Ita cuiuis licebit, cum libuerit, Papam exuere, cuius de canonica saltem electione dubitarit. Quare cum Papæ successio tam incerta sit, rectiùs faceret, si vt Imperator non se Cæsaris successorem inscribit, sed Cæsarem; sic Papa non se ampliùs Petri successorem, sed Petrum ipsum nominet, vt Papa Stephanus seipsum quondam nominauit. Nam tam facilè credemus Paulum quintum esse Petrum ipsum, quàm verum Petri successorem.

Iam, vt in summam omnia contraham, vides, nobilissime CALANDER, in SATVRNINO Bellarminum vetera quædam suorum argumenta polientem & limantem ex textu, quibus primatum labantem iam & propè cadentem suffulciret: sed frustrà sperat Cardinalis easdem posse technas imponere docto iam sæculo, quæ tum rudi imponebant.

Primùm enim adeò corruptas locorum quorundam interpretationes adduxit, vt non à veteribus & nostris, sed à recentibus etiam & suis planè Doctoribus refellantur. Ex quibus tamen symbolica quædam argumenta producit, quæ tam ineptas, tamque exitiales consequentias necessariò inferunt, vt prudentibus deridendæ, pijs etiam detestandæ esse videantur.

Bonifac. 8. Extrauag. Cō. li. tit. de maior. & obedient.

Qualis fuit illa interpretatio & argumentatio Bonifacij octaui ex primo Geneseos.

In principio, non in principijs, creauit Deus cœlum & terram. Cum principio Papam intelligi somniasset Bonifacius.

Ex eo sic argumentatur, Qui igitur Papæ sese non subijcit, duo principia fingit cum Manichæis, vt fingit Bonifacius. Qualis etiam illa ex eodem capite, Fecit Deus duo magna luminaria in firmamento. Quum igitur Papa sensum hunc intulisset in textū, Sole Papā, Luna intelligi Imperatorē: ex eo concludit: Quantò Sol Luna maior, tantò Papam maiorem Imperatore. Quis mathematicus Archimedes Solis & Lunæ quantitatem meliùs potuit describere?

Eiusmodi sunt interpretationes, ex ijsque deductæ argumentationes Bellarmini. Ex clauibus cœli claues terræ facit.

Honorem regnandi colligit ex labore paſcendi. Petrum pro petra intelligit: caput metaphoricum pro capite viſibili Eccleſiæ vniuerſæ. Et ex hijs allegoricis expoſitionibus Analyticos pro Petri primatu ſe conficere credit ſyllogiſmos. Pythagoras fertur ſic informaſſe diſcipulos in ſpeculatiua ſcientia numerorum, eorumque tam altas notiones animis impreſſiſſe, vt cum poſt ad contemplationem rerum naturalium accederent, ex elementis numeri conſtitui crederent opera naturæ. Sic iſte Pythagoras ſuam ſymbolicam theologiam tam altè ſuorum animis infixit, vt ex metaphoris ſanctæ Scripturæ culmen erigi credant Eccleſiaſticæ monarchiæ. Vtrum ille verſutior, qui ſic ſuadet, an iſte ſimplicior, qui ſic credit? Immò verò iſte Roman. aduocatus, eum qui ſic non credit, hæreſeos reum peragit. Bene habet: Actore non probante, vt Iureconſulti dicunt, reus abſoluitur. Ariſtot. 1. Metaph.

Quæſiſti deinde, CALANDER, de iudicio Eccleſiæ primitiuæ, cuius doctiſſimi Patres in ſex primis Concilijs congregati primatum iſtum non modò non agnouerunt, ſed decretis ſuis confixerunt. Hîc Pontificij tot voluntarias corruptelas, fallacias, impoſturas adhibuerunt, quibus falſos canones ſupponerent, veros expungerent: vt qui tam mala fide egerint, malam cauſam habere meritò iudicentur.

Poſtremò Chriſti & Petri doctrinam & praxim adduximus, vt primatum iſtum, quem Scripturæ ſenſus allegoricus non probauit, redargueret literalis, & is quidem non veterum modò Patrū & noſtrorum, ſed Pontificiorum teſtimonio confirmatus; vt hæc turris Babylonica non ſuis modò fulcris exeſis iam & deficientibus deſtituta, ſed noſtris etiam firmiſſimis machinis, id eſt, Eccleſiæ decretis, & Scripturæ oraculis impulſa diſſilierit atque conciderit.

Ergò primatus Petri, qui Bellarmino eſt Tranſcendens, Scripturæ ſanctæ non eſt Ens: & ſucceſſio Papæ, non ex Chriſti inſtituto, vt dicunt ipſi, ſed ex Petri facto originem ſumit: & hoc Petri factum probatur non ex certa reuelatione, ſed ex incerta viſione. En cur primatum Bellarm. in Torto dogma Catholicæ fidei certum in Scripturis apertiſſimè fundatum

fundatum prædicet.

Animaduerte iam, CALANDER, quò nunc omnia Bellarmini commenta reciderint. Depositio Regis pendet ab excommunicatione Pontificis. Excommunicationis potestas inhæret primatui. Primatus incipit à primate. At primas in textu, quamuis diligentissimè quæsitus, tamen non est inuentus. Vbi iam igitur primatus? vbi potestas excommunicandi Reges? vbi ius denique deponendi? Certè primas vester aut pessimum titulum habet, aut patronum. At patronus fertur optimus. Titulus est ergò pessimus. Sed Pontificij quiduis ab illo, vt sperat, accipient: apud quos si quid in hac causa profecerit, maiorem oportet esse legentium credulitatem, quàm scribentis prudentiam.

Tum REGIVS, Primatu igitur euerso, potestas illa duplex, quam intrinsecam primatui dicit, simul euersa est, sacra & temporalis. Sacra, qua tanquam Episcopus per excommunicationem Reges refractarios, siue hæreticos, siue catholicos, imperio abdicare se posse autumat: temporalis, siue directa, siue indirecta, qua tanquā summus Princeps spiritualis possit coronas auferre vni, & conferre alteri pro arbitrio. Sed de temporali pòst viderimus. Nunc de sacra videamus. Grandis iste sophista, cum Pontifex Romanus sagittam venenatam in caput Principis mittere decreuit, arcū Pontificium intendit duplici potestate quasi retinaculo, vt, si temporalis deficiat, sacra feriat. Quam nisi sacram putem, vt ille sacram auri famem dixit, sanè mentiar. Nam hanc technam excommunicationis Pontificiæ, qua Reges ligat ne imperent, & subditos soluit ne pareant, sensit orbis nihil esse aliud quàm artem diabolicam, vt loquitur Vrsbergensis, quæ perfidiam & rebellionem induxit fidei & religionis habitu contectas, Regibus formidolosam, subditis perniciosam; quorum corporibus exitium importauit, damnationem animabus, vt ex superiore dialogo manifestum est.

Tum SATVRNINVS, Nos quidem, inquit, quid hæretici disputent, non curamus; quid Ecclesia statuat, attendimus. Nec illorum captionibus, sed huius decretis alligamur. Et primatum duplici iure retinemus, petitorio, & possessorio.

De

De petitorio rixas hæretici ſemper mouerunt: de poſſeſſorio nos nunquam dimouebunt.

Tum REGIVS, Statuta Eccleſiæ, inquit, vt dicis, attendis, mallem oracula Scripturæ. Duplici vos iure primatum retinere prædicas, petitorio & poſſeſſorio. Magni petitoris iure excidit Pontifex, vt clarè vicit PATRIOTTA: ius igitur aliud ad extremum vrges, magni poſſeſſoris; quod quid eſt aliud quàm ius magni prædonis? Quod eſt enim aliud ius latronũ, quàm vt id commemorent ſuum eſſe quod poſſident, quocunque modo acquiſierint? Nunc cum primatus non diuina inſtitutione, ſed humana ambitione fundatus ſit, quem & Scripturæ oraculis, & Conciliorum decretis penitùs euerſum vides: ſequitur iam, vt contuſo capite ſerpentis, membra illius omnia conteramus.

Tum CALANDER, Videtur, inquit, SATVRNINVS redactus ad anguſtias, cum iure petitorio excluſus ad poſſeſſorium confugerit. Vt igitur reſpirandi tempus detur, ſermonem de reliquis articulis differamus in alium diem. Nam nunc quidem tempus eſt vt animos veſtros huius diſputationis labore defeſſos relaxetis.

Errata.

In epist. ad lector. pag. 2. lin. 7. lege amori. p. 3. l. 15. pro non, leg. omnino. Ib. lin. 32. leg. viui affir-. p. 10. l. 35. leg. facultatum. p. 13. l. 10. leg. Theriaco. p. 18. l. 34. leg. euertit. p. 19. l. 33. post hæresim insere, quia læta est; & ridet aduersariū. p. 24. lin. 6. leg. cuiusquemodi. lin. 16. pro de le. ex. l. 20. leg. prosequamur. P. 8. libri. l. 30. pro aut. le. vt. p. 10. l. 5. le patefactā p. 14. l. 1. le. loquar. p. 18 l 7. le. toti. p. 40. l. 3. lege ergo. p. 43. l. 34. pro Christian. Imperat. le. Pseudochristianis Pontificibus. p. 49. l. 27. l. sanata. p. 56. l. 8. l expenderint. p. 57 l. 28. deest subiecta. p. 58. l. 5. post Roma insere quæ. p. 60. l. 3. l. definitæ. p. 66. l. 34. l. vicem. p. 71. l. 15. l. proprios prædicatores. p. 74. l. 3. l. verbis. p. 89. l. 16. l. disertissimis. p. 93. l. 5. le. & vt. p. 95. l. 36. l. cruciatas. p. 101. l. 18. l. anni bis mille. l. 26 le. intelligemus. p. 103. l 11. le. responderet. p. 107. l 18. l gerat. p. 112. l. 17. l. antichristianam. p. 113. l. 6. pro vt, l. &. p. 114. l. vlt. l. induxit. p. 118. l. 9. pro velut Atlantem, l. Seruatorem. p. 124. l. vlt. l. quàm vt p 125. l. 31. l. mutuo marte. p. 127. l. 1. le. vestra. lin. 10. le. furiosa. p. 153. l. 1. le. Iehu. p. 160. l. 33. dele non. p. 163. l. 1. post vt, adde, sacerdotes. p. 164. l. 17. l. adiuuant. p. 168. l. 36. le. præstinguere. p. 177. l. 2. l. committet. p. 183. l. 33. le. fateamur. p 196. l. 19. le. quòd lin. 36. le. infirmos. p. 202. l. 28. le. Pontificum. lin. 33. le. Imperatorum. p. 208. l 35. pro 3. le. 4. p. 209 l. 32. l. incursioni. p. 224. l. 36. le. matrem. p. 225. l. vlt post cuperem adde, muniri præsidijs. p. 227. 18. l. tantum. p. 228. l. 6. l. mali. p. 232. l. 6. l. primatum. p 250. l. 3. le. sit. p. 277. l. 29. l persequetur. lin. 30. pro hoc, le. huiusmodi. p. 283. l. 7. l. cum. p. 296. l. 12. 13. pro REGIVS exponet. le, primus dialogus exponit. p. 300. l. 9. pro Romulus le ARGENTINVS. p. 304. l. 21. le, sed de temporali dubitans, sibi de sacra prouidit.